COMPENDIUM REPETITORIUM

THEOLOGIAE DOGMATICAE

TUM GENERALIS CUM SPECIALIS

EX PROBATISSIMIS AUCTORIBUS COLLECTUM ET IN SYSTEMA REDACTUM

A

DOCTORE CONSTANTINO JOAN. VIDMAR

EDITIO QUARTA

CUM A NENSIS.

1925

JOSEPH F. WAGNER, INC.

Property of
CBF
Please return to
Graduate Theological
Union Library

Approbatio Ordina

Imprimatur.

Viennae, die 7. Apr. 1924

DR. JOS. PFLUGER
Vic. Gen.

D

#/3289
THEOLOGIANS
O.E.M.
PROV. S. BARBARAE

SALVO QUOCUNQUE JU

MADE IN AUSTRIA

Candido lectori salutem!

Septimo p. Chr. n. saeculo nuncius vel praedicator fidei christianae nave ad Angliam appulsa regem Northumbrorum adiit, ut eum cunctumque eius populum ad fidem Christi converteret. Principibus nationis, penes quos summa erat consilii, convocatis, ut consilium caperent, unus ex tribunis militum prodiit atque: „Rex“, inquit, „fortasse haud immemor es eius rei, quae tibi hieme nonnumquam occurebat: cum securus sederas cum tuis ducibus militibusque inter epulas, dum focus assiduo igne lucet atque conclave grato acceptoque calore implet, foris autem aquilo gelidas aquas nivesne fundit, interdum avis parvula altera janua advolabat, altera evolabat. Quae id temporis, cum conclave pervolavit, mira quadam suavitate adficiebatur, quod neque tempestate neque imbre premebatur. Atqui hoc temporis vestigium breve erat; nam subito ex conclavi evolabat: ex hiemis frigore veniebat, in hiemis frigus revertebatur“.

„Eadem ratione tempus volat atque hora: vita hominum, si cum longo spatio temporis praeteriti et subsequentis confertur, momentis labitur. Quae nondum ad liquidum explorata malisque referta est. Quod, quanti aestimanda sit, dubitamus, vexamur. Novam igitur fidem, si quid certi de hac re adfert, dignam esse censeo, quae recipiatur cuique receptae obtemperemus.“ [1]

Si fidei ac religionis nostrae veritas et firmitas ullo tempore tunc sine dubio nostris comprobabatur diebus immani per totum fere terrarum orbem diffuso bello calamitoso. Nostrorum exercituum milites, stipendia

[1] Cf. **Angliae terrae expugnationem auctore Aug. Thierry, Vol. 1, pag. 81.**

facientes belli gerendi cum hostibus innumerabilibus numeroque valde potioribus, indefesso animo uti pro patriae nostrae sic etiam pro fidei ac ecclesiae libertate dimicabant, quae in discrimine versaretur, si v. gr. Russiae schismati conscriptae arma praevaluissent, in quo autem certamine haud profecissent pari fausto eventu nisi corroborati fide, assidua oratione nec non gratia divina per ecclesiae Christi sacramenta eis obvia; nobis autem, quibus domi remanere constituebatur, impossibile fuisset, omnem bello aggravatam sortem et causatam miseriam aequo ferre animo, nisi nos fulciret in Dei providentia ac mundi gubernatione fides impavida, qua sublata vel dejecta nobis aeque ac foederatis Germaniae incolis nunc omnino impossibile esset sedate placideque et superbae et impotentis imperiosaeque pacis compositae stipulationibus acquiescere.

Dicuntur quidem silere inter arma leges[1] ac Musae; nihilominus hujus nostri Compendii editio nova jamjam quarta adornata fuit jam ante septem annos; ast propter res nummerarias adversas nunc demum prelo subjici potest.

Haec autem retardatio bonum attulit momentum pro libro ipso, cum sic possibile fuerit mutandi vel vero addendi, quae ex Codice j. c. et recentioribus decretis erant reformanda.

Cum vero libri auctor, qui abhinc annis quinquaginta primitias suas D. O. M. obtulerat hocce anno in proximo s. matris Annae festo auream celebraturus sit missam, considerat e sua parte hancce libri sui editionem quartam ceu monumentum proxime celebrandi jubilaei precibus lectorum se commendans, ut ipsi exorare velint eam perseverantiam ac bonae conscientiae testimonium, ut possit tempore resolutionis cum Apostolo confiteri:[2] „bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi.“ quam voce scriptoque alios docueram.

Quod caeterum libri nostri argumentum attinet, praeter nonnullas emendationes ac non evitandas ad-

[1] Cicero pro Milone 4, 10.
[2] 2 Tim. 4, 7.

jectiones necessarias consonum potuit relinqui cum editione quae praecesserat tertia excepto imprimis additamento de erroribus sic dicti Modernismi, qui fautor evasit magnae pugnae ac contentionis in Ecclesia Dei. Licet praescriberetur juramentum speciale,[1] quo quisque abdicaret his revelationis divinae fundamentum labefactantibus erroribus, tamen animi excitati nondum omnino ac ubique locorum acquivere; quapropter et de hoc magno praelio dici potest illud Apocalypsis verbum:[2] Et non valuerunt neque locus inventus est amplius eorum, scil. Modernismi asseclarum in Ecclesia nostra.

Ut mox et ipsa particeps fiat pacis, cujus desiderio ardentissimo jam omnis terrarum orbis tenetur, faxit Deus ad intercessionem B. M. Virginis, quam solam interemisse cunctas haereses cantat Ecclesia[3] quamque in augmentum novum honoris Genetricis Catholicorum piam sententiam a nobis pag. 516 seq. explanatam[4] fide catholica tenendam in concilio Vaticano, quod ut nunc mox possit continuari, praeambulis nostris nunc diebus acerrime jam insistunt, decreturam fore, est fidelium fere omnium trita opinio spesque firmissima.

Scribebam in foro nundinario Gaweinstal,
die s. Joanni Climaco, baptismali meo patrono, sacra, 1924.

Dr. Vidmar.

---

[1] Ejus verba argumentumque vide pag. 532. [2] Apoc. 12, 8. [3] In officio parvo Antiph. ad Ps. 95 in 3^tio^ Nocturno. [4] Quod sit Deipara etiam quoad corpus assumpta in coelum ibique nostra mediatrix omnis gratiae.

Index synopticus

partis generalis.

pag.

Praefatio III
Prolegomena 1

Tractatus primus.

Theoria revelationis in genere.

De Deo ejusque existentia 9
De religionis indole et necessitate 28
De revelationis possibilitate 32
De revelationis cognoscibilitate 35

Tractatus secundus.

Theoria revelationis christianae.

De auctoritate s. Scripturae 42
De revelatione primitiva ac mosaica 48
De revelatione christiana 54
De indole religionis christianae 63

Tractatus tertius.

De vera Christi Ecclesia.

De institutione Ecclesiae 66
De constitutione Ecclesiae 73
De notis et attributis Ecclesiae 80
De necessitate Ecclesiae 85

Tractatus quartus.

De regula fidei.

De infallibilitate Ecclesiae 90
De principio religionis christ. materiali 96
De principio religionis christ. formali 109
De relatione fidem inter et rationem 116

Index synopticus

partis specialis.

Prolegomena 120

Tractatus primus.

De Deo uno.

De essentia divina 123
De attributis divinis 135

Tractatus secundus.

De Deo trino.

pag.
De trinitate div. personarum in unitate naturae . . . 160
De relatione div. personarum inter se invicem 171
De relatione SS. Trinitatis ad extra 177

Tractatus tertius.

De operibus Dei in genere.

De Deo creatore 181
De providentia Dei 190

Tractatus quartus.

De creaturis ratione praeditis.

De angelis 200
De homine 208

Tractatus quintus.

De verbo incarnato.

De incarnatione 227
De redemptione 249

Tractatus sextus.

De Gratia.

Notio et divisio gratiae 263
De necessitate gratiae 265
De indole gratiae sanctificantis 275
De indole gratiae actualis 286
De gratiae distributione 292
De praedestinstionis mysterio 301
De fructibus gratiae 308

Tractatus septimus.

De Sacramentis in genere.

De Sacramentorum essentia 316
De Sacramentorum existentia 319
De Sacramentorum partibus 322
De Sacramentorum efficacia 328

Tractatus octavus.

De Baptismo.

De veritate hujus sacramenti 335
De ejus administratione 341

Tractatus nonus.

De Confirmatione.

De veritate hujus sacramenti 349
De ejus administratione 354

Tractatus decimus.

De SS. Eucharistia.

pag.
De variis hujus sacramenti nominibus 356
De Eucharistia in se spectata 357
De Eucharistia sub ratione sacramenti 367
De Eucharistia sub ratione sacrificii 383

Tractatus undecimus.

De Poenitentia.

Notio hujus sacramenti 407
De potestate clavium 409
De veritate sacramenti poenitentiae 417
De contritione 421
De confessione 424
De satisfactione 428
De indulgentiis 432

Tractatus duodecimus.

De extrema unctione.

De veritate hujus sacramenti 440
De ejus administratione 444

Tractatus decimus tertius.

De Ordine.

De existentia Ordinis 447
De Ordinum numero 451
De Ordine sub ratione sacramenti 454

Tractatus decimus quartus.

De Matrimonio.

Notio matrimonii 464
De matrimonio ut est officium naturae 466
De matrimonio christianorum 468
De connubii christiani proprietatibus 478
De potestate Ecclesiae circa matrimonia 484

Tractatus decimus quintus.

De Novissimis.

De notione Eschatologiae 488
De novissimis singulorum hominum 489
De communione sanctorum 507
De consummatione saeculi 519

Appendix.

Modernismum abjurationis formula 532
Index rerum alphabeticus 533

Repetitorium theologiae dogmaticae.

Pars generalis.

Prolegomena.

Nr. 1. Theologiae vocabulum etymo graecum ex vocibus *θεὸς* et *λόγος* compositum est; unde vi nominis **Theologia** idem sonat ac sermo, cognitio, scientia de Deo; *λόγος* enim *verbum*, tum externum tum etiam internum, id est, cogitationem et *cognitionem* significat.

Ex hac nominis derivatione multiplex manavit ejusdem acceptio, et quidem in sensu stricto, lato, latissimo. In sensu *stricto* objectum est ipse Deus solus, scilicet Dei existentia, essentia et subsistentia; e contra in sensu *lato* objectum est Deus et res divinae, de quibus caeteroquin aperte agitur tantum, quatenus pertinent ad Deum, Dei existentiam vel finem in Deo, qui ergo semper est objectum principale. In sensu tandem *largissimo* vox Theologiae de quavis divinitate seu vera seu commentitia, et sub priori respectu ad omnia studia, quibus Theologus formatur et quae propterea Theologiae studiosis tradi solent, designanda adhibetur.

SS. Patres accipiunt theologiam in sensu stricto qua doctrinam de Deo eamque sic opponunt *Oeconomiae*, sub qua incarnationem Verbi Dei et opus redemptionis per Verbum incarnatum peractum intelligunt. Propterea distinguunt etiam in doctrina de Verbo incarnato dicentes: divinitatem verbi pertinere ad theologiam, humanitatem ad oeconomiam. Hac pressiori acceptione s. Joanni et s. Gregorio Nazianzeno nomen „theologi“ velut proprium tribui consuevit, quia ille prae caeteris Evangelistis Verbi divinitatem, hic vero prae caeteris Patribus dogma de SS. Trinitate luculentius expresserit et illustraverit.

Nr. 2. Ratione principii, ex quo procedit, **Theologia dividitur** in naturalem et supernaturalem vel revelatam. Veritates religiosas enim, quas Theologia

generatim sumpta exhibet, aut ex consideratione rerum naturae sive physicae sive moralis operationis, aut ex revelatione supernaturali depromit.

Theologia *naturalis* est doctrina scientifica de Deo procedens ex principio naturali, quod subjective ratio, objective principia rationis sunt; theologia *revelata* iterum est doctrina scientifica de Deo (et de rebus divinis) procedens ex principio supernaturali, quod subjective est fides, objective autem revelatio divina supernaturalis.

Theologia naturalis et supernaturalis ergo differunt ratione principii et objecti: Theologiae supernaturalis objectum latius patet quam illud theologiae naturalis; nam theologia supernaturalis praeter rationales etiam tales tractat notiones, quae absolute excedunt captum rationis, excedunt vires et exigentias omnis creaturae creatae et creabilis. Si enim veritates revelationis sic dictae materialis alii creaturae essent naturaliter cognoscibiles, revelatio non esset unicus modus, quo ad cognitionem eorum perveniri posset. Propterea quoque Conc. Vaticanum[1] duplicem distinguit cognitionem docens: „Duplicem esse ordinem cognitionis, non solum principio, sed et objecto distinctum: principio quidem, quia in altero naturali ratione, in altero fide divina cognoscimus; objecto autem, quia praeter ea, ad quae naturalis ratio pertingere potest, credenda nobis proponuntur mysteria in Deo abscondita, quae nisi revelata divinitus, innotescere non possunt."

Theologia *revelata* porro, pro diversitate revelationis verae aut ementitae, iterum v e r a est, ut Theologia Christiana, aut f a l s a uti Muhamedana et ethnica. Nemo est qui dubitet, nobis de priori duntaxat, quam solam veram esse demonstraturi sumus, sermonem instituendum esse.

Est autem *Theologia Christiana* systematicus complexus veritatum religiosarum, prout ex revelatione per Christum nobis facta desumuntur. *Dividitur* quidem in c a t h o l i c a m et a c a t h o l i c a m; cum vero, ut pariter Deo auxiliante evincemus, inter omnes religiones, quae Christiano censentur nomine, solummodo catholica unica

[1] Const *Dei Filius* cap. 4.

vera Christi religio sit, ad scopum nostrum et ipsam solam tractemus oportet.

Theologia catholica doctrinam religionis divinitus revelatam proponit, prout eam Ecclesia catholica profitetur, cui illam Christus Dominus conservandam et praedicandam tradidit.

Haecce theologia non tantum plenam eorum, quae ad religionem catholicam pertinent, analysin instituere, verum et prae omnibus veritatem religionis atque Ecclesiae demonstrare debet. Illud praestat Theologia specialis, quae in plures ramos abit; hoc autem Theologia generalis seu fundamentalis, quae illi viam sternit ejusque fundamentum constituit, a quo omnis ejus firmitas ac certitudo, omnisque fidei nostrae rationabilitas pendet, quamobrem inter disciplinas humanas Theologiae fundamentali primus sine dubio debetur locus.

Nr. 3. Exinde **Theologia fundamentalis** ea est Theologiae pars, *quae divinam originem* et auctoritatem *religionis Christianae* tamquam unicae religionis verae, a Deo per Christum revelatae, *atque Ecclesiae catholicae* tamquam unicae Ecclesiae verae, a Deo per Christum fundatae et a Spiritu S. singulari auxilio fultae ac rectae, *erudite*, i. e. clare, subtiliter et systematice, *demonstrat* ac contra adversarios tuetur, nec non Theologum, quomodo aliis de utraque persuadeat, instruit.

Proinde commode Theologia fundamentalis in duas partes dispesci potest, quarum

1ma demonstrationem Christianam,

2da demonstrationem catholicam complectitur, quam duplicem demonstrationem binis, et perinde totam Theologiae fundamentalis materiam quatuor tractatibus absolvemus, huncce in modum:

Cum *demonstratio christiana* sibi proponat ostendere religionem christianam eamque solam divinitus esse hominibus constitutam, prae omnibus perspectum habere debemus, revelationem supernaturalem, per quam religio christiana data perhibetur, esse possibilem et necessariam ac de ipsa nobis certo constare posse. Haec omnia, de quibus sermo fieri nequiret, nisi prius existentia Dei atque necessitas religionis verae generatim sit evicta, praestabit tractatus primus, qui jure meritoque theoria revelationis in genere vocatur.

Tractatus secundus, quem theoriam revelationis christianae appellamus, principia hactenus statuta ipsi nostrae religioni applicabit, quam contemplari debemus ut in Vetere Testamento praeparatam deindeque in propria forma existentem cum divinitatis signis, quibus refulget. Quoniam autem ad facta haec probanda insistimus praecipue sacris utriusque Testamenti libris, horum auctoritas in capite, hujus tractatus stabiliatur necesse erit.

Si demonstratio christiana eo spectabat, ut homo fieret Christianus: ita *demonstratio catholica* eo pertinet, ut Christianus fiat Catholicus. Cum enim notum sit gentes, quae christianae vocantur, in plurimas ac diversissimas confessiones seu Ecclesias esse divisas, quae omnes Christi religionem profiteri sese contendunt, tractatus tertius subjicitur, cujus est inquirere vel ostendere, quae sit vera Christi Ecclesia.

Introituris jam in hoc templum Dei vivi, veritatis christianae depositorium, prius adhuc nobis criterio opus est seu principio certo, quo doctrinam Christi genuinam ab adulterina secernamus. Quapropter tractatus quartus in demonstranda Regula fidei hoc principium nobis ostendet quasi lapidem lydium aut instrumentum, quo sicut verum aurum, ita vera materia fidei probatur.

Cum jam haec fidei regula, uti etiam Vaticanum[1] docet, duplici constet elemento: uno constitutivo et quasi materiali, quod est Verbum Dei tum scriptum tum traditum; altero vero directivo et quasi formali, quod est ejusdem verbi divini exhibitio per infallibile magisterium Ecclesiae docentis, disseremus propterea de infallibilitate Ecclesiae, dein de illo utroque principio materiali et formali, in fine autem de relatione fidem inter et rationem quaedam adjungentes, ut omnibus pateſiat eam fidem, quam Ecclesiae docentis auctoritas nobis proponit, non esse coecam vel, ut verbo ludunt, carbonariam, ac si sine ratione crederemus.

---

[1] Constit. *Dei filius* cap. 3: Fide divina et catholica ea omnia (et sola) credenda sunt, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia, sive solemni judicio, sive ordinario et universali magisterio, tamquam divinitus revelata credenda proponuntur.

Nr. 4. **Historia** theologiae fundamentalis, quam praemittere haud inutile erit, commode in quatuor potest epochas seu periodos dividi.

Licet disciplina nostra, quae multoties apologetica vocatur, cum ejus sit, veritatem religionis et Ecclesiae catholicae ut demonstrare sic et contra adversarios tueri, in formam systematicam recentioribus demum temporibus redacta sit: scripta tamen apologetica in gratiam illius scopi elucubrata, inde ab ejus origine numquam defuerunt, ita ut ejusdem aetatis ac Ecclesia catholica sit etiam Apologiae disciplina: idque eo magis, quod haec vox ipsa jam in SS. Libris N. T. nobis obvia est in illo Apostoli[1] monito: *Parati semper ad satisfactionem* (*ἀπολογίαν*) *omni poscenti vos rationem de ea, quae in nobis est, spe.*

α) In prima periodo, ab origine religionis christianae usque ad saeculum tertium, adversarios habuit religio Christiana Judaeos atque Gentiles. Quamobrem Apologetae hujus periodi primae in id praecipue vires intendunt, ut fidem Christicolarum in unum Deum verum adseverent, sententias deinde religionis christianae principaliores proponant ac vindicent, quae in sacris conventibus peraguntur describant, vitam Christianorum monstrent atque adversarios ad absurda et turpia religionis eorundem attentos reddant, convicia ipsorum in hanc potius retorquentes.

Praestiterunt id jam Apostolorum discipulus Barnabas nec non auctor ignotus literae ad Diognetum. Quos sequuti sunt scriptores *graeci:* Quadratus, Melito et praeprimis s. Justinus in utraque sua Apologia nec non in Oratione ad Gentes et Cohortatione ad Gentes; dein Tatianus, Athenagoras, Theophilus Antiochenus in suis Libris ad Autolicum tribus, ac Hermias in Irrisione gentilium philosophorum.

β) In periodo altera, a saeculo 3^tio^ usque ad medium aevum, quum hostes nominis Christiani jam rem ipsam religionis nobis divinitus donatae adorti sint, doctrinae praestantiam, porro miraculorum et vaticiniorum divinitatem atque Scripturae *ἀξιοπιστίαν* negantes ac insuper illam unicam causam malorum

[1] 1 Petr. 3, 15.

dicentes, quae tunc Romanum premebant imperium, Scriptores Christiani in scriptis suis ad has objectiones speciatim respiciunt, vel autem religionem nostram universim defendunt.

E. SS. Patribus, quos Deus Ecclesiae illis temporibus donaverat, nonnulli scripta magna apologetici tenoris exararunt, quibus omnibus s. Augustinus († 430) libro suo „de Civitate Dei" praecedit. Praeterea notatu digni sunt adhuc Origenes libris octo contra Celsum; Eusebius, qui Hieroclem in libro contra eundem refutavit, Cyrillus Alexdr., qui contra Julianum Apost. libros decem exaravit. Veritatem religionis Christianae generatim demonstrant jam dictus Cyrillus in Cohortatione ad Graecos et in Stromatum libris septem; Lactantius in Divinarum institutionum libris (pariter septem); Eusebius operibus suis, quorum unum „Praeparatio", alterum „Demonstratio evangelica" inscripsit; denique Theodoretus in libro „de curandis Graecorum affectibus". Adversus Judaeos autem hac periodo praeprimis Isidorus Hispalensis libros duos „adversus nequitiam Judaeorum" exaravit.

γ) In Periodo tertia per medium aevum religio Christi pugnam contra Judaeos prosequuta simulque novum hostem, Muhamedanismum, nacta est. Omnes hujus aetatis Apologetas, qui ceterum magis falsitatem Islami conantur ostendere, quam ut veritatem religionis Christianae directe demonstrent, praecellit Thomas Aquinas in sua Summa catholicae fidei adversus Gentiles, qua Apologiae systematis prima jecerat fundamenta.

Contra Muhamedanos scripserunt adhuc in *Oriente:* Joannes Damascenus ejusque discipulus Theodorus Abukara, porro Samonas Gazaeus et Joannes Cantacuzenus; in *Occidente:* Petrus Venerabilis, Nicolaus Cusanus, Joannes de turre cremata et Dionysius Carthusianus. Alii scripserunt contra Muhamedanos et Judaeos simul, ut laudatus Theodorus Abukara, Alanus ab insulis et alii. Non systematico quidem ordine, verum acri ingenio atque multa eruditione, insignis est Raymundi Martini „Pugio fidei" adversus Mauros et Judaeos. Insuper superior generalis ordinis Praedicatorum Raymundus de Pennaforte ansam dedit, ut in Hispaniae mona-

steriis hujus ordinis propriae scholae in usum linguarum orientalium addiscendarum crearentur, quo facilius uterque supradictus impugnari posset adversarius.

δ) Saeculo 15to, ex quo periodus quarta disciplinae nostrae communiter numerari solet studio artium liberalium in Occidente reviviscente Apologia prout et reliquii Theologiae rami methodo simpliciori et amoeniori tractari, nec non quoad argumentum perfici coepit.

Processerunt hacce epocha usque ad nostra tempora *hostes* Christiani nominis praeter Protestantismum, qui initio solummodo veritatem Ecclesiae catholicae impugnavit, in Anglia naturalismus seu deismus, solam religionem naturalem admittens; in Gallia materialismus et atheismus, omnis religionis necessitatem respuens, et in Germania rationalismus, revelationis materialis possibilitatem negans ac revelationi formali ad summum nonnisi aliquid utilitatis concedens, qui dein in ideotheismum, postea in autotheismum ac tandem in pantheismum, omnem revelationem supernaturalem destruentem, abiit.

Quum rebus sic stantibus scriptores Ecclesiae nostrae causam defendentes cum hostibus novis quotidie aliis aliisque prodeuntibus congredi atque in pugnis singularibus vires absumere cogerentur, continua sententiarum falsarum vicissitudine nec non perpetua saepius jam refutatorum repetitione, cognoverunt demum, consultius esse rem Christianam via, ut ajunt, positiva demonstrare et ad objectiones adversariorum diei nonnisi rei secundariae instar respicere.

Ad priores pertinent Melch. Canus opere suo de locis theologicis; Rob. Bellarminus, qui disputationes de controversis fidei Christianae scripserat; Hugo Grotius et Dan. Huetius, quorum ille de veritate religionis christianae librum, hic Demonstrationem evangelicam exaraverat.

Partes singulas hoc modo a singulis praeparatas in unum colligere sicque Apologeticam scientificam exarare coepit medio abhinc saeculo 18mo *omnium primus* Gerbertus O. S. B., qui 1760 Demonstrationem verae religionis scripserat. Quem sequuti sunt Stattler, Beda Mayr, Steph. Wiest, Staudenmaier, Drey, Ehrlich, Liebermann, Klee, Perrone, ac tempore

recentiori Albertus a Bulsano[1] in primo suarum Institutionum Theologiae dogmaticae tomo, dein Reinerding, Schwetz, Sprinzl, Zigliara cum sua Propaedeutica in sacram theologiam et J. V. de Groot cum Summa Apologetica ad mentem S. Thomae Aquinatis.

Saeculo 19no et nunc hac nostra aetate Theologiae fundamentalis muneri apologetico nova exoriebantur opera, partim illis temporis praeteriti communia partim vero demum e nostri aevi moribus ac sentiendi cogitandique rationi propria, puta: errores materialismi, monismi, positivismi nec non modernismi deliramenta; falsas de rerum naturae doctrinas uti etiam rationalismi devastationes quoad sacrorum librorum exegesin criticaque studia.

His aevi nostri peccatis mederi conantur autorum libri plus minusve omnes, qui rei apologeticae inservientes saeculo nostro 20mo edebantur.

---

[1] Hujus auctoris, qui fuit aliquando lector, dein Definitor generalis Ord. Cap. ac nomine suo gentilitio Knoll audiebat, opera, magno cum ingenio, cum eximia perspicuitate simul et subtilitate conscripta, nobis praesto sunt in nova editione duplici, quarum altera Augustis Taurinorum opera Eugenii Morandi, altera vero Brixinae opera Norberti a Tux, ejusdem Ord. Cap. religiosi, recognita est.

Tractatus primus.

Theoria revelationis in genere.

Sermo erit: 1. de Deo ejusque existentia; 2. de religionis indole et necessitate; 3. de revelationis possibilitate; 4. de revelationis cognoscibilitate.

De Deo ejusque existentia.

Nr. 5. *Dei* **nomine** intelligimus Ens summum, quo nihil melius aut perfectius esse vel cogitari potest, cujus proin idea includit in se absolutum esse.

Non autem semper Deus, sicut hic describitur, ita etiam formaliter concipitur; sed saepe venit sub conceptu supremi rerum omnium Domini, vel primae causae ac entis supremi, vel spiritus absolute perfecti, qui rationem suae existentiae in sua infinita natura et rerum reliquarum omnium, scilicet mundi tum physici tum moralis, in voluntate sua habet, ideoque mundi physici Creator, Conservator, Gubernator, mundi vero moralis Legislator, Moderator et Judex est.

Notio Dei nobis innata seu ingenita dici potest, sed eatenus tantum, quatenus per habitum innatum principiorum facile et naturali quadam pronitate ad efformandam ideam de Deo perducimur. Notionis Dei comparandae facilitatem testantur Scriptura et Patres: e. gr. Job. 12, 7: *Interroga jumenta et docebunt te; et volatilia coeli et indicabunt tibi, et narrabunt pisces maris. Quis ignorat quod omnia haec manus Domini fecerit?* Tertullianus[1] ex testimonio animae Deum esse comprobans, postquam observavit ab ipsis gentilibus in augustiis Deum unum nominari, exclamat: „O testimonium animae naturaliter christianae!“

[1] Apolog. 17.

Existentia Dei est prima veritas in ordine ontologico, seu in ordine entium, juxta quem unum ens dependet ab altero, siquidem existentia Dei est id, in quo omnia entia fundantur. Non est tamen prima in ordine logico seu cognitionis nostrae, juxta quem cognitio unius entis in nobis ab alterius cognitione dependet. Nam, ut ait s. Thomas,[1] Deus non est primum, quod a nobis cognoscitur; sed magis per creaturas in Dei cognitionem pervenimus.

Nr. 6. Dei **existentia** propterea quoque ex ratione **demonstrari potest** demonstratione illa, quae **a posteriori** vocatur.

Triplex enim distinguitur demonstrationis species: 1. a priori, quando effectus per suam causam vel quasi causam, id est rationem intrinsecam probatur; 2. a posteriori, dum causa ostenditur per effectum; et 3. a simultaneo, cum demonstratur res per aliquod sui attributum.

Cum demonstratio a priori *ea sit, quae fit per causas rei, quae demonstratur, Deus vero nullam habeat suae existentiae causam, quia est ens a se, sequitur nullam dari demonstrationem a priori. — Argumenta petita ex idea Dei et entis necessarii dici possunt demonstrationes* a simultaneo, *et hae passim ut inefficaces a compluribus habentur, Angelicum doctorem secutis.*[2] *Eo efficacius autem existentia Dei* a posteriori, *hoc est per creaturas, praesertim collective sumptas, demonstratur, respectu habito ad principium causalitatis, cui omnia, quae pro Dei existentia adduci solent argumenta, licet diversimode, innituntur.*

Homo enim, respiciens mundum et quae in eo sunt, juxta illud causalitatis principium cognoscit, omnia haec causam existentiae suae habere debere. Siquidem porro res, quae in mundo conspiciuntur, sub hoc vel illo respectu considerari possunt, multiplex via naturaliter ad Dei existentiam ascendendi expanditur, varia ergo argumenta ad Dei existentiam probandam nobis praesto sunt: *cosmologicum*, si mundi contingentiam, finitatem et mutabilitatem respicimus; physico-

[1] P. I q. 88, art. 3 in corp.
[2] P. I. q. 2, a. 1.

theologicum seu *teleogicum*, si ordinem in mundo consideramus; *psychologicum* et *ethicum*, si hominem et ordinem moralem, *historicum*, si consensum populorum de existentia Dei ante oculos ponimus. Hisce tandem asseritur argumentum sic dictum *ontologicum*; quod, licet fiat a simultaneo, tamen aequo plus a recentioribus sperni consuevit.

Licet idea Dei in supra dictum modum homini innata sit, nihilominus **argumenta pro Dei existentia superflua non sunt;** inserviunt potius duplici fini: una ex parte, ut dictamen illud sensus naturae communis scientifice quoque evolvatur sicque ad majorem claritatem et certitudinem evehatur; ex altera vero parte, ut simul constet nihil sanae rationi magis adversum esse quam atheismum, quem qui profitetur, desipiat necesse est.

Nr. 7. **Argumentum ontologicum,** nomen suum exinde habens, quod ex idea Dei reali ad Dei realitatem concludere vult, per temporis decursum triplicem nactum est formam, prouti naempe primum ab Anselmo Canterburiensi, deindeque per philosophos Cartesium et Leibnitzium evolvebatur.

Antequam tamen argumentum hoc exponamus, non abs re erit, notiones τοῦ possibilis et impossibilis atque τοῦ necessarii et contingentis praemittere.

Possibilitas *triplex distinguitur: logica, realis et moralis:* Logice *possibile est id, quod cogitari potest, seu quod in conceptum (notionem) junctum cum se ipso non repugnat;* realiter, *i. e. objective possibile est omne id, quod existere potest vel α) in se seu metaphysice, cum partes singulae, quibus constituitur, secum non repugnant, vel β) relate ad causam efficientem, cum vires hujus causae non excedit, vel γ) relate ad causam effectum recipientem, cujus recipiendi haec non est incapax;* moraliter *possibile et quidem in abstracto, est, quod lege morali fieri permittitur; vel vero in concreto et quidem α) in sensu strictiori, quod pro indole morali alicujus entis intelligentis facile fieri potest; β) sensu tamen latiori omne id, quod sine magna difficultate ab ente aliquo rationali, considerata etiam natura ejus nonnisi physica, fieri potest.*

Necessarium *vel explicatius absolute necessarium illud dicitur, quod pro sua natura ac indole existere debet, ita ut non exstare prorsus non possit; e contra illud, quod pro sua natura seu essentia existere et non existere potest, contingens dicitur.*

His praemissis facilius intelligitur argumentum ipsum, quod jam s. Anselmus sequentem in modum concinnaverat.

Omne ens verum, i. e. quod in se consideratum impossibile non est, pro sua natura aut necessarium aut contingens est. Ens autem infinitum possibile et verum esse, et quidem non tantum logice sed et realiter ac objective, evidens est, cum attributa, quibus essentia entis perfectissimi constituitur, quia sunt pariter infinite perfecta, secum invicem nequaquam pugnent. Quapropter ens infinitum, prout omne ens verum, pro sua indole, in se consideratum, aut necessarium aut contingens sit necesse est. Atqui ens perfectissimum, recte ideo, quoniam perfectissimum est, contingens, quod ex altero pendeat et propterea limitatum sit, esse, immo cogitari prorsus non potest, hinc necessarium est. Ens vero, quod est necessarium, non potest non existere; ergo Deus, qui est ens perfectissimum, existere debet.

Serius philosophus Cartesius *hac in re brevius sic argumentabatur: Si Deus non existeret, tamquam non existens etiam cogitari posset. Verumtamen Deum, utpote ens infinitum, tamquam non necessarium et hinc non existentem, dummodo sat claram Dei notionem teneamus, mente concipere haud valemus. Deus itaque non existens et non necessarius est nonens, sicque prorsus esse nequit, ut Deus non existat.*

Leibnitz *denique putabat, argumento ontologico in Cartesiana forma existentiam infinite perfecti entis hac tantum conditione evinci, si prius illius possibilitas demonstratur. Haec autem exinde apparet, cum enti infinite perfecto realitas insit nullumque ens reale qua tale alii enti repugnet. Quod vero alii enti non repugnat, possibile dici debet. Ens summe perfectum, cum sit possibile, eo ipso etiam realiter existit: si enim non existeret, tunc simul possibile non esset; nam produci non posset, quia ens infinitum neque unquam causa aliqua producente*

indigere neque ab aliqua causa productum esse potest, quia alioquin ens independens, illimitatum ac infinitum haud esse posset. Ergo Deus, qui est ens absolute perfectum, necessario, et quidem a se ipso, existere debet.

Non immerito contra hocce argumentum objicitur: a posse ad esse conclusionem non valere, et perfectionem ratione existentiae confundi commutarique cum perfectione ratione essentiae. Propterea ejus vis adhuc corroboranda est reliquis argumentis, inter quae celeberrimum dici debet

Nr. 8. **Argumentum cosmologicum,** quod ex ordine metaphysico ducitur, et mundum universum seu macrocosmum ex rerum contingentia, finitate et mutabilitate respiciens Deum existere concludit. Exinde quoque triplicem prae se fert formam.

1. Res in mundo sunt contingentes = *a)* sunt causatae in suo esse et *b)* non sunt necessariae, propterea existere possunt et possunt etiam non existere.

α) Res, quae in mundo sunt, hominibus non exceptis, non ex se et per se ortae, sed per alias causas sunt productae. Hae causae iterum aut sunt ex se, aut ab alia tertia re dependentes sunt productae. Sicque series rerum causatarum simulque causantium quam maxime quidem prolongari potest, numquam autem hanc seriem infinitam praedicare possumus, cum infinita series causarum finitarum actu existere nequeat. Huc porro accedit, quod experientia testante singula rerum organicarum genera vel species non nisi aliquid sibi simile aut par producere possunt; hinc necessario tot series infinitae causarum diversarum finitarum assumendae essent, quot sunt genera vel species. In hac affirmatione autem absurdissima inclusa est sententia, infinitum multiplex esse posse. Quod cum esse nequeat, ultimo assumenda est causa adaequata et primaria omnium rerum, quae ipsa habet esse ex se et in semetipsa et cum aliis rebus deinde esse participavit, i. e. eas procreavit.

β) Res, quae in mundo sunt, porro, uti exhibet nobis quotidiana experientia, non sunt necessariae, i. e. existere possunt, et possunt non-existere, sunt contingentes sensu strictiore. Homini ipsi propria persuadet conscientia, se minime absolute necessarium esse, idem-

que merito judicat tum de aliis sibi aequalibus tum maiore cum iure de irrationalibus et inanimatis. Nullus dies, quo non res novae producantur et existere incipiant, nullus dies, quo non innumerabiles res corrumpantur et evanescant. Si autem res essent necessariae, semper existere deberent. Hinc cum possint existere et possint non-existere, requirunt causam, quae illas in suo esse aliquando constituit. Et si iterum placeat maximam seriem causarum contingentium assumere, tandem tamen, quia infinita series est impossibilis, statuenda est causa absolute necessaria uti causa adaequata et primaria, quae ex se semper extitit et exsistit.

2. Res in mundo sunt finitae non tantum ratione existentiae sed etiam ratione essentiae. Una res aliâ quidem saepe est perfectior, omnes autem res etiam perfectissimae finitam tantum perfectionem exhibent. Ex utroque patet, res perfectionem non habere ex se, vi essentiae, sed eam aliunde participasse. Si enim haberent perfectiones vi essentiae, tunc in omnibus pares esse deberent eatenus, quatenus illis eadem competit essentia. Ex eo autem, quod perfectio in diversis est diversa, in omnibus autem ideo finita et limitata, quia nil imperfecti pro se existit, sequitur eo ipso, hanc perfectionem iis aliunde fuisse datam, esse perfectionem participatam ab ente, quod infinita gaudet perfectione. Hinc tale ens infinita pollens perfectione revera existere debet.

3. Res mundanae denique sunt mutabiles, ab uno statu in alium transire possunt. Quidquid vero movetur, ab alio movetur. Causa mutationis in solis rebus non potest esse posita. Si enim totam causam determinationis, quae ex mutatione oritur, in se solis haberent, determinationem istam non demum accipere possent sed iamiam haberent. Hinc res dependent a causa externa movente et mutationem causante, quae res necessario ipsa est immutabilis. Quodsi ergo res singulae in mundo sunt contingentes, finitae, mutabiles, et propterea causam ultimam absolutam, necessariam, infinitam, immutabilem requirunt, ut existentia et essentia earum explicari et intelligi possit, certe mundus ipse, qui est nonnisi summa singularum rerum seu compositio, easdem qualitates et notas contingentiae

sc. finitatis et mutabilitatis prae se ferre debet, quoniam ex contingentibus non exurgere potest necessarium et incausatum, ex finitis nil oriri infiniti, ex mutabilibus non potest componi immutabile. Hinc mundus quoque praefatam ultimam causam clamat, et hanc ipsam causam Deum appellamus.

Deus autem necessario ut *ens personale* nobis est praedicandus. Nam α) in mundo praeter inanimata et irrationalia existunt etiam entia rationalia, personalia, homines. Cum autem nil sit in effectu, quod non fuerit in causa, certe ens, a quo ducit homo personalis originem, personalitate gaudere debet. β) Praeter hunc mundum, qui revera existit, alii mundi complures certe in se possibiles fuissent, certeque est causa, cur hicce mundus et non alius creatus fuerit. Haec causa autem non potest esse sita in ipsis rebus mundanis utpote contingentibus, sed posita esse debet extra mundum et quidem non nisi in ipsa causa mundi suprema ita quidem, ut Deus e compluribus mundis possibilibus huncce realiter existentem elegerit. Omnis electio autem praesupponit cognitionem et voluntatem; ergo ens supremum seu Deus hisce pollere, hincque personalis esse debet.

Porro *Deus transscendentalis haberi debet*, estque efnas cum pantheistis Deum tantum sumere ceu causam mundo immanentem. Mundus quidem certe quandam similitudinem Dei prae se fert; nam nil est in effectu, quod non fuerit aliqualiter in causa. Haec similitudo autem non ita potest intelligi et amplificari, ut Deus cum mundo prorsus identificetur, et si nihilominus in systemate pantheistarum Deus uti causa immanens cum mundo confunditur, aut contingentia mundi evanescit aut esse absolutum Dei periclitatur. Uti in antecedentibus patefactum est, mens nostra, ne inquirens causam rerum stet in media via, necessario seriem causarum contingentium, finitarum et mutabilium egredi et ad causam absolutam, necessariam, infinitam simul ac immutabilem ascendere, i. e. Deum transscendentalem assumere debet.

Nr. 9. **Argumentum physico-theologicum** seu teleologicum, cujus auctor Anaxagoras, qui primus omnium ex mundi ordine physico existentiam intellectus, ordi-

nantis concludebat, fuisse dicitur, iterum praeprimis personalitatem entis supremi, quod necessario existere debet, evincit sequentem in modum:

Quocumque in mundo oculos vertamus, ubique et in omnibus conspicimus pulcherrimum ordinem, mirabilem summumque concentum singularum rerum ad certos fines, summam conspirationem ad certa consilia. Unde, quaerimus merito, hicce ordo, unde concentus finalis? Sicuti in antecedente argumento quaestio movebatur de causa efficiente mundi, ita nunc agitur de causa finali, et perscrutatio huius quaestionis denuo exhibebit certitudinem, existere Deum personalem, qui omnia in hoc mundo disposuerit et ordinaverit.

Ordo supra laudatus in mundo conspicuus non casu fortuito existere potest. Licet enim semel atque iterum aliquid certo fini conveniens casu evenire possit, tamen dispositio omnigena ad certos fines, concentus et conspiratio singularum rerum ab invicem maxime diversarum explicari nequit, nisi assumamus causam intelligentem, causam ergo personalem ordinantem. Haec causa ordinans autem non potest esse ens personale finitum. Nam ordo in mundo non est mere accidentalis sed substantialis seu essentialis, qui ergo in ipsa interna conditione et qualitate rerum fundatur. Exinde sequitur, quod qui illum ordinem posuerit, naturam singularum rerum optime nosse debuit. Hoc autem non potest praedicari de ente intelligenti finito, a quo res singulae sunt prorsus independentes, quod essentia rerum quoad maximam et principalem partem omnino fugit; hinc credere debemus existere ens infinitum, rationale ac intelligens, a quo ordo in mundo originem sumpserit. Hocce ens infinitum autem et personale est Deus, qui omnes ac singulas res iuxta liberum suum arbitrium cum propriis qualitatibus et viribus in suo esse fundavit simulque ordinem mirabilem illum ubique conspicuum naturae rerum convenientem statuit.

In argumento cosmologico causas efficientes, in teleologico causas finales respicientes hucusque macrocosmum consideravimus. Nunc jam animum ad microcosmum attendentibus ante omnia

Nr. 10. **Argumentum psychologicum,** ex hominis

facultate intelligendi vel cognoscendi haustum, de existentia Dei persuadet.

Homo gaudet intellectu et cognitione, ita ut varias res cognoscere, earum naturam perspicere, immo etiam se supra ea, quae in mundo apparent, cogitando evehere possit. Attamen intellectus noster dependens est et finitus: α) Homo conditionem et perfectionem intellectualem nonnisi ab extra praeprimis ab aliis iam eruditis et educatis capere potest; β) in cognitione dependet ab objectis externis et eatenus tantum veritatis cognoscendae capax est, in quantum naturam rerum perspicere potest, cum e contra spiritus absolutus omnia ex sua essentia nosse deberet; γ) obnoxius est variis erroribus multisque dubiis; δ) cognoscit et agnoscere debet veritates necessarias semper et ubique valentes etiam tum, si intellectus humanus eas non cognosceret vel existere prorsus desineret. Tales veritates sunt logicae, mathematicae, metaphysicae et morales, principia per se nota, quae unicuique ubi primum ea cognovit, ceu vera apparent, fundamenta omnis cognitionis, iuxta quae mens finita intelligens se formare et dirigere debet, ut cognitio sua sit rationalis et libera ab erroribus. Omnia haecce testantur, hominis intellectum esse finitum tum in cognoscendo tum in suo esse. Intellectus enim, qui est a se, non indiget eruditione ab extra, sed omnia vi essentiae cognoscit. Quodsi autem intellectus humanus est dependens et finitus hinc que causatus, existere debet spiritus infinite perfectus, a quo mens nostra creata fuerit et dependeat, et hicce spiritus infinite perfectus est Deus, intellectus purus et absolutus.

Caeterum hujus argumenti pluribus sequens arridet modus:

Omnibus perspicuum est, veritatem tam certo existere quam nostra mens eius cognoscendae capax est et studiosa. Ast veritas non fundatur in nostra ratione. Veritas existit, antequam eam inquirere et investigare possimus vel etiam velimus. Veritas est quasi lex cognitionis nostrae, quae est ante et supra intellectum humanum et sine hoc quoque necessario perdurat et permanet. Veritas autem etiam non fundatur in rebus seu objectis, quae cognoscuntur, cum res sint contingentes,

veritas autem sit necessaria. Ratio nostra veritatibus praedictis necessariis assensum praebet absolutum, et exinde patet existere veritates ideales, ab actualibus rebus independentes, quae quidem in mente humana refulgent et in rebus elucent, originem autem et fundamentum in hisce non habent.

Cum autem veritas non existat pro se, sed non nisi in aliqua ratione et in spiritu, cuius est idea propria, existere debet summa ac suprema aliqua ratio, quae sit ante et post et supra rationem finitam et individualem hominis, in qua positae sint et requiescant infinitae veritates, quae ex parte tantum in objectis sunt obviae et rationi humanae innotescunt. Haec autem suprema ratio est Deus, fons omnis luminis, ipsa veritas aeterna.

Nr. 11. **Argumentum ethicum.** notum praeprimis SS. Pátribus, tamen per Kantium demum philosophum illustre factum, ducitur ab existentia legis atque ordinis mundi moralis sequentem in modum.

Sicuti *hominis* intellectus ita quoque *voluntas* eius *finita est* et dependens. Homo natura et necessario studet perfectioni et felicitati, et quidquid illi videtur hisce inservire, ceu bonum appetibile assequi conatur. Attamen homo, ubi primum studium praedictum appetitus concupiscibilis oritur, conscius sibi fit legis cordi suo insitae, cuius dictamine quaedam ut moraliter bona appetere, alia vero ceu moraliter mala aversari adigitur[1]. Haec lex uti norma invertibilis et ineluctabilis liberarum hominis actionum non in ipsius hominis voluntate est fundata, acsi homo ipse sibi illam dedisset. Propria uniusciuisque conscientia perhibet, non semel atque iterum sed iteratis vicibus legem naturae nostrae concupiscibili adversari et tunc saepissime obedientiam ac subiectionem voluntatis nostrae exposcere et efflagitare, cum appetitus nöster ex se in adversa prorsus nitatur.

---

[1] Haec cuivis homini insita lex, ut omnes sciunt, conscientia vocatur, quae caetoroquin distinguitur qua actus judicii et sic dicta *synteresis* seu habitus primorum principiorum moralium. Intellectus etenim humanus habet magnam facilitatem cognoscendi prima dictamina moralia, quibus actiones liberae reguntur e. gr. bonum esse faciendum, malum vitandum, parentes colendos, servanda promissa etc. Haec nunc facilitas vocatur synteresis.

Haec lex porro non tantum praecipit sed transgressorem simul damnat et vocem eius nec vehementissimae concupiscentiae nec effrenatae libidines nec intumescentes passiones silere facere possunt. Ecce gravissima argumenta, hanc legem non ab ipso homine originem ducere, qui certe eam naturae suae concupiscenti accomodasset; aut si postea tandem adimpletio facta fuisset impossibilis vel potius difficilis et molesta, eam abrogasset aut immutasset. Certe etiam ab aliis nobis non est imposita; nam ex una parte quilibet huic legi est obnoxius et ex altera nos obligatos scimus etiam, quando vel ubi a nullo homine animadvertimur. Insuper omnis lex superiorem clamat auctoritatem. Quae est ergo ista auctoritas?

Sicuti veritas in suprema ratione fundatur, sic lex quoque a suprema voluntate nobis insita esse debet, et sicuti quaelibet lex personalem legislatorem supponit, ita lex moralis quoque supremum legislatorem personalem exposcit. Existit ergo Deus, qui cum hominem creaverit, cordi eius voluntatem suam uti legem moralem inscripsit.

Haec lex, uti supra dictum est, semper subiectionem voluntatis nostrae flagitat, ut bona semper faciamus, mala vero omittamus, licet priora nobis sint molesta, haec vero videantur iucunda et accepta sint; damnat porro eum, qui temere eam transgreditur, et conscientia dulci et suavi beat eos, qui sub maximis quoque difficultatibus eam observant. Cum autem lex non nisi sit effluxus voluntatis divinae, testimonium simul perhibet de sanctitate et justitia supremi legislatoris, qui ipse bonum supra omnia amat, malum autem semper ac infinito odio aversatur.

Adiici potest hic alterum argumentum ex remuneratione iusta, quae bonis et malis debetur, deductum. Conscientia enim nostra intima exposcit, ut ille, qui legem moralem semper observaverit, mercedem iustam accipiat, maleficus autem, qui legem istam saepissime conculcaverit, poenam promeritam sortiatur. Cum autem haecce in terris hoc minime semper fiat, immo e contra iustus ac bonus laboret et opprimatur, nefarius autem in fortunis et deliciis versetur, speramus merito ac optimo iure, fore, ut post hanc vitam uni-

cuique fiat secundum meritum vel demeritum merces vel poena. Ordo moralis certe non sine fine constitutus est. Hinc iam ex eo, ne ordo moralis fine suo frustretur, retributio illa finalis exposcitur. Existere ergo debet supremus iudex omnium hominum, qui omnia illorum facta optime sciat et ad amussim ea aestimet singulisque deinde mercedem et poenam retribuat. Existit ergo Deus, qui uti legem moralem dedit, simul observationi eius invigilat et olim ut judex iustissimus ac sanctissimus ordinem laesum restituet.

Nr. 12. **Argumentum historicum** denique, depromtum ex sensu seu consensu communi et fide perpetua atque constanti omnium gentium, omnium temporum, confirmat adhuc quod antecedentibus argumentis ex consideratione mundi generatim et hominis speciatim deduximus et probavimus.

Sicut jam Cicero[1] annotaverat, nulla est gens, neque tam immansueta neque tam fera, quae non, etiamsi ignoret, qualem Deum habere deceat, tamen habendum sciat. Hic constans et communis consensus in assumendo ente supremo seu Deo certe causam sufficientem et constantem exquirit. Haec autem non nisi in natura rationali hominis posita esse potest; nam haec unica ubique et semper est una eademque omnibus hominibus omnium saeculorum communis. Si autem consensus ille in rationali natura humana nititur, tunc veritate niti debet, cum non liceat assumere rationem humanam omnes homines omnium temporum in errorem eundem simul adducere potuisse; secus enim, si hoc esset possibile, omnis certitudo cognitionis in quaestionibus fundamentalibus nobis evanesceret. De quo autem natura omnium consentit, ait idem Cicero,[2] hoc verum necesse est, parique modo S. Thomas:[3] „Quod ab omnibus dicitur, impossibile est totaliter esse falsum: falsa enim opinio infirmitas quaedam intellectus est. Defectus autem per accidens est, non potest esse semper et in omnibus."

Nr. 13. Ex argumentis pro Dei existentia modo allatis haud difficulter falsitas cujusvis **sententiae**

[1] De leg. I, 24.
[2] Cicero de nat. deor. I, 17.
[3] C. Gentil. II, 34.

oppositae dignosci potest, ad quas praecipue sequentes pertinent:

1. **Atheismus,** qui generatim negatio seu non agnitio Dei definiri potest, est duplex: atheismus practicus, quo quis ita se gerit, quasi nullum agnosceret ac reformidaret Deum, et atheismus theoreticus, qui dicitur *scepticus*, si existentiam Dei in dubium vocat, *dogmaticus* autem si insuper argumentis, Deum non existere, demonstrare conatur.

Cum Dei existentiae veritas tam facile occurrat, certum est neminem posse, saltem diu, invincibiliter atheismo mentis addictum esse; eorum autem, qui vel actione vel corde athei sunt, fundamentum unicum est cupiditas, vitiorum omnium foecunda radix, cui quilibet deserviens nullum Deum esse exoptat et sibi persuadere cupit et desiderat.

2. **Materialismus,** seu commentum illud, quo statuitur, omnia, quaecunque existunt, e materia absolute necessaria et aeterna casu coeco esse nata atque omnia, quaecumque fiunt etiam per homines, effectus esse corporum motibus productos.

Insulsus dicendus est materialismus; statuit enim: *α)* materiam esse absolute necessariam et simul mutationibus fortuitis, quae in ipsa materiae natura rationem non habeant, adeoque non necessariis obnoxiam et imperfectam, quod manifeste locum habere non potest, quia, quod necessarium est, non necessarias mutationes admittere nequit atque infinite perfectum sit necesse est; *β)* ordinem in rerum natura ubique conspicuum, qui, ut vidimus summam arguit rationem et sapientiam, casui coeco attribuendum esse.

Ex altera autem parte simul quam maxime perniciosum se ostendit omnem rationem et libertatem nec non legem moralem nobis insitam negans. Etenim: *α)* cum una tantum statuatur substantia et quidem contra testimonium uniuscujusque nostrum, tollitur discrimen inter materiam et spiritum et propria singulorum personalitas; *β)* idea Dei destruitur et religio Dei perditur; *γ)* tollitur libertas hominum, ut non detur imputatio actionum, non virtus, non vitium, nullum jus, nullum officium; evanescit tandem *δ)* omnis moralitas, cum jam negetur immortalitas, simulque beatitudo

et felicitas terrestris consequenter qua supremus finis hominis praedicetur. Vae societati humanae, si tam pestifera placita omnibus probarentur!

3. **Pantheismus,** qui contendit Deum esse omnia et omnia esse Deum. A priore materialismi errore eo tantum differt, quod saltem verbis spiritualitatem Dei non neget, sed spiritum divinum substantiam mundi esse ponat.

Pantheistae alii sunt veteres, alii recentiores. Veteres omnes admittunt pantheismum quemdam realem, quem in unitate substantiae objectivae reponunt. Sunt enim vel *hylozoistae,* adstruentes aeternitatem materiae animatae et improductae, quae caeterarum rerum principium sit; vel *emanatistae*, naturam totam ex Dei substantia, ut filum ex aranea prodiisse delirantes. — Recentiores pantheistae, quorum agmen ducunt Spinoza et Kántii discipuli nec non Fichte, Schelling, Hegel, in realistas et idealistas dividi possunt. *Realistae* unam dari substantiam statuunt, cujus infinitae sunt manifestationes, determinationes seu modificationes particulares; *Idealistae* Deum esse universalitatem idealem affirmant.

Nemo, qui sanae est mentis, pantheismo adhaerebit; nam Deum, etsi non sit a mundo exclusus utpote omnibus rebus contingentibus non tantum sua operatione ac virtute sed etiam tamquam ens simplex sua substantia intime praesens seu inexistens, tamen supra- et extramundanum esse jam inde clarissime patescit, quoniam Deus, ut vidimus, est ens absolutum seu necessarium, aeternum, immensum ac infinite perfectum; mundus vero cum omnibus ad ipsum pertinentibus contingens, temporalis, limitatus ac per omnia imperfectus et finitus. Accedit, negato discrimine inter Deum et mundum, discrimen quoque inter materiam et spiritum hujusque substantiam simplicem et immortalitatem negari; porro necessitate absoluta statuta libertatem arbitrii merendique facultatem tolli, et hinc una omnem nostram dignitatem moralem proculcari, Deumque omnium nostrorum operum non tantum bonorum sed et malorum, summorum criminum ac scelerum, auctorem seu causam efficientem statui.

1. **Dualismus** seu error eorum, qui duo summa

principia seu duo numina sibi contraria statuunt. Hujusmodi fuerunt Aegyptii, qui nomine Isidis et Osiridis; Persae, qui nomine Oromasis et Ahrimanii duo principia colebant; porro haeretici Gnostici, inter quos celeberrimi sunt Manichaei, qui in Asia exorti et primum commorati, deinde etiam in Occidente sub Albigensium et Catharorum nomine diu perdurarunt.

Falsitas Dualismi evidens est; nam si duo existerent numina divina sibi aequalia, in se invicem agendi potestatem haberent aut non haberent. In utroque autem casu sive unus sive alter sive uterque illimitatus non esset. Ex eadem causa falsus est etiam

5. **Monismus,** ea sentiendi ratio, quae pro causa cujusvis entis unum solummodo statuit principium, in eo sensu, ut omne ens sive physicum sive psychicum in sua essentia vel in suo esse sit unum idemque, ab altero tantummodo extera specie discrepans *(ἕν ἐστι καὶ πᾶν)* et hoc in suo esse unum sit simul causa sui, ergo Deus, qui igitur mundo immanens est, mundus autem nil quam divinae naturae evolutio vel emanatio.

Monismus plenus est internis discrepantiis; repugnat etenim conscientiae, quam anima nostra habet de suis actibus intellectivis (widerspricht unserem Ichbewußtsein), evertit individualitatem nostram, delinquit versus legem causalitatis, cum e causa imperfecta proficisci contendat per se perfectum, tollit omne discrimen inter bonum et malum ignorans omnem moralem pietatem et conscientiam. Ex hac sentiendi ratione omnia sunt unum idemque: aeternum et temporale, infinitum et finitum, unum et multum, spirituale et materiale.

6. **Polytheismus,** qui plures admittit Deos. Caeterum de illo historice haec duo constant: *α)* polytheismum licet antiquissimum esse tamen monotheismo posteriorem ejusdemque corruptelam; *β)* Ethnicos passim polytheismi proprie dicti reos fuisse vel plura numina colendo vel idolis visibilibus cultum absolutum, aut ad falsos deos relativum tribuendo.

Haec posterior assertio adversus Protestantes ponitur et quosdam neotericos audaciores. Protestantes enim, ut cultum SS. Imaginum apud Catholicos vigentem tamquam idololatriam traducerent, dixerunt Ethnicorum idololatriam et Israelitarum, cum Baalim adorarent, non

aliud quam cultum veri Dei, licet relativum, fuisse, et Israelitas tantum eo peccasse, quod contra legis vetitum imaginem Dei venerarentur. — Neoterici autem quidam perperam atfirmarunt: Ethnicos pluralitatem deorum minime admisisse, eosque idola solummodo ut unius veri Dei simulacra coluisse, quae Neoterici ideo excogitarunt, ut *consensum communem* generis humani in unius veri Dei unitate admittenda adstruerent.

7. **Ideotheismus** denique, qui secundum Kant ejusque asseclas Deum ens objectivum et reale ad summum postulatum rationis practicae docet, quin ratio theoretica ejus objectivam et realem existentiam cognoscere possit; et **Deismus** seu sententia, quae Deum haud personalem causam efficientem vel creatorem rerum esse contendit hancque causam eatenus tantum personalem dicit, quatenus, ut fertur, in homine ad sui conscientiam eluctatur.

Sub deismo tamen non semper idem intelligebatur. Primi enim, qui Deistae appellari volebant, deum personalem agnoscebant, solummodo revelationem supernaturalem impugnantes; posteriores autem etiam providentiam, alii specialem dumtaxat, alii vero omnem inficiati sunt, in naturalismum et atheismum prolapsi.

Doctrina de Deo vivo et personali exadversus placitum deismi *theismus* appellatur.

8. **Modernismus,** qui error est aetati nostrae peculiaris. Cum sit valde periculosior fidei catholicae ac veritati revelatae quam omnes supra adhuc usque enumeratae falsae doctrinae, opus est, ut disceptemus de ipso peculiari dissertatione.

Nr. 14. Nomine Modernismi denotatur in genere illud pravum tentamen contendens exaequare Christi religionem cum hujus nostrae aetatis sentiendi ratione.

In sensu latiore sumptus vocatur Modernismus in vita licet non ex principio tamen revere praestita inclinatio versus illam hujus aetatis sentiendi ac vivendi rationem, quae doctrinis ac legibus fidei et morum ecclesiae catholicae noxia ast eisque adversatur magis minusve.

In sensu demum strictiori est **Modernismus** theologicus seu dogmaticus illud ultimis decenniis excultum philosophico-theologicum doctrinae systema,

quod nil aliud est quam tentamen veritates theologiae dogmaticae principiis philosophiae Kantianae accomodandi ac fulciendi statuminandique.

Sicque apparet *α)* ceu Modernismi fundamentum sentiendi ratio, quae **Agnosticismus** vocatur, cum contendat: rationem humanam posse cognoscere solummodo rerum phoenomena, minime vero res supernaturales, uti v. gr. Deum ejusque essentiam, spirituum nec etiam rerum visibilium naturam.

Agnosticismi argumentum vel proprietas fors nullo alio sensui populari vulgarique accomodato verbo melius explicari poterit quam noto illo dicto mordaci: „Mi Deus — dummodo revera exstas — perducere velis animam meam — dummodo animam revera possideo — in vitam aeternam — dummodo hujusmodi vita revera exstat."

Agnosticismus rejicit ergo omnem religionem naturalem, doctrinam de motivis credibilitatis revelationis christianae ac cujusvis externae revelationis [1].

Secundum Agnosticismum explicatur religio sic dicto *Immanentismo*: Insitum esse affirmant hominum cordi desiderium divini, quod mox perfringit fines ab ignoscibili principio (divino) scientiae humanae positas. Ex hoc desiderio oritur sine praevio mentis judicio certus quidam sensus, qui proxime in subconscientiae (im Unterbewußtsein) manet. Hujus sensus intima res ac causa est divina realitas scil. illud ignoscibile; jungit autem hicce sensus hominem cum Deo estque sic principium cujus vis etiam supernaturalis religionis ac eatenus fides; si vero allatus hic sensus emergit in hominis conscientia, adest a Deo proveniens revelatio. Individualis religiosa conscientia, exornata autoritate divina, est suprema communiter valens ac unica lex, cui uti unicae Dei revelationi etiam ecclesia se subjicere debet.

β) Dogmata nil sunt quam symbola ac signa rerum incomprehensibilium, non vero elocutiones veri-

---

[1] Uberiorem explanationem praebet Encyclica „Pascendi" d. dto. 8. Septbr. 1907. Cf. etiam Jul. Bessmer: „Religion u. Philosophie des Modernismus" nec non monograph. libellos modernismi errores refutantes conscriptos a *Braig*-Freiburg) et ab Ant. *Gisler*-Einsiedeln.

tatis absolutae, sed elocutiones sensus religiosi respondentes circumstantiis ac fidelium eruditioni. Hoc nunc in conspectu posito sensu religioso comprehendit fides divinitatem, quae alioquin rationi non est agnoscibilis. Exinde apparet, quod sit quaevis religio vera, cum sensus religiosus sit in omnibus hominibus aequalis idemque ac in quovis cultu seu in quavis religione dogmata sint media declarationis ipsius sensus religiosi. Christianismus non est religio absoluta. Traditio est communicatio peritiae religiosae hominum vel coetuum pristinorum vel vetustorum, ut sic pares peritiae in aliis exsuscitentur. Fides et scientia inter se non continguntur; illius etenim argumentum sunt inexplicabilia, scientiae vero argumentum sunt phoenomena sensibus subjecta. Sic potest v. gr. is idem homo qua fidelis divinitatem ac resurrectionem Christi confiteri, qua vero historiae studiosus utramque negare. Fides subdita est scientiae ac tenetur ipsius progressus rationem habere. Sacramenta originem ducunt ab impetu ac desiderio interno religionem ita conformandi, ut a sensibus percipi possit, suntque propterea mere symbola exornata speciali vi sensus religiosos excitandi. Sacra scriptura est collectio extraordinariarum cognitionum religiosarum patriarcharum, prophetarum et Apostolorum; inspiratio reducenda est ad cuivis fideli insitum desiderium fidem suam verbo scriptisque exprimendi; ecclesia exoritur ex hominum studio, religiosos sensus et religiosas peritias disseminandi, conservandi ac excolendi. Res publica et ecclesia ab invicem sejunctae esse debent sicuti sunt fides et scientia; attamen ecclesia se subjiciat opus est rei publicae in omnibus externis vitae suae speciebus. Modernismus postulat ecclesiae reformationem ita ut pro Scholasticorum sententiis et argumentis nostrae aetatis philosophiae opiniones et decreta valeant, locum theologiae positivae dogmatum historia obtineat et theologia moralis sequatur principia sic dicti *Americanismi*,[1]

[1] Cum hocce systema per epistolam Papae Leonis XIII. d. dto 22 Jun. 1899 missam ad Cardinalem Gibbons condemnaretur, se subjecerunt quidem ipsius asseclae supremi magisterii judicio; ast systema ipsum revivixit iterum in supra indicatis Modernismi postulatis.

qui inter alia exposcit, ut rigidus dogmatismus locum cedat spiritui majoris libertatis ac placabilis tolerantiae, quae comprobat alienas etiam religiones.

Ex dictis patet, errorem Modernismi, qui exoriebatur conamine religionem christianam homini aetatis nostrae (= dem „modernen" Menschen) suaviorem, probabiliorem magisque aequam reddendi in eo proprie esse situm, quod secundum Agnosticismi, Immanentismi ac Evolutionismi[1] principia contendat: animam religiosam omnino ex semetipsa haurire ac explicare suae fidei summam atque causam rejiciendo cujuslibet extrinsecae revelationis vel docentis ecclesiae auctoritatis momentum. Qui modo allegatis principiis indulget, repletus dici debet sensu modernistico, licet non sit assecla cujusvis in allegata Encyclica totius explanati systematis doctrinae.

Ad coërcendos hos breviter significatos errores praescribebatur Motu proprio „Sacrorum Antistitum" d. dto. 1. Septbr. 1910 clero cujusvis gradus ac dignitatis juramenti formula, ut ei etiam subscribens objurarèt Modernismi falsis doctrinis, quae formula hodiedum adhuc valens lectori praesto est in hujusce libri Appendice apposito.

In Codice j. c. nulla fit ipsius mentio. Exinde interrogabatur, numne fors hocce juramentum sit abro-

---

[1] Hocce nomine designatur ea sentiendi ratio, quae statuit, cunctarum rerum ac partium naturae, sit haec composita vel non (= der organischen wie auch der anorganischen Natur) per causas mere mechanicas, i. e. per causas extrinsecas, secluso quovis supernaturali momento, aequalem semperque procedentem evolutionem. Hanc sentiendi rationem profitebantur ac profitentur sic dicti Monistae, qui omnis veri causam unum solummodo principium assumunt cortendentes unam eandemque esse naturam et mundi causae et mundi ipsius. Eorum dogma sonat: „*ἕν ἐστι καὶ πᾶν* hocque unum est causa sui." — Cf. Desuper supra pag. 23 Dicta. — Der Monismus ist also – ut lingua vernacula prosequar — Immanenzlehre (Gott ist der Welt immanent, gegenüber der Transzendenzlehre des Theismus, Deismus und Christentums Er besagt wesentlich Evolution des göttlichen Wesens oder seine Emanation, Selbstentfaltung durch die es sich zum Anderssein der Natur und Welt entwickelt — gegenüber der christl. Schöpfungslehre: er ist theologisch Unpersönlichkeitslehre gegenuber der christl Lehre von der Persönlichkeit beziehungsweise Dreipersönlichkeit Gottes

gatum. Respondit ad hanc consultationem S. Officium d. dto. 22. Martii 1918: Valet adhuc dum, quia Modernismi periculum nondum est superatum. Objurationis formula autem propterea non assumebatur in Codicem, cum hic solummodo generales et duraturas normas et leges contineat[1].

Religionis indoles et necessitas.

Evicta Dei existentia sponte sua ac necessario sequitur necessitas religionis et Ecclesiae.

Nr. 15. **Religio** est cognitio et cultus Dei. Non immerito cognitio Dei „religio intellectus", cultus Dei vero „religio voluntatis" appellatur.

Si vero religio non in hoc sensu proprio sed potius improprio seu translato sumitur, nimirum pro doctrina, qua instituimur, quomodo nobis Deus cogitandus seu credendus sit atque colendus, tunc definiri debet ut complexus veritatum seu sententiarum de Deo rebusque divinis atque cultu Deo exhibendo.

Etymologia vocis „religio" dubia est. Dum Cicero[2] hanc vocem a *relegere* (= iterata vice legere et pertractare) derivat, dicit Lactantius[3], qui et Cicero christianus audit, vocis hujus verbum *religare* = iterum conjungere radicem esse; cui s. Augustinus[4] assentit dicens: „Ad unum Deum tendentes et ei uni religantes animas nostras, unde religio dicta creditur, omni superstitione careamus." Alii denique vocabulum nostrum a *reeligere* = iterum (denuo) eligere derivant. Gellius[5] vero quin etiam a voce *relinquere*, scil. mundum ipsi renunciando.

Nr. 16. Religio est:

1. aliquid subjectivi, i. e. in efficacia humana vel in usu facultatum nostrarum, nequaquam autem aliquid objectivi, i. e. in relatione Dei ad mundum generatim hominemque speciatim, et mundi hominisque

[1] Act. Ap. Sedis X, 136.
[2] De nat. deor. l. 2, c. 28.
[3] Instit. div. l. 4, c. 28.
[4] De vera relig. c. 55.
[5] Noct. attic. IV, 9.

ad Deum naturali sive substantiali sic dicta *δυναμικῇ* positum;

2. relatio moralis hominis ad Deum, non vero mutua relatio, sive realis sive moralis, Dei et hominis;

3. ea res, quae omnem debet occupare hominem, omnibusque facultatibus naturae nostrae exerceri et omni nostra efficientia coli, ita ut eapropter *α*) Deum agnoscamus, *β*) quaecunque in mundo eveniunt per causas secundas, ad Deum tamquam causam primam referamus et *γ*) cognitioni nostrae Dei addamus quoque sensus reverentiae et amoris, spei et timoris Dei cum motibus seu decretis voluntatis ipsis respondentibus conjunctos, nec non religionem externam, quo respectu eam in religionem intellectus et voluntatis et deinde in religionem externam et internam dispescere convenit.

Nr. 17. Religio imprimis duplex **distinguitur:** 1° vera et falsa, 2° ratione principii autem naturalis et supernaturalis seu revelata.

Religio ea est vera, quae Deo vero cultum debitum praestat; falsa, quae vel non Deum verum, vel Deum quidem verum sed modo indebito, ex. gr. hominibus ipsis sacrificandis colit.

Distinguitur autem religio *objective* et *subjective* vera; illa, quae talis scilicet est, qualem eam pro sua idea esse oportet, manifeste non potest esse nisi una; subjective verae religiones autem multae ac diversae pro diversitate subjectorum esse possunt, a vera plus minus recedentes.

Naturalis ea dicitur religio, quae ex sola hominis natura sibi relicta absque ullo speciali adjutorio divino orta cogitatur; supernaturalis autem, quae originem non tantum efficacitati humanae, sed etiam auxilio Dei supernaturali interno et externo simul, aut saltem interno, debet, cum extraordinaria et supernaturali revelatione Deique manifestatione nitatur et innotescat.

Nr. 18. Religio **universalis** dicenda est:

1. quatenus bonum commune hominum omnium temporum ac locorum est;

2. quatenus hominem totum afficit, omnes ejus vires occupat, omnem ejus efficacitatem quasi pervadit, atque totam ejus vitam temperet ac moderatur.

Erant quidem inter viatores, qui ex inconsiderantia populos omni religione destitutos sibi deprehendisse visi sunt; at accuratiore postea examine instituto, has omnes gentes, quae antea nulla religione detineri ferebantur, et divinitatem coluisse et ritus suos habuisse compertum est; ita ut factum hoc supra omnem dubitationem positum habeant incredduli quoque, neque athei ipsi illud amplius inficientur. Sit porro, singulas gentes crassissimos errores commisisse, toto coelo a vero deviasse: religione tamen minime caruerunt.

Mira haec populorum quoad religionem consensio atque totius vitae nostrae per illam occupatio nullo modo explicari potest, nisi in natura humana facultas religionis atque ejusdem indigentia ac necessitas haud exstinguenda agnoscatur. Religio etenim non res est ab extrinseco homini illata, sed in natura hominis condita, quod fundamentum subjectivum ajunt.

Non est propterea religionis origo *a metu* repetenda, cum et pecudes timorem ostendant neque tamen ad Dei cognitionem perveniant. Eo minus *fraude sacerdotum* introducta dici potest generis fors humani subjugandi causa: nam non potuerunt religionis ministri et sacerdotes exstare, nisi praecessisset religio atque in animo hominum radicata fuisset.

Nr. 19. Cum religionis facultas in natura humana sita sit, sponte sua etiam **necessitas** religionis exinde sequitur, quae sequentibus quoque comprobatur observationibus:

1. Homo ex testimonio sensus intimi, communi hominum persuasione atque agendi ratione idem comprobante, facultate verum, honestum ac pulchrum cognoscendi seu *ratione*, porro facultate honestum liberi appetendi seu *libera voluntate*, nec non facultate sensiones gratas percipiendi seu *sensu* instructus est, quae tria principales mentis nostrae, cui tamquam suo necessario principio inhaerent, facultates sunt.

2. Prout autem triplex nobis facultas inest, ita quoque triplicem nobis insitum stimulum, quo ad verum, honestum jucundumque sectandum urgemur, deprehendimus.

3. Humana natura accuratius expensa cognoscit ac docet, hominem pro tribus illis facultatibus et toti-

dem stimulis eisdem respondentibus ad studium veritatis et virtutis atque huicce respondentem aliquando felicitatem ex voluntate Dei Creatoris nostri sapientissimi esse natum.

Cum itaque ex una parte nati simus, ut sapientiam et virtutem ac sanctitatem sectemur atque consequentem in vita futura felicitatem exspectemus, ex altera autem parte sine vera religione nulla vera sit sapientia, nulla virtus ac sanctitas nullaque felicitatis futurae spes et hinc etiam nulla animi vera quies et tranquillitas, certum est homini religionem eamque veram esse necessariam.

Nr. 20. Valent hucusque dicta de religione interna. **Obstringimur** autem simul **etiam ad religionem externam,** non tantum privatam sed et publicam exercendam, quod ex sequentibus videri licet:

1° Homo non solum ex anima constat, sed etiam ex corpore, quo illa velut instrumento utitur, atque non tantum quoad illam sed et quoad hocce a Deo totus pendet et propterea etiam modo sensuali seu externo tributum suum venerationis, dilectionis etc. Deo exsolvere debet;

2° nostrae naturae indoles ea est, ut quod in anima intus est et vivit, foras prorumpere nitatur et vicissim neglectus cultus divini externi necessario negligentiam religionis internae ejusque decrementum post se trahat;

3° nos, ut ad religionem internam in nobis sic et in aliis excitandam ac promovendam tenemur, quod iterum, quum alii ad cordis nostri interiora penetrare haud possint, alio modo prorsus fieri nequit quam religione externa,

quae porro, ut indigentiis nostris satisfaciat non privata tantum sed et **publica** sit necesse est; etenim

1. ad hoc jam per stimulum societatis, qui nobis inest, jam natura nostra incitamur; 2. nos officio communis reverentiae erga Deum, ad quam utpote unam familiam constituentes obstringimur, alio modo quam cultu communi ac publico satisfacere haud valemus: 3. officio religionem internam tum in nobis tum in aliis excitandi atque promovendi per religionem externam privatam non nisi imperfecte satisfit.

Nr. 21. Religio uti necessaria sic etiam utilis dicenda est, constituens scil. **firmissimum rei publicae firmamentum** ac praesidium:

1. Conciliat enim imperantibus eorumque vices gerentibus auctoritatem divinam sicque tum obedientiam subditorum, tum imperantium justitiam quam maxime promovet;

2. religio porro, dum lex humana nonnisi ordini externo invigilat, interiora hominis pervadit, vitia clanculum serpentia, quae adeo saluti publicae adversantur, radicitus evellit atque virtutes cunctas colit ac provehit.

Religio eapropter ea est, in qua salus nostra constat non tantum aeterna ac coelestis, sed et temporalis ac terrestris, quapropter Plato recte judicavit dicens:[1] „Veri dei ignorantia est summa omnium rerum publicarum pestis; omnis humanae societatis fundamentum convellit, qui religionem convellit."

Revelationis possibilitas.

Ratio humana ad religionem, eamque objective veram nobisque pernecessariam, neque inveniendam neque constituendam sibi sufficit, sed indiget utroque respectu revelatione supernaturali divina, cujus possibilitas ante omnia evincenda erit.

Adversarii hujus doctrinae praeter Pantheistas, qui ordinem in mundo nonnisi naturalem admittunt, sunt: 1. Deistae (Naturalistae), qui omnem prorsus revelationem tamquam realiter, 2. Rationalistae, qui eam tamquam saltem moraliter impossibilem, utpote haud necessariam et Deo indignam, respuunt, aut vero contendunt Deum nil posse homini revelare, quod hic ratione assequi non valeat, et speciatim non posse legi naturali superaddere praeceptа positiva.

Nr. 22. **Revelatio,** vi etymologica vocis, est manifestatio rei occultae. — Vi acceptionis, est manifestatio rei occultae per signum. Signum autem potest esse naturale vel supernaturale, et hinc distinguitur revelatio naturalis et supernaturalis.

Naturalis, est manifestatio veritatis a Deo homini facta, medio et modo mere naturalibus. Haec est reve-

[1] De legibus, lib. 10.

latio late et *improprie* sumpta, quo sensu tota creatio revelatio vocari possit. — Supernaturalis est manifestatio veritatis a Deo homini facta, medio aut modo supernaturali. Unde est proprie dicta locutio Dei ad homines.

Revelatio supernaturalis est *proprie et stricte* dicta revelatio, quae in immediatam et mediatam subdividitur. Immediata est, quum Deus ipse directe loquitur ad hominem; mediata, quum Deus ad homines per alios homines loquitur. Quam efficientiam Dei interiorem in legatum divinum inspirationem appellant.

Nr. 23. De hac revelatione divina proprie dicta nobis agendum, quae jam sic **definitur**:

sumpta *subjective*, seu pro ipso actu revelandi, est alicujus veritatis incognitae externa manifestatio, vel veritatis jam cognitae clarior explicatio homini a Deo per propriе dictam locutionem, mediate vel immediate facta;

sumpta vero *objective*, est ipsa veritas vel veritatum complexus, supernaturaliter, i. e. per viam a naturali rationis lumine diversam, manifestatus.

Nr. 24. Revelatio **dividitur** pro *modo*, quo fieri cogitatur, in internam vel externam, ratione *indolis* suae vero in formalem et materialem.

Interna est, quando per internam Dei in hominem efficientiam seu inspirationem, externa autem, quando per signa externa, verba articulata, symbola et ejusmodi fit. Formalis revelatio talia complectitur, quae captum hominis minime excedunt, quum ea clare ac perspicue cogitare atque eorum internam necessitatem perspicere valeamus; materialis vero comprehendit ejusmodi res, quae captum nostrum omnino superant, ita ut ea nec perfecta cum claritate cogitare nec earum internam rationem mente nostra assequi valeamus.

Nr. 25. Revelatio supernaturalis est **possibilis,** si nihil eidem obstat, neque ex parte *Dei,* qui revelat, neque ex parte *hominis*, qui revelationem excipit, neque ex parte *veritatum* ipsarum, quae revelantur. Atqui nihil horum obstat.

Etenim 1° ex parte Dei obstare tantum posset vel impotentia physica vel inhonestas, quia nempe dedeceret perfectiones ejus; sed ex una parte Deus est

omnipotens: potest, quae voluerit, homini manifestare, sive externa voce sive interna intellectus vel phantasiae illuminatione; ex altera autem parte, hominem erudire bonitate ac sapientia Creatoris est dignissimum. — 2° Non obstat quidquam ex parte hominis, qui natura ita comparatus est, ut ad veritatum cognitionem multo magis doctrina et institutione quam propria investigatione perveniat; quodsi potest homo ab homine erudiri, eo facilius et melius a Deo. — 3° Neque ex parte veritatum quid obstat: nam multa sunt, quae homo ignorat quaeque proin doceri potest.

Nr. 26. **Revelatio** legis ac religionis naturalis humano generi ad recte vivendum **non quidem absolute sed moraliter necessaria est**, ergo ita, ut sine illa — absolute loquendo — finem quidem nostrum naturalem consequi possemus, non autem revera consequeremur, quod argumentari licet ex insufficientia rationis: nam: 1. ratio humana, qualis vulgo hominibus inest, non sufficit ad eos in religione et bona vita instituendos, et 2. ratio philosophica ad eandem religiosam hominum institutionem insufficiens est.

Nr. 27. **Ratio humana, qualis vulgo hominibus inest, non sufficit ad eos in religione et bona vita instituendos.**

Probatur 1° *a priori*. Insufficiens est ratio vulgaris ad religionem, si neque sufficit ad illam cognoscendam neque ad eam observandam; atqui ad neutrum sufficit; nam α) ut ratio sufficeret ad cognoscendam religionem, requireretur in hominibus passim tum mentis perspicacitas et judicium sanum sine praejudiciis aut pravis affectibus, tum summa attentio et constans inquirendi diligentia, quam autem vulgo non adesse constat. Itemque ratio non sufficit β) ad religionem observandam, quae, ut sufficeret, habere deberet convenientes sanctiones, i. e. motiva obvia et sat efficacia ad hominum animos in obsequium inclinandos, quae iterum non habet;

2° *ex facto*: naempe gentes extra revelationis lumen positae neque veram religionem habuerunt, neque sanos mores cognoverunt aut servarunt.

Nr. 28. **Ratio philosophica ad eandem religiosam hominum institutionem pariter est insufficiens,** quae

propositio probata est, si populorum ignorantiae mederi neque scivit, neque potuit, neque voluit philosophia, sive antiqua sive recentior; atqui res ita se habet:

1° non scivit, quod patet ex historia testante ipsos philosophos in praecipuis religionis et legis naturalibus capitibus caecutiisse;

2° non potuit et quidem ex defectu consensionis, persuasiónis, conformitatis actionum cum doctrina, nec non ex defectu auctoritatis;

3° non voluit partim ex defectu firmitatis in conspectu veterum superstitionum, quas impugnare debuit, partim ex principiis erroneis, cujusmodi illud: philosophiam seu veram sanamque doctrinam non esse plebi, multitudini communicandam.

Jam ab initio propterea judicare possumus Deum, qua est sapientia et benignitate maxima, homines non sibi ipsis relinquere, sed supernaturali sua revelatione eos adjuvare voluisse. Interrogare propterea debemus: deditne Deus revera tam necessariam revelationem? Ast responsuris ad haec prius scitu nobis opus sunt criteria revelationis.

De revelationis cognoscibilitate.

Quaestio jam succedens non est, utrum revelatio a Deo facta ab homine percipi et cognosci possit: haec enim quaestio in propositione de revelationis possibilitate decisa est; quaeritur vero, quomodo revelatio, quae tamquam divinitus data proponitur, examinanda sit, ut certo nobis constet de ejus veritate: de veritate inquam, non rerum revelatarum in se, sed ipsius facti revelationis et quomodo vera revelatio a falsa dignosci possit. Hoc autem praestant

Nr. 29. **Criteria revelationis,** sub quibus intelliguntur characteres, notae vel indicia et quasi sigilla, quibus revelatio vere divina a falsa discerni possit, sicut epistola regis ex regio sigillo agnoscitur.

Hominis munus rigidissimum esse, a Deo revelatis firmam fidem praestare, nemo dubitabit; ast tum demum obstringimur ad credendum, quando certiores facti sumus, Deum et revera loquuntum esse et revelationem, quae

nobis ad credendum proponitur, vere divinam esse. Ut autem divinas revelationes a falsis dignoscere valeamus, necesse est, ut Deus revelationes suas talibus instruat characteribus, ut illas perspicue, facile ac indubie qua divinas percipere possimus; Deus enim vult, ut rationabile obsequium ei praestemus.

Nr. 30. **Distinguuntur** haec criteria in *interna* vel *externa*. Criteria interna porro possunt esse vel negativa vel positiva.

Interna ea sunt, quae oriuntur ex natura doctrinae revelatae, ex persona praeconum vel ex tempore aliisve adjunctis praedicationis. Externa sunt facta seu signa supernaturalia, quae fiunt in confirmationem doctrinae. et duo sunt: miracula et prophetiae. — Negativa sunt ea, quae probant negative, id est: vel revelationem esse confictam, vel e contra, eandem non esse evidenter falsam et posse esse veram. Positiva sunt ea, quae probant positive, id est, revelationem certo esse veram et a Deo auctore provenire, quo modo miracula et prophetiae probant.

Criteria externa negativa esse non posse, sed ad criteria positiva pertinere, ex eorum indole per se intelligitur.

Criteria revelationis interna negativa facile ex revelationis idea colligi possunt. Revelatio etenim, quatenus est factum in mundo sensibili, neque pugnare debet cum adjunctis seu conditionibus certis ac exploratis personarum, per quas aut quibus, neque temporis et loci quo facta traditur; quatenus autem est factum divinum, nil contineat necesse est, quod a Deo proficisci non potest, quod itaque aut ejus sapientiae aut ejus sanctitati repugnaret.

Nr. 31. **Notae negativae**, quae ergo probant revelationem non esse evidenter falsam et posse esse veram, sunt sequentes:

1. Si doctrina non evidenter repugnet rationi et divinis perfectionibus, neque in se, neque in modo, quo data est;

2. si non repugnet anteriori revelationi certae;

3. si conferat ad Dei majestatem commendandam;

4. si conferat ad hominis veram felicitatem procurandam:

5. si ex parte praeconis adsit aptitudo ac proin prudentia et scientia rerum, quas praedicat;

6. si adsit quoque sinceritas et probitas, ac proin nec mendax ille praeco, nec impostor esse convincatur.

Nr. 32. Eminent inter criteria revelationis illa jam supra dicta **externa,** quum talia sint, ut non iterum aliis nobis testimoniis divinis opus sit, quae potius tamquam diviua necessario jam per se cognoscantur adeoque pro sua natura a Deo solummodo, et quidem ad revelationem factam comprobandam edita esse possunt. Quaeritur ergo proxime, quid sit **miraculum.**

Haec vox, desumpta a *mirando,* significat generatim effectum, cujus causa nos latet. Quodsi causa haec sit naturalis, effectus potius vocatur mirus vel mirabilis; sin fuerit supernaturalis causa, tunc effectus dicitur proprie vel prodigium vel miraculum: prodigium quidem, si non provenerit a Deo; sin autem a Deo, miraculum.

Nr. 33. Juxta mentem S. Thomae[1] miraculum ita **definitur:** est opus sensibile, quod divinitus efficitur praeter ordinem naturae.

Miraculum exinde phaenomenon est in mundo sensibili praeter consuetum naturae et gratiae ordinem productum, quod viribus naturae progigni non potest, sed a Deo — tamquam causa efficiente — immediate, ad religionem objective veram inter homines promovendam seu revelationem datam comprobandam est effectum.

Quum juxta definitionem miraculum fieri debeat *divinitus*, id est a Deo, vel immediate per se efficiente vel mediate per creaturam, cuique patet, hominem illud nullatenus posse per vires proprias patrare, cum opus miraculosum humanas vires essentialiter superet. Potest autem homo vel prece impetrare, ut Deus miraculum faciat; vel ipse potentia sua obedientali a Deo praeternaturalem vim accipere, qua tamquam, instrumentum Dei, miraculum operetur. — Angeli vero mali miracula, etiam improprie dicta, patrare non possunt, nisi permittente Deo, qui equidem justo judicio permittere potest, ut daemones vel ad exercendos bonos vel ad

[1] P. 1, q. 110, art. 4; Contr. gent. L. 3, cap. 110.

puniendos malos naturali sua virtute utantur, licet ad talem suae virtutis usum minime natura sua ordinentur.

Nr. 34. Miraculum triplex **distinguitur.** Datur: 1. miraculum quoad substantiam, quoad subjectum et quoad modum; 2. miraculum supra, praeter et contra naturam; 3. miraculum primi et secundi ordinis.

Miraculum quoad substantiam est, quando effectus in se spectatus nullis unquam naturae viribus produci nec ab ea exigi potest, ut glorificatio humani corporis; quoad subjectum, quando effectus in se quidem naturalis est, sed spectatus in subjecto est supernaturalis, ut visio in caeco nato; quoad modum, quando secundum se spectatus effectus naturae vires non excedit sed tantum quoad modum, quo producitur, ut subita morbi gravissimi depulsio.

Miraculum supra naturam est, quando effectus naturae vires absolute superat, ut restitutio vitae in mortuo; praeter naturam, quando eo modo producitur, quo nequit a natura procedere, ut sanatio Naaman in Jordane; contra naturam, quando effectus producitur remanente in objecto dispositione contraria, uti sol consistens vel retro gradiens jubente Josua et Isaia.

Miraculum primi ordinis illud est, quod superat vires totius naturae creatae visibilis et invisibilis, et vocatur quoque miraculum majus, miraculum in se, absolute et stricte sumptum; secundi ordinis, quod etiam dicitur miraculum minus, miraculum quoad nos et sensu vulgari sumptum, illud est, quod solius naturae visibilis et corporeae vires superat.

Nr. 35. In propatulo est, **miracula possibilia esse;** nam miraculum non repugnat neque ex parte subjecti seu creaturae neque ex parte causae seu Dei.

Esse miracula relate ad Deum possibilia, patet ex ejus omnipotentia, pro qua Deo nihil adeoque et nullus effectus in mundo sensibili extraordinarius impossibilis est; relate vero ad mundum ex hujus contingentia et absoluta a Deo dependentia colligitur.

Insuper etiam miraculorum moralis possibilitas extra omne dubium collocatur, quum miracula, si fiunt, tantum ad religionem veram inter homines promovendam patrentur, quem in finem, ut jam vidimus, sunt

absolute necessaria, atque sapientiae et sanctitati divinae quam maxime conveniat ea perficere. Quia praeterea quoque miraculi notio nullam involvit repugnantiam, miraculum quoque logice et consectanee simul realiter possibile est.

Hinc et omnes populi, necessaria relatione Dei ad mundum, quae sana ratione non potest non admitti, coacti, possibilitatem miraculorum admittunt admittebantque, nec ulla gens monstrari potest, quae illam negaverit aut neget: ita ut sententia nostra testimonio quoque sensus communis sit confirmata.

Nr. 36. Ut autem miracula nobis sint testimonia divinae revelationis, **requiritur** eorum tum historica, tum philosophica **certitudo,** qua nobis constet, illa non tantum evenisse sed etiam miracula veri nominis esse.

α) Ad certitudinem miraculorum **historicam** jam requiritur, quod etiam in factis aliis externis necessarium est, ut pro veris habeantur, scilicet aut proprium firmum sensuum sanorum testimonium, aut vero testimonium testium fide dignorum.

Non enim de modo supernaturali, quo effectus producitur, sed de ipso effectu tantum, quoad phaenomenon sicut de actu quocumque alio considerato, testimonium perhibetur; quod autem effectus hic supernaturalis a Deo patratus sit, utique non ex testimoniis, sed ex argumentis internis seu ex natura hujus effectus ipsius petitis probandum est. — Quoniam tamen miracula sunt exceptiones ab ordine consueto et praesumtio semper stat pro re ordinaria ac consueta, in eventum quemvis extraordinarium accurate est inquirendum, cum hic mera probabilitas minime sufficit, sed proprie dicta moralis certitudo requiritur, quae etsi non possibilitatem oppositi, tamen omne prudens dubium excludit et sufficiens est, quae alioquin quoad facta unice haberi potest, dum ex altera parte non minus tuta ac firma est, quam certitudo metaphysica,

β) Ad **philosophicam** certitudinem requiritur 1mo ut omnia absint, ob quae eventus ille ad Deum referri non possit, et 2do ut talia praesto sint, quae nos cogant ad eventum divinae causalitati adscribendum: priora constituunt negativa, posteriora positiva miraculorum criteria.

Pertinent autem ad *negativa* criteria miraculorum: 1. ut eventus extraordinarius, qui miraculum sit, non manifeste propter alios fines quam religiosos sit factus: 2. ut revelatio, cujus gratia miracula patrata traduntur, non sit aperte falsa et erronea, aut manifeste honestatem et virtutem evertens; 3. ut ob eandem causam legatus, cujus ergo miraculum patretur, non sit fallaciae et inhonestatis suspectus; 4. ut in eventu extraordinario tum quoad rem ipsam seu objectum, tum quoad modum nil occurrat, quod certe Deo esset indignum.

Miraculorum vero *positiva* criteria sunt: 1. si eventus insolitus per vires naturae aut prorsus non, aut saltem hoc modo, quo contigit, effici nequeat; 2. si ex testimonio divino, per certam prophetiam aut alia certa miracula comprobato, constet eventum aliquem immediate a Deo esse effectum.

Ex his duobus criteriis veritas miraculi philosophica cum absoluta certitudine demonstratur, per sequentia vero saltem magnopere confirmatur: 1. si miraculum aliquod quoad suum universalem, vel etiam specialem finem conditioni personarum, loci et temporis quam maxime conveniat; 2. si omnes, qui miraculis patratis interfuerunt, culti aeque ac inculti, amici ac inimici, de illorum veritate sunt persuasissimi; 3. si effectus, qui miracula sequuntur, secus explicari prorsus non possunt.

Nr. 37. Alterum genus criteriorum externorum, quibus divina origo revelationis seu divina legati alicujus illam annuntiantis missio patescit, sunt prophetiae seu **vaticinia.**

Prophetia, quae vi vocabuli (πρὸ, φάω) est praedictio, seu dictio rei ante eventum, **definitur:** est clara, certa ac determinata, cum praescientia conjuncta, eventu comprobata rerum futurarum contingentium praedictio, quae ex ipsis sive in se sive in suis causis cognitis fieri non potuit, sed a Deo ipso ad religionem veram promovendam facta est.

Nr. 38. Prophetia **possibilis est,** si neque Deo repugnat neque homini. Atqui:

1. *Non repugnat Deo.* Nam Deus tamquam omniscius omnia, quaecumque futura sunt, perfectissime ab aeterno cognoscit et tamquam omnipotens etiam ea,

sive per internam illustrationem sive per signa externa manifestare potest; imo convenire apprime videtur, ut ad sapientiam suam glorificandam nonnulla ex divinis mysteriis atque consiliis Deus cum homine communicet.

2. *Nec homini repugnat*, qui ejusmodi communicationis, sive internae sive externae, nequaquam incapax est. Si enim per narrationem vel etiam per monumenta omnis generis praeterita cognoscere valet: cur non etiam futura per Deum edoceri possit?

Nr. 39. **Vis probandi vaticiniorum** in eo sita est, quod: 1. res, quae praedicuntur, tales sunt, quae neque in se neque in suis causis praesciri possunt sed a Deo ipso sunt patefactae seu quod praedictionis nullae adsunt, ut ajunt, notiones praemissae, unde illa possit deduci, et 2. quod edita sunt ad veram religionem promovendam seu comprobandam divinam revelationis originem vel divinam praeconis ejusdem missionem.

Nr. 40. Ut autem prophetiis revera illa vis probandi insit, **vaticinia certa esse debent**, et quidem, uti miracula, tum certitudine historica tum philosophica.

Ad priorem necessario deposcitur, ut ex testimonio fide digno constet vaticinium eo tempore revera editum esse, quo perhibetur, et simul exitum per omnia accurate praedictioni respondisse; philosophica vero vaticiniorum certitudo similiter, ut miraculorum, partim ex criteriis *negativis* partim *positivis* prodit.

Sunt jam criteria negativa: 1. non debet esse praedictio obscura, neque ambigua aut conjecturalis, neque etiam vaga seu generalis, ita ut ne illi quidem, qui complementum vident, sat secure cognoscere valeant, certum aliquem eventum prophetiâ praedictum fuisse; 2. non sit praedictio singularis, utpote quae etiam casu fortuito adimpleri possit; 3. non sit vaticinium alium ob finem quam religiosum editum; 4. revelatio, in cujus confirmationem vaticinia eduntur, nil aperte falsi aut erronei contineat; 5. legatus, in cujus gratiam fiunt, non sit vir mendax ac improbus; 6. in ipso vaticinio nil quoad materiam et nil quoad formam seu modum, quo, editur, occurrat, quod manifeste Deo sit indignum.

Ad positiva criteria vaticiniorum autem pertinent: 1. ut exitus praedictioni accurate respondeat: 2. ut nullae adfuerint praemissae; 3. certa esset quoque prophetia, quae forsan in se dubia, aliis indubitatis prophetiis vel miraculis confirmaretur, seu a legato divino ceu talis declararetur.

Nr. 41. Commemoranda quoque est **relatio prophetiam inter et miraculum.** Haec eadem est, quae intercedit inter genus et speciem. Nam prophetia est species miraculi; sed eo prae ceteris miraculis eminet, quod est revelatio demonstrationem suam sibimetipsi suppeditans. Miraculum est, cum sit effectus vires intellectuales creaturarum superans; et simul revelatio est, cum notitiam contineat, quae non nisi a Deo communicari possit.

Tractatus secundus.

Theoria revelationis christianae.

Sermo erit: 1. de auctoritate s. Scripturae; 2. de religione primaeva ac mosaica; 3. de revelatione christiana; 4. de religionis christianae indole.

De auctoritate s. Scripturae.

Nr. 42. **Scriptura sacra** sive Biblia est collectio librorum utriusque foederis, qui a viris antiquis, inde a Moyse usque ad Apostolos, conscripti, jure meritoque sacri nominantur.

Haec s. Scriptura **dividitur**:

1° ratione temporis in libros Veteris et Novi Testamenti;

2° ratione materiae in libros historicos, morales seu sapientiales et prophetico s.

3° ratione auctoritatis in libros canonicos et apocryphos.

Vetus Testamentum 45 libros, inter quos 21 historicos, 7 sapientiales et 17 propheticos,

novum vero testamentum 27 libros continet, quorum 5 historici, 21 morales et unus propheticus est.

Libri V. T. olim distinguebantur: α) in Thora = lex, β) Nebiim = prophetae, qui iterum in priores et posteriores subdividebantur, et γ) Kethubim = scripta sacra.

Canonici dicuntur illi, qui non tantum quoad se sunt, sed etiam quoad nos habentur sacri et Deo afflante scripti, ideoque in Canone Ecclesiae recensentur. Qui subdividuntur adhuc in Protocanonicos et Deuterocanonicos, non quod auctoritate differant, quae identica in utrisque; sed quia *priores* semper recepti fuerunt ut canonici, *posteriores* vero aliquando controversiae subjecti et non nisi lapsu temporis manifeste fuerunt in canonem relati.[1]

Apocryphi hic intelliguntur illi, qui non positive quidem ab Ecclesia sunt reprobati, sed qui auctoritatis sunt dubiae vel obscurae, ab Ecclesia saltem negative reprobati: ideoque licet in Bibliis sacris nonnunquam permissi, tamen a reliquis libris distincti, vel ad calcem voluminis rejecti conspiciuntur. Hujusmodi sunt: Oratio Manasse, Liber 3 et 4 Esdrae, prologus Ecclesiastici, praefatiuncula Threnorum, Liber 3 et 4 Machabaeorum.

Nr. 43. Circa Scripturae auctoritatem tria inquiri debent: 1. Sacrorum librorum authentia; 2. integritas, et 3. axiopistia.

Authentia vel genuinitas seu γνησιότης est proprietas libri in eo sita, ut liber vere illius auctoris sit, cui adscribitur.

---

[1] Libri deuterocanonici sunt ex vetere Testamento: *Esther*, quoad septem postrema capita: *Baruch*, *Danielis pars*, nempe hymnus trium puerorum, historia Susannae et Draconis; *Tobias*, *Judith*, *Sapientia*, *Ecclesiasticus* et *libri duo Machabaeorum;*

ex novo Testamento: caput ultimum *Marci* a versu 9 usque ad finem: historia sudoris sanguinei in horto, et apparitionis angelicae Christo factae in Evang. *Luc.* 22; Joannis historia *de muliere adultera*, Epistola Pauli *ad Hebraeos:* Epistola catholica *B. Jacobi*, 2^da^ *Petri*, 2^da^ et 3^a^ *Joannis*, Epistola *Judae* et *Apocalypsis.*

Integritas in eo sita est, quod libri quoad argumentum ita ad nos sunt perlati prout ab auctoribus editi erant: hoc est, ut nihil interpolati aut imminuti, sed integri et incorrupti exsistant.

Axiopistia denique est proprietas libri in eo sita, ut liber, seu quod idem est, auctor ejusdem fide dignus sit. Haecce fides autem ei debetur, si autor veritatem dicere et poterat et volebat, quod ultimum tamdiu assumamus oportet, quamdiu causae contrariae non adversantur.

Nr. 44. Libros A. T. **authenticos** esse probant argumenta externa nec non interna.

Ad argumenta priora scil. externa pertinet: 1. de genuinitate horum librorum constans ac universalis Judaeorum per omnia saecula fides publica, a nemine, etiam infensis rei Christianae et Judaicae hostibus non exceptis, in dubium vocata aut impugnata; 2. haec fides est Hebraeorum traditio constans et antiquissima,[1] quod jam inde elucet, quia alter librorum alterum supponit tamquam antiquiorem et passim nomine allegat; 3. traditio haec prorsus corrumpi non potuit, siquidem integra tribus inter ceteras ad id erat consecrata, ut Libros sacros custodiret, ac praeterea in reliquis tribubus nullo tempore deerant viri, qui neque libros genuinos rejici, neque spurios velut sanctos sibi populoque obtrudi permisissent; 4. Judaei ipsi sua ipsorum veneratione in libros sacros ad eandem stimulabantur vigilantiam, ut traditio illa sincera propagaretur ad posteros; 5. accedit libros hos permulta referre odiosa, ut praeprimis perpetuas redargutiones et reprehensiones populi indocilis, inflexibilis et pertinacis, quapropter testimonium hujus gentis omni exceptione majus est.

[1] Quoad **Pentateuchum** ex. gr. assignarunt quidem increduli aliquando Esdram loco Moysis: sed hanc hypothesim absurdam esse demonstrant Samaritani, qui Pentateuchum tamquam a Moyse scriptum recipiunt. Samaritani scilicet a tempore Roboami, ergo anno 960. a. Chr. n. per schisma 10 tribuum separati a Judaeis: ac dein tempore Salmanassar an. 709 mixti gentilibus, perpetuo odio adversus Judaeos perstiterunt. Quomodo ergo an. 536 ab Esdra post captivitatem Babylonicam Pentateuchum, eumque solum rejectis reliquis libris, recepissent, nisi pro certo habuissent eum a Moyse esse conscriptum?

Argumenta vero interna haec sunt: 1. in Libris A. T. nihil occurrit sive quoad argumentum sive quoad elocutionem vel linguam, quod cum auctoribus aut cum aetatibus, quibus tribuuntur, pugnet; 2. quae quoad statum generis humani generatim et populi judaici speciatim referuntur, naturae rerum et hominum convenientissime sunt descripta, ut libri hi minime potuerint recentiori aetate ab impostore quodam componi; 3. Judaei certe libros prius prorsus ignotos et tot praeterea reprehensiones continentes non suscepissent, nec fingi possunt impostores adeo insipientes, qui non viderint, vituperia cavenda et populi potius benevolentiam laudibus etiam immeritis captandam fuisse.

Nr. 45. Librorum A. T. **integritas** supra omne evehitur dubium sequentibus rationibus: 1. Judaei noluerunt libros suos sacros corrumpere, nam alias omisissent illa loca, in quibus eorum vitia et scelera narrantur eisque poenae comminantur; 2. adulteratio fieri non potuit sive ante Christi adventum, sive post illum supponatur facta: ante Christum fieri non potuit, tum propter religionem et custodiam sacram Judaeorum tum propter multitudinem exemplarium sive lingua primigenia sive graeca descriptorum; fieri non potuit post Christum, cum exemplaria eadem in manibus versarentur Judaeorum simul et Christianorum.

Nr. 46. Librorum A. T. **axiopistia** denique pariter certa et indubia nobis est, quoniam auctores

1. veritatem dicere poterant et volebant, quod ex eo praeprimis perspici potest, quod scriptores, utpote figmenta respuentes, e vita sua etiam culpabilia candide, nulla prorsus excusatione adjecta, exponunt; eorum autem, quae non ex sua commemorant aetate, uti Moyses in primo suo libro, narrationem hauserunt ex antiquis monumentis, quibus eos summa religione usos esse ex ipsa coaptatione diversorum fragmentorum, ex inscriptionibus saepe recurrentibus, ex diversitate stili, linguae et narrationis atque ex retentis vocibus obsoletis, quas permutare sibi non permiserunt, sed satius duxerunt adjecta explicatione declarare, cognoscitur; auctores librorum porro

2. ne quidem decipere potuerunt, etiamsi

fors voluissent; nam Moyses et reliqui scriptores sacri non eventus alienos sed historiam factaque sui ipsius populi enarrant: hicce populus Israel autem adversus fictiones, quibus multa vituperia et gravissima onera sibi infligebantur, certissime reclamasset.

3. Accedit insuper, quod argumentum omnium librorum V. T. cum effatis antiquissimorum scriptorum externorum, qui de iisdem populis et regionibus scripserunt, apprime consentit, uti hoc per antiqua illa in terris Palaestinae, Syriae et Aegypti nuperrime inventa monumenta advertendi sat frequens non deest occasio.

— — —

Nr. 47. Pro **authentia Librorum N. T.** pariter argumenta tum externa tum interna certant. Quod attinet argumenta *externa:*

1. etiam hic fidei et traditioni publicae primus debetur locus: nam Libri N. T. Apostolis, quorum nomina prae se ferunt, ab omnibus ecclesiis Orientis et Occidentis inde ab initio usque ad nostra tempora fuerunt adscripta;

2. id ipsum comprobant SS. Patrum primorum saeculorum diserta testimonia: Clemens Rom., Ignatius, Polycarpus, Justinus, Irenaeus etc., saepe ex N. T. sententias et locutiones adducunt frequenterque etiam expresse auctores nominant;

3. veteres plerique haeretici, ut Ebionithae, Cerinthiani, Marcionitae, qui omnes libris N. T. usi sunt et, quamvis eos suo modo explicarint aut corruperint aut etiam singulos tamquam divinos rejecerint, numquam tamen Apostolis abjudicare sunt ausi;

4. ipsi etiam gentiles philosophi, Christianis infensissimi: Lucianus, Celsus, Porphyrius, Hierocles et Julianus Apostata N. T. libros adducunt, ex eis contra Christianos argumentantur, nusquam autem eorum authentiam in dubium vocantes, imo eam aperte asserentes.

Idem quoque argumenta *interna* nobis persuadent. Etenim ii, quibus librorum N. T. elucubratio adscribitur a Christianis, perhibentur fuisse Jesu discipuli, Judaei,

fere omnes rudes et indocti, viventes primo saeculo[1] monarchiae romanae in Palaestina aut ejus vicinia, Jam vero huic assertioni interni librorum congruunt characteres, quibus tempus, locus, natio, persona auctorum hujusmodi indicantur. Scripti enim sunt graece, lingua tunc temporis ob romanam dominationem in illis regionibus usitata, sed nulla speciali dialecto, intermixtis multis idiotismis linguae syro-chaldaicae frequentibus allusionibus ad Scripturas Judaeorum, ad eorumdem mores, ad politicam constitutionem et geographicam regionis partitionem, illis praecise temporibus propriam; tota narratio miram spirat simplicitatem et animi candorem, circumstantias refert, quas nemo nisi oculatus testis scire potest.

Caeterum quae temporum decursu exorta sunt varia de Evangeliorum, scriptis ac scriptoribus dubia, soluta ac decreta habemus, per commissionis „de re Biblica" pontificiae dijudicationes de singulis Evangeliis.[2]

Nr. 48. **Librorum N. T. integritas** exinde constat, quoniam corruptio quaedam nec fieri potuit nec revera fiut facta.

α) F i e r i n o n p o t u i t, habita ratione tum temporis, tum personarum. *Ratione temporis:* nam si corruptio supponatur, haec fieri debuisset vel vivis adhuc Apostolis vel post eorum obitum; atqui in primo casu Apostoli sane reclamassent; in secundo vero, cum jam essent sacra volumina per orbem sparsa, totus orbis catholicus reclamasset. Similiter neque *ratione personarum* potuerunt sacra volumina vitiari: hoc enim fieri debuisset vel a gentilibus vel a Christianis. At vero quotidianus et publicus illorum librorum usus,

---

[1] In prioribus tribus Evangeliis v. gr. exponitur oraculum Christi de Hierosolymorum excidio, nec quidquam additur de praedictionis adimpletione. Ex quo luculentissime patet, libros ante urbis excidium scriptos esse. In actibus Apostolorum historia Pauli usque ad primum ejus Romae adventum deducitur; quod probat, librum editum esse, antequam Paulus primis vinculis solveretur; scriptor enim posterioris aetatis res Apostoli gestas ulterius protraxisset.

[2] Ad verbum expressas praebet has Declarationes inter alios etiam Dr. Barthol. H e i g l in appendice sui perspicue conscripti libri: „Die vier Evangelien, ihre Entstehung, Echtheit und Glaubwürdigkeit." Herder. 1916.

ingens exemplarium per totum orbem diffusorum multitudo et perpetua Catholicos inter et haereticos dissidia, omnem substantialem corruptionem impossibilem reddiderunt. Imo, ex historia scimus Tatianum, Marcionem Artemonem aliosque haereticos, qui Scripturarum integritatem violare ausi sunt, statim fuisse detectos et gravissime exceptos.

β) Revera facta non fuit corruptela: etenim 1° textus hodiernus idem est ac ille, qui in commentariis Patrum aliisque variorum saeculorum scriptis invenitur;

2° congruit cum manuscriptis antiquissimis, ut Vaticano, Alexandrino et Cantabrigiensi;

3° congruit cum versionibus tum antiquissimis, tum in variis regionibus elucubratis.

Nr. 49. **Scriptorum N. T. fides** seu *ἀξιοπιστία* ex sequentibus elucet observationibus:

1° auctores sunt tales, ut nec decepti sint, nec decipere voluerint, nec decipere potuissent si voluissent: ipsi enim, quae suis oculis viderunt, narrant coram coaevis, qui contra falsitatem reclamassent; moriuntur pro attestanda eorum quae referunt veritate;

2° res quae referuntur tales sunt, ut, nisi verae essent, fingi non potuissent. Quomodo enim rudes piscatores Christi personam atque animum confixissent, puriorem, sublimiorem, diviniorem omnium philosophorum animis? quomodo mirabilem illam morum doctrinam invenissent, etc.?

3° Tota narrandi ratio mirum spirat candorem et simplicitatem: eadem facta pro varia eorum indole vario quidem modo, at nunquam contradictorio referuntur, et mirabilis obtinet inter diversos auctores concordia:

4° auctores illi fidem tantam fecerunt, ut eorum libros totus orbis terrarum receperit, ipsique simul per volumina sua judaismum et paganismum subverterint, ac novam induxerint religionem omnibus cupiditatibus adversantem.

Nr. 50. Evangelia tria priora comparata inter se nec non cum quarto s. Joannis evangelio magnam ostendunt affinitatem ac similitudinem. Ut haec eorum cognatio melius ac facilius possit cuivis ante oculos

poni ac demonstrari, eorum verba in triplici ordine vel serie concurrente ponebantur sicque obtinebatur conspectus vel „synopsis“ ipsorum.

Cum vero haec evangelia non solum affinitatem sed etiam varias discrepantias prae se ferant, attendit sic dicta *quaestio synoptica* ex modo memorata discrepantia exortas difficultates solvere simulque relationem dilucidare, quae exstat auctores synopticos intra et s. Joannis evangelium. Duae exstant praeprimis sententiae usui explicationis serviturae: *α*) sic dicta traditionis hypothesis. *β*) proclivitas literalis.

1. Illa assumit unum viva voce disseminatum primordium evangelium, quod hodiedum adhuc cognosci potest ex omnibus synopticis effatis communibus. Cum sic inde minime e fontibus scriptis, sed quivis eorum independens a reliquis evangelistis solummodo e mera omnibus communi traditione haurirent explicari possunt ac debent discrepantiae exstantes partim e scriptorum lapsibus memoriae partim ex eorum scribendi individualitate, dum quartus Evangelista ipsorum argumenta novis adhuc narrationibus supplere censetur.

2. Qui vero quaestionem synopticam e literali proclivitate explicare conantur unum nostrorum Evangelistarum ceu reliquorum fontem contendunt. Tralaticie valet ordo vulgaris usitatusque: Matthaeus, Marcus, Lucas et Joannes. Dum e contra saeculo exeunte 18vo quidam Griesbach adduxerat commentationem, qua Marci evangelium totum e Matthaei et Lucae commentariis decerptum esse monstrabat, putabant putantque recentiore tempore (praeeunte theologo Weisse 1838/56) esse s. Marci evangelium principale fundamentum exhibens Matthaeo ac Lucae. Vocatur propterea haec explicandi ratio etiam hypothesis Marciana.

3. Insuper tertia adhuc hypothesis reticeri nequit, cujus asseclae contendunt: quemque evangelistarum hausisse e fontibus omnibus communibus, quae jam sunt secundum aliquos: *α*) quoddam perditum evangelium primordium sermone aramaico conscriptum; *β*) pluria aramaice vel graece scripta, primordia, sic dictae Diegeses (*διηγήσεις* = Bürgschaft): *γ*) duplex fons et quidem literarum monumentum enarrans, verosimiliter liber, cui innitebatur dein s. Marci evangelium.

simulque adhuc collectio continens τὰ λόγια = dicta ac effata Domini nostri.

Quae sit matris nostrae ecclesiae sententia quoad modo allegatas hypotheses enucleatam habemus ipsius doctrinam in dijudicationibus commissionis biblicae a summo Pontifice Pio X. adprobatis[1]. Dum causa harum dijudicationum licitum permanet exegetis libere disputare et ad hypotheses traditionis sive scriptae sive oralis, vel etiam dependentiae unius a praecedenti seu a praecedentibus appellare, rejecta fuit omnino ac severe hypothesis vulgo *duorum fontium* nuncupata, etiam in aliquatenus moderata dictione, quae existimat esse evangelium primordium perditum sermone aramaico conscriptum ac canonicum Marci evangelium fontes graeci evangelii Mathaei ac Lucae.

Revelatio primitiva ac mosaica.

Quum revelatio a Deo detur, ut per eam religio in hominibus evolvatur et promoveatur, haec autem pro varia generis humani conditione varias induat formas: sapientiae divinae conveniens esse, ut illa quoque generis humani statui accomodetur et propterea semper similem huic assumat speciem, sine difficultate intelligitur.' Hinc.

Nr. 51. Revelatio, quae hominibus contigit, quamdiu in familias divisi vivebant, necessario quoque familiaris seu domestica fuit atque, sacra historia contestante, illarum capitibus per Deum ipsum facta est. Ex iis, quae in libro Genesis historice narrantur, hujus **religionis primitivae capita praecipua** erant:

1° Deum esse unum omnipotentem, creatorem coeli et terrae;

2° hominem ad imaginem Dei conditum ideoque anima spirituali et immortali praeditum, atque dominio in omnes res creatas ornatum esse ad eum finem, ut Deo charitate ac obedientia voluntaria uniretur;

3° ipsum peccato quidem a prima dignitate in summam miseriam cum universa sua sobole incidisse, Deum tamen ei locum poenitentiae dedisse ac redemptorem promisisse;

[1] Cf supra pag 47 n. 2 memoratum opus Dr. Heigl.

4° matrimonium esse divinitus institutum, Sabbatum esse a Deo sanctificatum, sacrificia Deo esse offerenda.

Nr. 52. Veritates hujus revelationis praecipuas **confirmat** quoque **traditio omnium gentium;** nam

1. apud omnes gentes communis persuasio, Deum olim inter homines versatum et religionem e coelo in terras delatam esse;

2. reperiuntur apud remotissimos populos, nullo commercio intra se conjunctos, plura dogmata, ut de creatione mundi intra sex dies peracta, de hominis statu originario ac per peccatum depravato prout et diluvii memoria pluresque ritus, ut sacrificia, et denique illa de apparituro aliquando Mediatore inter Deum et homines opinio, quae omnia nonnisi ex illa protoparentibus nostris facta promissione originem trahere potuerunt;

3. religionis puritas, quando ascenditur in historia antiquius, tanto sincerior deprehenditur.

Nr. 53. Revelationem primitivam domesticam excepit revelatio **Mosaica** seu Judaica, quae ex eadem convenientiae ratione nationalis esse debuit. Quum enim post diluvium genus humanum ex consilio divino in plures populos, a se invicem sejunctos divideretur: revelatio universalis, i. e. universo generi humano pro infinita Dei sapientia dari nondum potuit.

Revelatio haec mosaica vocari solet etiam Lex mosaica a parte sua praecipua, quae est lex per Moysen populo Israël divinitus tradita. In hac autem lege distingui possunt duo: *dogmata* scilicet et *praecepta*, quae ultima porro dividuntur in moralia, ritualia et politica.

Moralia continentur Decalogo aliisque legis naturalis declarationibus; ritualia vel caeremonialia ea sunt, quibus sacrificia, sacramenta, festivitates aliaeque observantiae religiosae ordinantur; politica et judicialia ea sunt, quae ipsam Judaeorum reipublicae formam constituunt.

Nr. 54. Religio vel Lex mosaica quoad omnes suas partes: 1. Deo est dignissima, 2. vere divinam prae se fert originem.

Lex mosaica Deo sapientissimo digna est: nam

quatenus est 1. *dogmatica*, omnia doctrinae capita eaque sancta et piissima, quae ab initio Patribus fuerunt revelata, complectitur et in clariorem lucem ponit; quatenus est 2. *moralis*, naturalem legem promulgat et praecepta morum tradit eximia et purissima: quatenus 3. *caeremonialis* vel *politica* est, institutiones continet singulariter dispositas, ut munimenta essent verae religionis ac legis naturalis populo judaico: atqui hujusmodi opus est sanctum Deique sapientia dignissimum.

Legis mosaicae autem **divina origo** patet, sive consideretur illa in se, sive ex parte legislatoris;

α) *considerata in se:*

1. lex hujusmodi non potuit prae singularitate ab hominibus excogitari, nec prae severitate imponi;

2. si humana esset, non potuisset illico cum omnibus suis partibus creari et ita creari, ut a principio perfecta et immutabilis constitueretur;

3. nitebatur in providentia extraordinaria Dei, quae si defuisset, tota lex corruisset. Scilicet in eo nitebatur, ut prophetiae fere continuae implerentur; ut conservaretur perennis tribus Juadae et stirps regia David; ut populus si legem servasset protegeretur, si violasset puniretur calamitatibus temporalibus: atqui haec nunquam deficiens providentia extraordinaria est character divinitatis.

β) *Considerata in legislatore* lex mosaica eundem prae se fert characterem. Nam Moyses talem se exhibet, ut Dei nuntius, deceptionis patiendae simul et inferendae incapax, manifeste appareat. — Insuper divinitas legis mosaicae confirmata fuit veris miraculis et prophetiis!

Nr. 55. Quamvis autem Lex mosaica suam a Deo habuerit originem: ipsa tamen eum in finem non erat data, ut perpetuo maneret, sed potius, ut secundum Apostoli verbum[1] **paedagogus noster in Christum** exsisteret. Continebat enim futuram successionem alterius religionis, quod jam exinde perspicitur, quia

1. novum Legislatorem ac novum foedus promittebat; cf. Deut. 18, 15: *Prophetam de gente tua et de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus*

[1] Galat. 3, 24.

tuus; ipsum audies; Jerem. 31, 31: *Ecce dies venient, dicit Dominus et feriam domui Israël et domui Juda foedus novum; non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum;*

2. novum sacrificium ac sacerdotium annuntiabat; cf. Isaj. 66, 18 sqq.: *Venio ut congregrem cum omnibus gentibus et linguis: et venient et videbunt gloriam meam . . . Et assumam ex eis in sacerdotes et levitas, dicit Dominus;*

3. Judaeorum gentem rejiciendam a Deo profitebatur: cf. Daniel 9, 26: *Occidetur Christus: et non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo: et finis ejus vastitas et post finem belli statuta desolatio;*

4. veram religionem extendendem ad omnes gentes docebat; cf. Osee 2, 24: *Dicam non populo meo: populus meus es tu; ipse dicet: Deus meus es tu.*

Nr. 56. Jam vero haec **religio divinitus mosaicae successura est religio christiana;** quum enim 1. alia nulla assignari possit, quae illi successerit, et 2. quum per eandem legem viae ad christianismum divinitus fuerint praeparatae. Atqui res ita se habet; nam Deus Christum ejusque Ecclesiam in Vetere Testamento promisit, figuravit, descripsit, nec non Messiam determinato tempore venturum praenuntiavit.

Tria priora alibi suo loco demum ostendentur; **tempus adventus Christi** vero praenuntiatur tribus illis praecipuis V. T. vaticiniis, quorum primum Jacobi, alterum Danielis, tertium Aggaei et Malachiae, quoad verba principaliora sic sonant:

Non auferetur, inquit Jacob in Gen. 49, 8, *sceptrum de Juda et dux de femore ejus, donec veniat Schiluach, i. e. qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentium.*

Secundum Daniel 9, 24 Gabriel archangelus ad prophetam de tempore, quo Messias venturus esset, locutus est his verbis: *Ab exitu sermonis, ut iterum aedificetur Jerusalem, usque ad Christum ducem hebdomades septem et hebdomades sexaginta duae erunt . . . et post hebdomades duas occidetur Christus* etc.

Tertium vaticinium est Aggaei et Malachiae, qui templi secundi, post captivitatem nempe aedificati, ma-

jorem fore gloriam annuntiarunt quam primi, propterea quod in eo appariturus esset Messias. Agg. 2, 7 sq.: *Haec dicit Dominus exercituum: adhuc unum modicum et ego commovebo coelum et terram et mare ... et veniet Desideratus cunctis gentibus et implebo domum istam gloria* etc. Malach. 3, 1: *Ecce ego mitto Angelum meum et praeparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos quaeritis, et Angelus testamenti, quem vos vultis.*

Cum ergo adventus Messiae quoad tempus his vaticiniis tali diligentia praenuntiatus esset, mirum non est, quod omnes Christum tunc exspectarent. Uti Suetonius, Tacitus aliique referunt, totus Oriens magnum ex Judeea oriundum regem tunc temporis exspectaverat.[1] Quae ipsa et de Occidente valent praesertim de Roma et Italia, ubi secundum Vergilii vel Horatii significationes sperabatur Apollo vel alius divinus regiusque infans, quietus ac pacificus dominator aurei aevi, oriturus esse.[2]

De revelatione Christiana.

Religioni et revelationi christianae nomen dedit **Jesus Christus** Nazarenus, qui imperante Caesare Augusto Betlehemi ortus, postquam publice per tres annos homines fidem et virtutes docuerat seque legatum divinum crebris quas patravit miraculis ostenderat, circiter triginta tres annos natus sub Pontio Pilato praeside et Caesare Tiberio Hierosolymis crucis mortem subiit.

Nr. 57. Ab Evangelistis delineata **persona Christi nequaquam est mythica**, uti aliqui contendere volunt; nam

1. Mythus vel fabulae nunquam nisi prachisto-

[1] Percrebuerat oriente toto vetus et constans opinio, esse in fatis, ut eo tempore Judaea profecti rerum potirentur. Suetonius, Vita Vespasiani, c. 4. — Pluribus persuasio inerat, antiquis sacerdotum libris contineri, eo ipso tempore fore, ut valesceret oriens, profectique Judaea rerum potirentur, quae ambages Vespasianum et Titum praedixerant. Tacitus, Hist. 5, 13.

[2] Horat. 1, 2: Cui dabit partes scelus expiandi
Juppiter? Tandem venias precamur
Nube candentes humeros amictus
Augur Apollo.

ricis temporibus exoriuntur; evangelia vero originem habent ex sat exculta aetate, in qua viri ex indole Josephi Flavii historiam rerum descripserant;

2. mythus prodit ac crescit per temporis longiora spatia et plures demum generationes; evangelia e contra in prima jam post Christi mortem aetate undique divulgata et omnibus cognita scimus;

3. mythus, nil nisi populi speculum morum, nunquam quid novi creat vel fingit, quum e populi modo vivendi prosilit, dum per Christum ejusque doctrinam facies terrae renovabatur;

4. mythus denique semper et ubique stabilibus lineamentis extremis caret et nullam certamque personam assignare valens nunquam non aliis utitur verbis quam illis: dicitur, traditur fertur; Christus vicissim est totus veritas et vita, quoquoversus clare cusus character. Porro quomodo posset Christianismi exsistentia explicari, nisi vixerit ille, qui auctor fuit hujus revelationis?

Quaestio gravissima autem est quisnam proprie fuerit Christus? Si enim merus, etiamsi extraordinarius homo erat, ab eo pervulgata religio tunc humanam, non divinam habet originem; aliter autem res se habet, si in Jesu Nazareno imago illa Messiae per prophetias Veteris Testamenti minutatim ac vivide characteribus admodum propriis perfectissime expressa deprehenditur, si scilicet Christus promissus Messias et verus Dei filius ipseque Deus fuit. Atqui ita res se habet.

Nr. 58. Jesus Christus revera est **promissus Messias.** Id demonstrat suimetipsius testimonium, nec non illud Veteris Testamenti.

1o Ex dictis Christi ipsius pauca tantum. V. gr.: Ad fontem Jacobi mulieri Samaritanae confitenti, se scire, *Messiam* esse venturum, Dominus noster succincte et clare respondit: *Ego ipse sum, qui tecum loquor.*[1] — Post ultimam suam coenam preces fundens sacerdotales exclamavit inter alia: *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum et quem misisti Jesum Christum.*[2] — Cum princeps sacerdotum illi diceret: Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus

[1] Joan. 4, 25. [2] Joan. 17, 3.

filius Dei, Jesus respondit: *Tu dixisti.*[1] — Repetita vice discipulos suos confitentes fidem suam in eum ut filium Dei vivi minime redarguit, imo potius collaudavit.[2]

2o Testimnium veteris Testamenti illud est, quod omnia et varia de venturo Messia edita vaticinia in Jesu impleta sunt, quaeque ad tria capita reduci possunt: respiciunt enim aliae prophetiae tempus adventus Messiae, aliae ejus munia et characteres, aliae notas ejus personales indigitant.

α) Quoniam tempŏris punctum, tribus illis modo supra jam nominatis vaticiniis indicatum, positive assignare propter historicas praesertim obscuritates arduum est; ideo eadem vaticinia hic consideramus tantum, quatenus negative illud tempus determinant: id est, quatenus limitem certum statuunt, citra quem Messias venire debuit.

Jam vero hoc modo ex primo vaticinio certum est, Messiam venturum fuisse, antequam omnis potestas civilis et propria eriperetur Judaeis; ex secundo et tertio constat, antequam religio mosaica cum templo penitus dissiparetur, nimirum ante excidium Hierosolymorum anno aerae nostrae 70, Messiam venire debuisse. Atqui ante illam epocham non venit quispiam Messias, ipsis Judaeis fatentibus, praeter Jesum Christum, in quo ergo praedictum tempus Messiae venturi impletum est.

β) Characteres Messiae, quos apud prophetas deprehendimus, sunt, ut futurus sit Rex,[3] Sacerdos,[4] Propheta ac Legislator;[5]

γ) ejusque praecipua munia, ut, vetere Testamento abolito, novum Testamentum novamque religionem, Ecclesiam scilicet universalem constituat.[6] Haec omnia in Jesu, in eoque solo, impleta esse, ex historia tum evangelica tum ecclesiastica manifestum est.

δ) Prophetiae, quae Messiae personam describunt et in Jesu vere expressae sunt, eae sunt, quae ortum ejus et nativitatem, vitae mortisque

[1] Matth. 26, 63. [2] Matth. 16, 16; Joan 6, 70 [3] Ps. 2. [4] Ps. 109. [5] Deuter. 18, 15. [6] Jerem. 21, 31; Ps. 109; 39, 7; Isaj. 43, 1; Ps. 71, 8.

circumstantias et a mortuis resurrectionem praenuntiant. Praedicitur autem Messias oriturus ex semine Abrahae et Davidis, nasciturus ex virgine in Betlehem;[1] nuntiatur praevium habiturus praecursorem in solitudine, praedicaturus Evangelium, miraculis confirmaturus doctrinam, pauperem traducturus vitam, triumphantis instar ingressurus Hierosolymas, sedens super asinam.[2] Quoad autem Messiae passionem et mortem, praedicitur: prodetur a discipulo,[3] vendetur,[4] deseretur a suis,[5] accusatus obmutescet,[6] sputa et contumelias perferet,[7] a Judaeis et gentibus simul damnabitur,[8] cruci affigetur,[9] mortem obibit inter iniquos,[10] deridebitur a praetereuntibus,[11] felle es aceto potabitur,[12] latus ejus aperietur,[13] in vestes ejus sortes mittentur,[14] sepelietur in monumento hominis divitis,[15] crura ejus in morte non confringentur,[16] resurget,[17] et exaltabitur.[18]

Nr. 59. **Testimonia pro Christi divinitate** ad quatuor reduci possunt capita, quae sunt;

1. ipsius Christi doctrinae praestantia;
2. Christi character personalis;
3. prophetiae editae;
4. miracula in confirmationem ejusdem doctrinae patrata.

α) Doctrina Christi in *theoreticis* non tantum ea, quae pertinent ad Deum, hominem et mundum, sine minimo errore docet, sed etiam dogmata tradit omni humana sapientia longe superiora; in *moralibus* similiter apparet divinae originis, quoniam nullo vel levissimo errore maculata cernitur, necessariis non caret, superfluis non redundat, motiva praebet efficacissima ad praecepta implenda; sic arcet vitia, ut ipsorum originem detegat et adjumenta ad ea convellenda exhibeat; sic virtutes docet, ut ad eas colendas fortitudinem ingerat: humilitate sua tam profunde descendit tamque alte ascendit charitate, ut tantam virtutis

---

[1] Isaj. 11, 1; Jerem. 23, 5; Isaj. 7, 14; Mich. 5, 2. [2] Isaj. 40, 3; Malach. 3, 1; Isaj, 41, 1; 35, 4; 53, 2; Ps. 87, 16; Zachar. 9, 9. [3] Ps. 40, 10. [4] Zachar. 11, 12. [5] Zachar. 13, 7. [6] Isai. 53, 7. [7] Isai 50, 5. [8] Ps. 2, 2. [9] Ps. 21, 17. [10] Isai. 53, 12. [11] Ps. 21. [12] Ps. 68, 22. [13] Zach 12, 10. [14] Ps. 21, 19. [15] Isai. 53, 9. [16] Num. 9, 12. [17] Osee 13, 15; Ps. 15, 10; Isai. 11, 10. [18] Dan. 7, 13.

sublimitatem humana ratio ante Christi doctrinam vix quidem fuerit suspicata.

β) Christi characterem personalem quod attinet, perfectio ejus est summa, quam mens humana haudquaquam delineare, nedum assequi potest. In qua sententia praeterea confirmamur ipsa adversariorum Jesu agendi ratione, qui quamvis odio in eum ac invidia aestuarent, nullius tamen malefacti eum accusare possunt et propterea ad falsos testes confugere coguntur, quapropter Dominus noster omnium ad mortem condemnatorum solus est, cujus judex confiteri oportuit: „Nullam invenio in eo causam.“[1]

γ) Vaticinia a Christo edita pariter certissimum constituunt divinitatis ejus documentum. Dispesci commode possunt in ea, quae ad ipsum referuntur, porro in ea, quae ad fata religionis et Ecclesiae suae pertinent et in illa, quae ad excidium Hierosolymorum spectant. Demonstrant autem haec vaticinia[2] divinitatem missionis ac doctrinae Christi, cum ea in signum missionis et in confirmationem doctrinae suae ediderit; quapropter prophetiis, quibus resurrectionem suam praedixerat vel proditionem Judae, adjecit verba:[3] *Amodo dico vobis priusquam fiat, ut cum factum fuerit, credatis, quia ego sum.*

Praedixit autem Christus *quoad se ipsum:* Judam se esse proditurum, discipulos fugam capturos et Petrum se ter negaturum, antequam gallus bis cantet;[4] porro se tradi debere Judaeis et Gentibus, multa pati, illudi, flagellari, conspui, morte condemnari et tandem crucifigi, at se triduo abhinc post mortem resurrecturum[5] atque ad Patrem ascensurum.[6]

Quoad fata religionis et Ecclesiae: Spiritum s. post suum in coelum reditum super Apostolos effusum iri;[7] hos iterum omnis generis vexationes perpessuros esse,[8] quo non obstante Evangelium per universum orbem praedicatum[9] et regnum Dei a Judaeis ad Gentes

[1] Joan. 19. 4. [2] Ubi haec vox in sensu latiori sumitur, hic quoque charisma **cardiognosiae** nominari deberet, quae pluries in Christi vita ostendebatur, v. gr. Matth. 9, 4: Et cum vidisset Jesus cogitationes eorum, dixit etc. [3] Joan. 13, 19. [4] Matth. 26, 21 seqq. [5] Marc 10, 32. [6] Joan. 20 17. Matth 10. 19. [8] Matth. 24, 9. Matth. 8. 10.

translatum iri[1] et Ecclesiam, Petri successorum regimini obtemperantem, aedversus fluctus adversitatum usque ad finem saeculorum esse perseveraturam.[2]

Quoad eversionem Hierosolymorum praedixit, quae ipsum excidium erant praecessura: turbulentas seditiones exorituras, multos falsos Messias surrecturos, grassaturam pestem et famem et terrae motus:[3] dein urbis obsessionem et eversionem, ita ut lapis supra lapidem non remaneat;[4] tandemque Judaeos per universum orbem dispersum iri atque miseram hanc populi et urbis conditionem duraturam esse usque ad consummationem saeculorum.[5]

δ) Dignitatem et legationem divinam Christi miracula comprobantia partim ab ipso vivente in terris effecta, partim a Patre de coelis propter Christum, partim post ejus mortem edita sunt.

Miracula ejus in Evangeliis narrantur multa, praeclara et manifesta. Ipsi obedire cernitur natura inanimata: ut aqua, panis, arbores, mare et venti; natura animata: ut pisces maris, corpora hominum ac membra infirma, omnis languor et morbus, imo mors ipsa potestati ejus subjecta est; natura invisibilis, i. e. daemones ejus imperio cedunt et Angeli praesto sunt ad ministrandum ei.

Patravit autem haec miracula in doctrinae suae confirmationem ac testimonium missionis suae. Cf. Joan. 41, 42: *Propter populum, qui circumstat, dixi: ut credant quia tu me misisti. — Haec quum dixisset, voce magna clamavit: Lazare, veni foras.*

Nr. 60. **Christiania religio divina esse probatur speciatim ex miraculo resurrectionis Christi.**

Resurrectio Christi ex mortuis est simul praeclarum miraculum et praeclari vaticinii implementum; est miraculorum Christi celeberrimum, imo aliorum omnium sigillum. Est autem haec Christi resurrectio factum indubium, cum ejus testes sint plurimi, qui nec decipi potuerunt, nec decipere voluerunt, nec si voluissent decipere potuissent.

Tales autem testes sunt: 1. Apostoli, qui vident,

---

[1] Matth. 21, 43. [2] Matth. 16, 18. [3] Matth. 24, [4] Luc. 19, 43; 21, 20. [5] Luc. 21, 24.

audiunt, palpant magistrum redivivum per 40 dies; qui testimonium suum et miraculis et sanguinis effusione obsignant; 2. mulieres et discipuli omnis generis plus quam 500; sunt porro 3. Judaei et ethnici, propter rei evidentiam conversi; 4. Judaeorum principes. ad sepulcrum excubias ponentes, nec tamen in testantes Apostolos tamquam in mendacii reos animadvertentes; denique 5. acerbissimi christiani nominis hostes ut: Celsus, Porphyrius, Hierocles, Julianus, qui resurrectionem Christi sicut caetera ejus miracula magicis quidem artibus tribuendo elidere conati, negare tamen numquam sunt ausi. — Ergo Christus surrexit vere; ergo doctrina ac religio ejus divina est et propterea haec religio ac doctrina sub poena aeternae damnationis sequenda est et servanda.

Nr. 61. Praeter hucusque exposita sunt adhuc alia quaedam divinam ac supernaturalem origninem religionis christianae contestantia signa, quae vocari possunt **miracula in ordine morali.**

Hujusmodi sunt eventus illi extraordinarii, qui licet physice possibiles, moraliter tamen, hoc est, spectatis hominum moribus et naturali rerum humanarum cursu, absque speciali concursu Dei ejusque providentiae ordinatione singulari contingere non potuissent. Quare hujusmodi eventus, ut sunt *religionis christianae* propagatio, efficacia, constantia et perennitas[1] ad miracula merito referuntur juxta illud Augustini;[2] „Si mundus credidit Apostolis sine miraculo, et hoc maximum miraculum dicendum est."

1. **Propagatio** christianae religionis virtuti divinae est adscribenda, nam alias, scil. causa humana aut naturali explicari non potest, quum α) summa cum celeritate (vix tribus saeculis!) per totum terrarum orbem sit diffusa, idque β) inter summas difficul-

[1] His a quibusdam adduntur: Oraculorum cessatio, donorum Spiritus s. in primos Christianos effusio eorumque in Ecclesia continuatio; ultio Dei in Judaeos hujusque gentis conservatio; demum aerumnae et mors persecutorum.

[2] Eundem in sensum Dante, Paradis. 24, 106:
Se il mondo si revolse al Christianesmo
Diss'io senza miracoli: quest' uno
E tal, che gli altri non sono il centesmo.

tates, internas et externas et γ) per media perinepta, naempe praedicatione duodecim piscatorum ex Galilaea, illiteratorum atque despectorum. Ergo *a Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris.*[1]

Difficultates vel obstacula erant tum praeconceptae opiniones philosophicae, religiosae, morales, quo refertur terribilis repugnantia passionum; tum vis extrinseca christianam religionem profitentibus illata per verba, scripta atque tormenta; tum intrinsecae dissensiones, schismata et haereses.

2. **Effectus,** quos Christianismus produxit, pariter non nisi divina virtute explicari possunt. Religio enim christiana mundum gentilem flagitiosissimum convertit ad puritatem evangelicam, liberavit homines a crassa ignorantia atque foeda superstitione, dispulit nefanda scelera et mala, quibus status socialis premebatur, sustulit aut saltem imminuit.

3. **Constantia** martyrum cum omnibus adjunctis spectata humanae conditioni ut minimum moraliter impossibilis, ergo divino cuipiam influxui ac virtuti tribuenda est.

Christiani *martyrii adjuncta* autem sunt: 1° martyrum multitudo innumerabilis, 2° personarum qualitas, 3° suppliciorum immanitas, 4° persecutionum diuturnitas per tria fere saecula, 5° patiendi modus, 6° accedentia prodigia, 7° fructus ad religionis incrementum, secundum illud Tertulliani verbum:[2] Sanguis martyrum semen est Christianorum.

Immerito **objicitur**: *historia teste omni aetate fuisse homines opinionibus falsis, quibus semel imbuti fuerant, tam firmiter addictos, ut nullis suppliciis, nec ipsa morte ab illis divelli potuerint, ita ut omnes religiones: pagana, islamitica, atque in sinu ipso Christianae religionis Montonistae, Donatistae, Anabaptistae, Protestantes referant Martyres suos. In Martyres Christianos enim nulla cadit ejusmodi suspicio, quum animum ab omni illusione prorsus immunem arguant: illa animae quies, quam Martyres in cruciatibus prae se ferebant; responsa sapientissima, quae reddebant; amor, quo ipsos complectebantur hostes; preces, quas pro ipsis fundebant.*

---

[1] Ps. 117, 23. [2] Apol. c. 5.

Fanatismus *praeterea nec omnes ubique invadit, nec diuturnus est, sed brevi dissipatur atque naturae deliberationi cedit, et nonnisi circa ea versatur, quae in opinionibus speculativis seu in contemplatione posita sunt.*

4. **Perennitas** ac perpetua religionis christianae stabilitas denique ejus divinitatem demonstrant, quia haec stabilitas fuit contra omnem humanam prudentiam praedicta et reipsa perstitit inter vicissitudines ac impetus tales, quibus nulla humana institutio resistere potuisset.

Fuit praedicta a Christo dicente:[1] *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam et portae inferi non praevalebunt adversus eam*, et iterum: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.*

Perstitit invicta inter impetus, quos perpessa est omni tempore et omni bellorum genere, sive arma spectentur sive hostes. *Arma* fuere gladius, errores, vitia; *hostes*, tum publici et privati et occulti, tum externi et interni seu domestici. Hostes externi fuere Judaei, Gentiles, Muhametani; hostes interni fuere haeretici et schismatici.

Haeretici pullularunt ab initio et a diebus ipsis Apostolicis nec unquam deinceps defuerunt, diversis usque sub formis renascentes: alii singula dogmata impetentes ut antiquiores; alii totum corpus dogmaticum convellentes, ut recentiores; alii christianismi radicem evellere ac subruere fundamenta animamque penitus exstinguere adnitentes, ut Rationalistae et increduli praesentis temporis. Atqui inter tot impetus perstat immobilis et integra religio christiana; ergo manu Dei fundata est et sustentata. Haecce autem divinitatis religionis Christianae documenta prae oculis habentes jure meritoque Richardi Victorini verbis[2] assentimus: „Domine, si error est, a te decepti sumus: nam ista — fidei scilicet nostra documenta — in nobis tantis signis et prodigiis confirmata sunt et talibus, quae non nisi per te fieri potuerunt."

---

[1] Matth. 16, 18.
[2] De Trinit. lib. 1, cap. 2

De indole religionis Christianae.

Evicta religionis Christianae veritate, antequam disquiramus, ubinam ea pura ac integra asservata inveniatur, quaedam adhuc de illius indole in universum, scilicet de ejus ambitu, absoluta perfectione, indefectibilitate ac necessitate praemittenda sunt, quae demonstrationis catholicae subsequentis quodammodo fundamentum sunt.

Nr. 62. **Ad ambitum religionis Christianae pertinent et hinc fide divina credenda sunt omnia, quaecunque Christus Dominus per se aut per Apostolos revelavit,** dum ex altera parte ad hanc religionem succedente tempore nihil aliud accedere potuit aut nunc potest, ita ut revelatio eorum, quae sunt nobis ad salutem necessaria, clausa in Apostolis dicatur.

Protestantes falso asserunt distinguendum esse inter **articulos fundamentales,** naempe eos, qui necessario credendi sunt, atque **non fundamentales** seu tales, qui salva quoque salute rejici possunt; nam 1. auctoritas, ob quam veritates revelatae pro divinis habendae sunt, relate ad omnes eadem est; 2. neque Christus neque Apostoli hanc distinctionem fecerunt; 3. nemo hucusque definire valuit, quaenam doctrinae sacrae capita ad fundamentalia, quaenam ad non fundamentalia pertineant; 4. haec sententia statuens: posse articulos quosdam, licet sint revelati, non credi ac negari, necessario ad indifferentismum erga omnem religionem Christianam ducit.

Non melior est de eadem re distinctio recentiorum Rationalistarum, juxta quos non fundamentales seu illustrantes ii vocantur articuli, qui salva religionis integritate tolli possunt, e. gr. de peccato Angelorum; fundamentales vero, qui salva religionis integritate tolli nequeunt et discernuntur α) *primarii* seu constitutivi, qui complectuntur decreta religionis Christi prorsus necessaria, v. gr. doctrina de Deo spiritu perfectissimo, de Jesu Christo redemptore; β) *secundarii*, qui tantum propius aut remotius cum illis cohaerent, ut ex. gr. doctrina de Angelis.

Nr. 63. **Religio Christi est absolute perfecta,** ita ut non tantum nullae revelationes novae ei adjiciendae sint, sed et ipsa in se seu objective considerata perfici nequeat.

α) Religioni Christi nullae revelationes novae adjiciendae sunt.

Probatur:

1° jam exinde, quod ipsa nobis per ipsum unigenitum Dei filium est allata, cujus forma Deihominis inter varias revelationis formas certe est perfectissima;

2° praestat perfectam hominis cum Deo reconciliationem, quae autem summus omnis religionis revelatae scopus est;

3° id ipsum pariter docent Christus ejusque Apostoli; fides enim Christiana ab ipsis ubique ceu revelatio perfecta et absoluta in oppositione Legis imperfectae et praeparatoriae describitur, v. gr. Matth. 5, 17: *Nolite putare, quoniam veni solvere Legem aut Prophetas: non veni solvere, sed adimplere.*

Rationalistae recentiores false propterea asserunt Christum Dominum et Apostolos se ad opiniones populares, etiam vanas, demisisse sicque in proponenda sua doctrina *accomodatione doctrinali positiva* usos fuisse; quod si enim facere voluissent, doctrinam, quae visa est Judaeis scandalum et Gentibus stultitia, haud proposuissent. Adhibuerunt autem jure meritoque accomodationem *didacticam*, se ad conceptus auditorum demittendo et consuetum docendi modum adoptando, atque etiam *doctrinalem negativam*, quatenus quae auditores capere nondum poterant, haud proponebant. cujus utriusque accomodationis in SS. Litteris varia occurrunt indicia.[1]

β) Religio Christi etiam ipsa in se seu objective considerata perfici nequit; nam

1. si religio Christiana, ut Rationalistae contendunt, successu temporis perfectior reddi posset, unum ex his duobus admittendum esset: vel Christum vel Apostolos veram ac genuinam doctrinam aut ignorasse aut tradere noluisse, quod autem absurdum est;

---

[1] Cf. Matth. 12, 1 ff.; 1 Cor. 3, 1 ff.; Gal. 3, 15; Hebr. 5, 11.

2. admisso hoc systemate ratio necessario revelationis divinae judex adeoque supra revelationem constitueretur, quo vero stabilito omnis revelatio divina abjicitur, quin imo nihil plane in societate humana incolume relinquitur, quia, si nonnisi id verum habetur, quod ratione humana perspicitur: neque liberi, ut jam s. Augustinus[1] scribit, parentes colere tenebuntur, quum nesciant sed credant veros esse parentes suos.

Licet autem religio Christiana in se perfectior fieri non possit, potest tamen magis explicari ac evolvi nec non subtilius, apertius ac definitius proponi, dum e contra fideles possunt, imo debent satagere, ut semper meliorem et perfectiorem religionis revelatae cognitionem sibi acquirant, quo religio subjectiva perficitur.

Nr. 64. Religio Christiana **indefectibilis** quoque est, i. e. nunquam potest aut prorsus desistere aut quidquam de sua integritate amittere, quod ex sequentibus patet:

1° Christus Dominus, qui venit, ut ipse testatur, *salvare, quod perierat*[2] religionem nobis attulit, ut per eam ad salutem pervenire possimus;

2° declarat porro futurum esse, ut omnes populi ad religionem suam convertantur, dicens: *fiet unum ovile et unus pastor;*[3]

3° Apostolus[4] docet esse voluntatem Dei, ut omnes ad agnitionem religionis Christianae perveniant — ad quos fines autem religio haec certe necessario integra ac incorrupta conservari debet, cum illud aliter fieri prorsus non posset.

Nr. 65. **Religio christiana exinde quoque omnibus hominibus divinitus est obligatoria;** nam

1° Christus auctor Novi Testamenti a prophetis jam legislator universalis exhibetur, e. gr. Dan. 2. 44: *suscitabit Deus coeli regnum, quod in aeternum non dissipabitur et regnum ejus alteri populo non tradetur; comminuet et consumet universa regna haec: et ipsum stabit in aeternum;*

2° Christus revelationem suam suscipiendam mandat omnibus sub comminatione aeterni supplicii: *Euntes in mundum universum praedicate Evangelium*

[1] De utilit. cred. c. 12. u. 16. [2] Matth. 18, 11. [3] Joan. 10, 16 [4] 1 Tim. 2, 4.

omni creaturae. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur;[1]

3o rationis sanae dictamen: quam vehementer enim ad salutem nostram vel finem nostrum ultimum sectandum tenemur, tam vehementer quoque ad religionem Christianam profitendam obstringimur, cum sine revelationis supernaturalis ac divinae auxilio, ut supra demonstravimus, salutem nostram consequi haud valeamus, religio autem Christi, eaque sola, divinam prae se ferat originem.

Tractatus tertius.

De vera Christi Ecclesia.

In hoc tractatu, a quo jam demonstratio catholica exorditur,[2] sermo erit: 1. de institutione Ecclesiae, 2. de constitutione Ecclesiae, 3. de notis verae Ecclesiae, 4. de necessitate Ecclesiae.

De institutione Ecclesiae.

Prout Ecclesia sine religione cogitari, ita religio sine Ecclesia nequit existere. Ut ergo Christi revelatio pervenire possit ad omnes homines omnium temporum, absque dubio curam sibi dedit instituendae communitatis, exornatae quodam auctoritatis principio eoque visibili, humano, in sempiternum duraturo ac infallibili, quum secus non idoneum fuisset homines omnium temporum usque ad consummationem saeculi veritatem docere.

Nr. 66. Haecce autem communitas est **Ecclesia catholica,** sub qua coetum illum Christi fidelium intelligimus, qui sub regimine unius capitis Romani Pontificis conjunguntur.

Vox *Ecclesiae*, a verbo graeco ἐκκαλέω, idem sonat ac evocatio seu evocatorum coetus. Hinc quivis

[1] Marc. 16, 15. [2] Cf. *Prolegom*, pag. 4.

conventus seu coetus convocatorum, etiam civilis ac politicus in ipsis SS. Litteris[1] Ecclesia appellatur. Veruntamen temporis successu vox haec ad denotandum nonnisi societatem religiosam sive universalem sive etiam in certa provincia aut urbe consistentem, restricta est.

Cum ergo Ecclesia jam ex vocabulo suo societas sit, habens se ad instar totius, ceu corporis moralis ac personae viventis duplici parte, i. e. anima et corpore constantis, consectaneum est, ut vel inadaequate secundum alterutram partem, vel adaequate secundum utramque spectari possit.

Secundum corpus tantum considerata Ecclesia est *societas baptizatorum, ejusdem fidei christianae professione et eorundem sacramentorum communione sub uno Christi in terris vicario adunata.*

Secundum animam tantum considerata Ecclesia est *societas vocatorum ad Christi fidem, supernaturalibus dotibus cum Christo conjuncta*, quae dotes autem sunt: fides, spes, charitas cum reliquis virtutibus et Spiritus Sancti donis, quae hujus conjunctionis spiritualis vincula sunt ac proportionata media, ut ex eorum natura et officio intelligi potest.

Ecclesia Christi adaequate, secundum corpus simul et animam sumpta, est *societas fidelium baptizatorum, quos interius quidem animat fides, spes et charitas: exterius autem fidei ejusdem christianae professio et eorundem sacramentorum communio adunat, sub uno capite Christo in coelis et ejus in terris vicario, Summo nempe Pontifice.*

Voluerunt quidem nonnulli denominationem corporis et animae Ecclesiae ad docentem et discentem adhibere Ecclesiam, eo scilicet sensu, quod corpus Ecclesiae significaret multitudinem fidelium, anima vero auctoritatem qua ordinantur, qui vero sensus inter Theologos usitatus non est.

Nr. 67. Ad ecclesiam necessario **requiruntur:**

1. *Symbolum* seu doctrina fidei et morum;

2. *Rituale* ecclesiasticum seu complexus actionum constitutarum ad cultum Dei externum spectantium;

---

[1] Cf. Ps. 25, 5; Act. 19, 32.

3. *Hierarchia* seu regimen sacrum, triplici potestate magisterii, ministerii et regiminis (sensu strictiori acceptum) instructum, quod etiam Organismum ecclesiasticum vel vero communiter Ecclesiam sensu angustiore appellant.

Quatenus fideles professione seu exercitio religionis Christi interiore, i. e. fide, spe et charitate conjunguntur sub invisibili capite Christo, Ecclesiam invisibilem vel animam Ecclesiae constituunt; quatenus vero professione seu exercitio religionis Christianae exteriore sub regimine legitimorum Ecclesiae praesulum, praecipue Romani pontificis copulantur, Ecclesiam visibilem vel corpus Ecclesiae efficiunt.

Porro Ecclesia potest spectari quatenus comprehendit vel 1. eos, qui in stadio praeparationis hisce in terris versantur et ad finem suum tendentes adversus varios salutis hostes militant, vel 2. illos, qui metam suam plene assecuti triumphum de victoria obtenta agunt, vel vero 3. eos, qui certamine quidem feliciter peracto tamen maculis levioribus onusti poenas adhuc temporales perpetiuntur ad animas suas purgandas. Unde triplex discernitur Ecclesia: militans, triumphans et patiens, et pertinent propterea ad Christi veram Ecclesiam alii *actu*, alii tantum *voluntate* ac desiderio: hi membra invisibilia sunt et nonnisi ad animam Ecclesiae pertinent; illi vero sunt membra visibilia atque possunt vel ad corpus et animam Ecclesiae simul, vel tantum ad corpus pertinere.

Nr. 68. Ecclesiae **membra visibilia** sunt ergo omnes, qui legitimo ritu, scilicet Baptismo, Ecclesiae sunt adscripti et neque sponte ex ea egressi, nec ab Ecclesia tamquam ab ipsa alieni sunt declarati.

Hinc ad membra visibilia Ecclesiae referendi sunt non tantum perfecti sed et imperfecti, i. e. peccatores et in fide vacillantes aut etiam increduli. Docent id enim diserte SS. Litterae, praesertim Christus ipse, qui Ecclesiam suam cum agro comparat, in quo triticum et zizania crescunt; porro cum sagena missa in mare ex omni genere piscium congregante etc.

Non autem pertinent ad Ecclesiam visibilem: 1. infideles, 2. apostatae, 3. haeretici formales, 4. schismatici manifesti atque 5. excommunicati.

Ecclesiae **membra invisibilia** solummodo, praeter Ecclesiam triumphantem ac patientem, sunt omnes, qui extra Ecclesiam visibilem versantes, sive jam sint baptizati sive non, affectu ac deciderio in vera Ecclesia existunt atque propter fidem suam implicitam ac contritionem perfectam modo extraordinario a Deo justificati adeoque vinculo Ecclesiae interno cum ipsa connexi sunt.

Nr. 69. **Ecclesia dividitur** in idealem et realem, quae realis iterum in visibilem et invisibilem, visibilis autem iterum in docentem et discentem discernitur.

Quatenus cogitando ceu talis, qualis nobis est necessaria adeoque qualem eam esse oportet, concipitur, idealis, quatenus vero revera existit, realis cognominatur. — Invisibilis ea est Ecclesia, quae constat ex membris invisibili vinculo internae religionis, fidei, spei, timoris et charitatis verae ac sincerae sub Deo rectore conjunctis adeoque membris solummodo perfectis; ecclesia vero visibilis dicitur, quae coalescit ex membris communi externo religionis exercitio, quod non necessario internam religionem perfectam comitem habet, sub visibili una praesulum regimine inter invicem connexis, quae itaque etiam imperfecta esse possunt. Sub Ecclesia docente intelliguntur Rectores Ecclesiae, sub discente vero reliqui, qui communiter fideles appellantur.

Nr. 70. **Christus fundavit Ecclesiam.**

Est *de fide*, ut patet ex omnibus Symbolis.

Probatur:

1° ex historia Novi Testamenti, ubi verba et facta, tum Christi tum Apostolorum, Ecclesiae institutionem demonstrant. Christus enim dicit:[1] *Supra hanc petram aedificabo Ecclesiam meam,* et reipsa tradidit Apostolis potestatem suam et misit eos in universum mundum, ut α) praedicent, β) sacramenta administrent, γ) omnes credentes et baptizatos suscipiant regendos: Apostoli autem hoc mandatum adimplent, quod ex eorum Actis et Epistolis patet.

[1] Matth. 16, 18.

2° Ex traditione perpetua, quae in omnium Patrum scriptis et in omnibus Symbolis apparet, quae habent: *Credo . . . sanctam Ecclesiam catholicam.*

3° Confirmatur denique id ipsum per confessionem ipsius a Christo constitutae Ecclesiae, quae nullum alium auctorem praeter Christum et nullum alium sibi praestitutum finem agnovit, praeter hominum sanctificationem atque salutem aeternam per professionem religionis Christi obtinendam.

Nr. 71. **Ecclesia Christi visibilis** est.

Constat ex Christi nec non Apostolorum effatis:

1° Christus Dominus exigens, ut fideles credant in ipsum, postulat quoque, α) ut hanc fidem externe etiam profiteantur, dicens:[1] *Omnis quicunque confessus fuerit me coram hominibus, et filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei;* β) praecipit, ut omnes, qui verbum vitae susceperint, ritu externo Baptismo videlicet, in societatem externam coaptentur: γ) coetum fidelium diserte Ecclesiam vocat, quo nomine nonnisi visibilis congregatio in SS. Litteris significatur; δ) ubi de fraterna correctione sermonem facit, adiri jubet Ecclesiam, i. e. antistites ejus, certo visibiles; ε) denique Ecclesiam cum rebus comparat, e. gr. cum sagena missa in mare ex omni genere piscium congregante; cum agro, in quo triticum et zizania crescunt; cum servis bonis ac malis etc., quae comparationem nonnisi cum Ecclesia visibili admittunt.

2° Apostoli in universum orbem abeuntes ubique verbum Domini praedicabant eosque, qui illud receperant, in societatem visibilem congregatos Ecclesiam constituere tradunt; quapropter dicere potuit Lucas: *appositas esse Ecclesiae in die Pentecostes*, post primam a S. Petro habitam orationem ad Judaeos, *animas circiter ter mille*, uti vicissim quoque de excommunicatione ac abscissione membrorum Ecclesiae loquuntur.

Nr. 72. **Ecclesia Christi diversa est a Synagoga** Judaeorum.

Probatur:

1° Christus de Ecclesia sua demum fundanda loquitur . . . *super hanc petram aedificabo Eccl. meam;*

[1] Luc. 12, 8.

2° Apostoli oeconomiam antiquam, nonnisi populo Judaico destinatam, abrogatam esse declarant;

3° s. Scriptura narrat[1] Judaeos baptizatos appositos esse Ecclesiae, quam Saulus devastasse ibidem quoque dicitur;

4° doctrina, cultus ac regimen a Christo ordinatum diversa sunt a doctrina, cultu et ministerio Ecclesiae Judaicae;

5° apparet denique hoc idem ex eo, quod Ecclesia Christi est semper duratura, dum e contra Synagoga temporalis tantummodo fuerat.

Nr. 73. **Ecclesia Christi in perpetuum est duratura;** nam id 1. prohetae praedixere, 2. Christus promisit, 3. Apostoli declarant et 4. ipsa rei natura docet.

Daniel 2, 44: *In diebus autem regnorum suscitabit Deus coeli regnum, quod in aeternum non dissipabitur et regnum ejus alteri populo non tradetur.* Antequam Christus nasceretur jam dictum de ipso ab Angelo legitur:[2] *Hic erit magnus et filius Altissimi . . . regnabit in domo Jacob in aeternum et regni ejus non erit finis.*

Christus ipse:[3] *aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam;*

Apostoli vero docent: oportere Christum regnare, *donec ponat inimicos sub pedibus ejus.* Novissima autem inimica destruetur mors.[4]

Denique jam ipse finis Ecclesiae, pro omnibus temporibus fundatae, perpetuitatem illius necessario exigit.

Nr. 74. **Ecclesia Christi est** insuper **indefectibilis.**

Est *de fide,* quod in Symboli articulo de Ecclesia continetur. Cf. Propositionem damn. Quesnelli 95 et Pistor. 77.

Indefectibilitas proprietas est cum praecedenti connexa, cum sit ea Ecclesiae dos, vi cujus ipsa, qualis a Christo constituta est, eadem illa persona moralis quae de Christo nata est, cum omnibus proprietatibus suis, usque immutabilis perseverat. Includit ergo perpetuitatem, qua tamen latius extenditur; nam perpetuitas sua notione durationem importat numquam

[1] Act. 2, 41. [2] Luc. 1, 32. [3] Marc 16, 18. [4] 1 Cor. 15, 25.

interrumpendam, indefectibilitas vero durationi immutabiltatem superaddit.[1]

Christus Ecclesiam suam constituit indefectibilem, si voluit eam esse perpetuam et immutabilem; atqui utrumque voluit; ergo.

Eam esse perpetuam ex Christi voluntate modo supra probavimus.

Voluit autem eam esse insuper quoque immutabilem, nam

1° Ecclesia perpetuo duratura, ea est quam Christus instituit; ergo immutabilis est: secus enim non ea ipsa perduraret quam Christus instituit.

2° Ecclesia ab ipsa Christi religione realiter non distinguitur, seu eadem reapse est cum Christi religione: atqui haec probata fuit esse immutabilis[2], ergo pariter Ecclesia immutabilis est.

Nr. 75. **Christus enim eum in finem Ecclesiam suam fundavit, ut opus suum continuaret ac fructus redemptionis hominibus adferret.**

Fungebatur vero Christus triplici munere prophetae, sacerdotis et regis, quod munus Apostolis suis non tantum generatim tradidit dicens: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos*, sed singulatim quoque, et quidem

munus propheticum: *Euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur;*[3]

munus sacerdotale: *Docete omnes gentes baptizantes eos;*[4] *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis;*[5] *hoc facite in meam commemorationem;*[6]

munus denique regium, quo fungentes Apostoli fideles ex mandato Christi regentes viam in coelum ducerent: *Pasce agnos meos; pasce oves meas:*[7] *quaecunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo, et quaecunque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo.*[8]

Quo munere ut fungi possent Apostoli, promisit

---

[1] Immutabilitas haec intelligenda sensu supra Nr. 63 ac 64 explicato. [2] Cf. supra in Nr. 64 dicta. [3] Marc. 16, 15. [4] Matth. 28, 19. [5] Joan. 20, 23. [6] Luc. 22, 19. [7] Joan. 21, 15. [8] Matth. 28, 20.

eis Dominus suum et Spiritus sancti divinum auxilium dicens:[1] *Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus.*

Nr. 76. Ex omnibus autem hucusque allatis **Ecclesiae nostrae character supernaturalis sat clare elucet.**

Jure meritoque propterea Christus dicere potuit:[2] *Regnum meum non est de hoc mundo;* nam revera supernaturalis fuit Christus Dominus, qui eam fundaverat; supernaturalis est Ecclesiae finis, scilicet sanctitas vitae christianae et mediante hac beatitudo aeterna vel supranaturalis Dei visio: supernaturalia denique sunt media, quae nos ad hunc finem ducunt, doctrina nempe et Sacramenta.

Ex hoc supernaturali suo charactere Ecclesia simul a quibusvis aliis mundanis vel civilibus societatibus, quarum finis primarius hominum temporalis ac terrestris solummodo salus est, essentialiter differt et eapropter quoque independens est a potestate civili polletque plena in rebus suis et illimitata autonomia.

Constitutio Ecclesiae.

Innitentes verbo sacro: *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta*[3] contendunt Protestantes omnia Ecclesiae membra aequalia sibi esse nec fuisse originetenus praeter universale adhuc peculiare quoddam sacerdotium, quod, per temporis decursum introductum demum, non divinae sed mere humanae sit institutionis. Multitudo enim fidelium, quum non possit per se sacra munia obire, deputat ad ea obeunda peculiares viros ipsisque per caerimonialem quandam inaugurationem plus vel minus potestatis et auctoritatis tradit, quam omnem tamen amittunt, si a munere suo amoventur.

Ab hoc Protestantium placito non videtur sententia Richerii et Febronii differre, quae pariter statuit potestatem sacram saltem jurisdictionis esse a Deo Ecclesiae datam, ut a communitate fidelium in Pastores derivetur. Contra hos et alios hujusmodi errores jam in sequentibus catholicam explicabimus doctrinam.

---

[1] Matth. 28, 20. [2] Joan. 18, 36 [3] 1 Petr. 2, 9.

Nr. 77. **Christus constituit Hierarchiam,** a laicis divino jure distinctam et peculiarem, seu coetum virorum, quibus solis potestatem sacram magisterii, ministerii et regiminis, eamque et ordinis et jurisdictionis, independenter a fidelibus quibuscunque commisit.

Probatur:

1o omnibus in locis, ubi Christus potestatem sacram duodecim discipulis seu Apostolis confert, ad hos solos, aut opposite ad reliquum coetum fidelium loquitur;

2o hanc triplicem potestatem Apostolis immediate ac ceteris fidelibus exlusis collatam fuisse ex eorum quoque agendi ratione in electione Apostoli Mathiae in locum proditoris Judae clare cognoscitur;

3o Apostoli ipsi disertis verbis declarant, se solos a Deo constitutos esse muneris sacri administratores sibique omnem propterea Ecclesiam superstrui; e. gr. s. Paulus:[1] *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei*;

4o accedit, Ecclesiam plenam et perfectam in die Pentecostes demum coepisse, potestatem sacram autem jam ante Apostolis fuisse collatam, ita ut ergo per illam eis prorsus contingere non potuerit;

5o denique unanimis quoque consensus antiquae Ecclesiae ejusque universalis ac constans praxis confirmant idem, potestatem scilicet sacram non populo aut saecularibus Principibus, sed immediate ac unice Apostolis fuisse a Christo concessam, cujus testimonia nobis adhuc in sequentibus hujus capitis propositionibus occurrent.

Nr. 78. **A Christo instituta Hierarchia varios gradus in se continet.** Vivens enim adhuc in terris Salvator ipse inter duodecim Apostolos Petrum elegit eumque Primatem totius Ecclesiae constituit. Praeterea ut Apostoli alios successores cum plena potestate, quam ipsi acceperant, seu Episcopos, alios autem cum parte ejusdem tantum seu Presbyteros, et iterum alios, qui Eucharistiae rem sacram facientibus servirent, seu Ministros sibi deligerent, ordinavit.

---

[1] 1 Cor. 4, 1.

Hierarchia, quae vox sacrum principatum sonat, est sacra potestas, subordinatis gradibus distincta.

Habetur duplex, coelestis et terrestris. — *Coelestis* est subordinatio, quae inter novem Angelorum choros, seu coelestis Ecclesiae gloriosos exercitus intercedit. — *Terrestris* est inaequalitas potestatis et subordinatio inter Pastores et Ministros Ecclesiae terrenae disposita.

Haec Ecclesiastica hierarchia iterum duplex distinguitur, pro duplici potestatis genere, Ordinis et Jurisdictionis, quarum una confertur per sacramentum Ordinis, altera per canonicam institutionem; **gradus** autem, quos utraque haec hierarchia plures complectitur, alii sunt jure divino, alii tantum ecclesiastico determinati.

Spectato tantum jure divino, *hierarchia Ordinis* constat Sacerdotibus et Ministris, seu, si explicite Sacerdotes primi et secundi ordinis separemus, Episcopis, Presbyteris et Ministris; *hierarchia jurisdictionis* vero constat: Primatu apostolico, Episcopatu et Presyteratu.

Nr. 79. **Christus,** qui **Primatum** instituerat, quo Ecclesiae suae daret principium unitatis, **contulit** illum **Petro, eique soli ac immediate,** ita ut hic jure dicatur Princeps Apostolorum, Ecclesiae caput, Christi in terris vicarius visibilis. Hoc nos verba Christi nec non agendi ratio Petri reliquorumque Apostolorum edocent.

Christus etenim *Petro contulerat Primatum,* cum α) eum fundamentum Ecclesiae suae constitueret, β) ei claves regni coelorum traderet, γ) potestatem ligandi et solvendi, quam caeteris quoque Apostolis dedit, ei adhuc speciatim ac singulariter tribueret, δ) ei soli totum gregem (oves et agnos) pascendum commendaret.

Eandem ob rem Christus redivivus Petro seorsum apparuit, pro constantia fidei in Petro, qui dein ceteros confirmaret, specialiter oravit atque jam hujus solius Apostoli, qui antea cognominabatur Simon, fausto sane omine nomen mutavit, uti antiquis illis temporibus nominum mutationes semper novam dignitatem vel divinam indicarent vocationem, v. gr. Abraham pro Abram, vel Israel pro Jacob.

Hinc quoque *Petrus semper Principem Apostolorum se gessit* et tamquam talis a reliquis Apostolis agnitus

est: Petrus enim fere semper nomine reliquorum Apostolorum locutus est, quando nomine omnium aliquid proponendum erat: ipse alium Apostolum in locum Judae eligendum esse proposuit; ipse primus Judaeis, et postea etiam, coelesti visione monitus, primus Gentilibus Christum annuntiavit atque fratrum defensionem suscepit; ipse in Concilio Apostolorum praesidem egit; ipse tandem universos coetus in Judaea, Galilaea et Samaria pertransivit *tamquam imperator*, ut ait[1] s. Chrysostomus, *suas copias recensens.* — Evangelistae denique constanter Petrum inter Apostolos primo loco collocant et Matthaeus expresse primum, *τὸν πρῶτον* appellat vel praetermissis aliis solum nominat, atque Apostolus Paulus tanti fecit, et eum visurus Hierosolymam proficisceretur.

Nr. 80. Quum **Primatus** Petro non in proprium commodum imo potius ob bonum Ecclesiae concessus esset: tamdiu **perdurare debet,** quamdiu Ecclesia perduratura est, id est, usque ad consummationem saeculi.

Possidet autem Petri primatum Romanus Episcopus, qui propterea legitimus ejus successor est, quia Petrus Romae sedem suam episcopalem habuit et eam ibidem moriendo Romanis Pontificibus tamquam successoribus reliquit.

Petrum Romam venisse, ibi Episcopatum tenuisse demumque et obiisse, testatur unanimi ore universa prorsus antiquitas.

In id enim 1. conspirant omnes Scriptores coaevi aut aetati Apostolorum proximi, qui de Petro scripserunt;

2. testantur varia antiquissima monumenta ut picturae, nummi et sepulchrum, quod inde ab antiquissimo tempore Romae ostendebatur;

3. probat universalis Ecclesiarum tum Orientalium tum Occidentalium de morte Petri Romae et de Cathedra ejus Romana per 16 saecula constans consensus, ita ut nemo ex tot schismaticis, praesertim Graecis, quorum maxime interfuisset id negare, id vel in dubium vocare in tota antiquitate usque ad recentissima tempora pertentaverit;

[1] Homil. 5 de Poenit.

4. confirmat id tandem summa dignitas Romanae Ecclesiae, cujus excellentiae non potest alia reddi ratio, nisi quia Princeps Apostolorum illius Ecclesiae proprius Pastor et Episcopus fuit.

Nr. 81. **Primatus, Apostolo Petro a Christo concessus, in Romano Pontifice perseverat.**

Est *de fide* 1° ex decreto Concilii Florent. pro unione Graecorum; item 2° ex confessione fidei, quae Michaeli Palaeologo Imperatori a Clemente IV° anno 1267 proposita et vicissim ab ipso 1274 in Concilio oecum. Lugdun. II° Gregorio X. fuit oblata, et 3° ex cap II° constitutionis *Pastor aeternus* in Concilio Vaticano: „Si quis dixerit Romanum Pontificem non esse beati Petri in eodem primatu successorem, anathema sit."

Propterea α) SS. Patres Romanam sedem velut „omnium maximam", ut „Ecclesiam principalem, Ecclesiarum omnium matrem, principium et originem unitatis" etc. extollunt, β) Romani Pontifices vero inde ab initio statim constanter auctoritatem primatialem in universam Ecclesiam exercebant, etenim:

Controversias ubicumque ortas dirimebant atque dissidia componebant; haereses ac errores, ubicumque exorti fuerint, damnabant; sibi, utpote quorum cura per omnes Ecclesias distendatur, de omnibus, quae ad fidelium salutem pertinent, ut referretur, et sua sententia exspectaretur, prae omnibus postulabant; Episcopus obedire detrectantes deponebant (ut Stephanus Episcopum Arelatensem) atque ab aliis injuste depositos sedibus suis iterum restituebant (ut Julius Athanasium vel Innocentius Chrysostomum); denique leges pro Ecclesia universali ferebant et alios ejusmodi actus auctoritatis exercebant.

Nr. 82. **Pontifici Romano,** qui Gallicanis et asseclis Febronii tantum primus inter pares vel Ecclesiae caput solummodo ministeriale videbatur, ast princeps inter subditos dici debet, **inest potestas jurisdictionis, eaque immediata, ordinaria, universalis, plena et suprema.** Quam ob rem falso nonnulli contendunt:

1° Distinguendum esse inter Pontificum *jura essentialia*, quae ab his ad 6um vel 7um usque saeculum exercebantur, et *jura accidentalia*, quae Ponti-

fices sibi arrogabant vel eis concedebantur, e. gr. confirmatio, translatio et depositio Episcoporum, confirmatio ordinum religiosorum, censura librorum, reservationes, indulgentiarum concessio, canonisatio sanctorum etc.;

2° quae ab apostolica sede ad regimen ecclesiae constituuntur, vim ac valorem accipere demum assensu Ecclesiae vel placito potestatis saecularis;

3° Pontificem esse concilio oecumenico inferiorem huicque subditum, vel

4° apostolicae potestatis usum moderandum esse per canones Spiritu Dei conditos et totius mundi reverentia consecratos.

Ad probandas has suas erroneas sententias adversarii immerito provocant ad Concilii Florentini canonem: *καθ' ὅν τρόπον καὶ ἐν τοῖς πρακτικοῖς τῶν οἰκουμενικῶν συνόδων καὶ ἐν τοῖς ἱεροῖς κανόσι διαλαμβάνεται.* Illud *καθ' ὃν τρόπον* etenim non tantum, uti adversarii contendunt, idem ac *καθώς* (sicuti) significat; nam sensus genuinus hujus vocabuli perscrutandus est simul e textu latino, qui vero, itidem authenticus, sic habet: „Definimus — ipsi (romano pontifici) in b. Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro J. Chr. plenam potestatem traditam esse, *quemadmodum etiam in gestis oecumenicorum conciliorum et in sacris canonibus continetur.*" Sensus ergo alius esse non potest, quam hic: Etiam concilia et canones Ecclesiae papae plenam et illimitatam vindicant potestatem, unde quoque notum illud axioma: *Prima sedes a nemine judicatur.*

Ex altera parte supra dicta sententia, Pontificem esse concilio subditum, tempore magni occidentalis schismatis statuebatur quidem a Patribus in concilio Constantiensi congregatis; sed quivis rerum gestarum non ignarus bene scit, concilium, quod tunc ne oecumenicum quidem fuit, his verbis non voluisse pro omni tempore aliquid definire, cum enim adjiceret „ad exstirpationem dicti schismatis". Propterea in eodem ipso concilio defendebatur postea sententia contraria, quod impossibile fuisset, si prior sententia definitio de dogmate fuisset.

Cum Primatus juribus expositis intime **cohaeret,** ut Romanus Pontifex sit quoque immunis a quovis potestate civili insuperque sit omnino independens et propterea dominium possideat in certos terrae fines, sic dictum **Patrimonium Petri.** Hoc non quidem pro existentia ipsa, sed pro Ecclesiae salute necessarium; nam sic demum omnino independens et liber evadit Petri successor, qui absque ulla partium suspicione pari modo curam gerere debet omnium fidelium.

Nr. 83. Quemadmodum autem Primatus, ita et Apostolatus sensu latiori acceptus, i. e. munus sacrum et **sacra potestas ordinaria concessa Apostolis in Ecclesia perdurare debet.**

Qua de causa, ut ex SS. Litteris omnibus constat, ab Apostolis revera successores in munere suo seu Ministri sacri sunt constituti. Verum tamen Apostoli ex ordinatione Christi non omnibus, quos muneri sacro praeficiebant, omnem potestatem, quam ipsi acceperant, tradiderunt. Constituerant enim alios, quibus plena, quam ipsi habuerant, potestas collata est — Episcopos dein dictos; alios iterum, quibus tantum pars muneris et proin etiam potestatis sacrae per eorum manuum impositionem divinitus est concessa, quique postea Presbyteri vocabantur, et insuper adhuc alios, quibus tantum officium, illis prioribus rem divinam facientibus serviendi seu ministrandi est commissum, scilicet Diaconos seu Ministros sensu strictiori.

Quum in SS. Litteris prout et in scriptis sanctorum Patrum ex prioribus duobus saeculis nomina *Episcopi* et *Presbyteri* promiscue adhiberentur, negare volunt nonnulli discrimen Episcopos inter et Presbyteros, ast perperam; nam illis ad hoc spectantibus locis, qui pluries obscuri vel incerti sunt sensus, obstat effatum sat clarum Apostoli Pauli:[1] *Adversus Presbyterum accusationem noli recipere* etc. Similem in modum non licet verba S. Hieronymi[2] in hunc finem advocare, qui ita habet: *Idem est ergo Presbyter qui et Episcopus;* nam idem ipse autor in aliis suis scriptis saepissime affirmat Episcopos superiores esse Presbyteris; derivat porro hoc discrimen ex institutione

---

[1] Tim. 5, 19 [2] Comment. in Epist. ad Titum c. 1.

divina ipsa ostenditque exstitisse illud jam temporibus SS. Apostolorum; propterea s. Hieronymus minime a S. Augustino vel a quodam alio SS. Patrum arguebatur, dum e contra Aërius, qui Episcoporum et Presbyterorum aequalitatem contendere ausus erat, unanimi ore inter haereticos connumeratus est. S. Hieronymus in ipso laudato loco nil nisi aequalitatem proprietatum, quae exposci solent in ordinandis, affirmare voluit.

Nr. 84. Subjectum, in quo potestas Ecclesiae divina institutione residet, est **clerus,** qui propterea **a laicis distinguitur.**

Est *de fide* ex Trident. sess. 7. can. 10: „Si quis dixerit, Christianos omnes in verbo et omnibus sacramentis administrandis habere potestatem: anath. sit."

Probatur autem exinde, quod

1° Christus Apostolos elegit;

2° ipsis solis omnem illam potestatem concessit, quam in Ecclesia sua instituit;

3° eandem contulit illis immediate;

4° exclusive et

5° in perpetuum successoribus eorum transmittendam, cum ratio, ob quam potestas illa fuit Apostolis concessa, eadem usque perseveret, conservatio nempe Christi religionis et Ecclesiae.

Ea hominum classis, qui, ut olim tribus Levi in Tabernaculo, ita nunc in Ecclesia ad regimen et cultus divini ministerium deputati sunt, ordo Clericorum seu *Clerus* vocantur, quia sunt pars Domino consecrata et Dominus simul eorum est pars et hereditas = κλῆρος. E contra, qui nulla auctoritate in Ecclesia pollent et sunt pars christianae societatis solummodo ad audiendum atque obediendum ordinata, a voce λαὸς = populus, *laici* audiunt.

De notis et attributis Ecclesiae.

Quum Ecclesia a Christo fundata sit, ut homines in ea et per eam ad salutem suam perveniant atque propterea etiam omnibus sit necessaria: signis seu characteribus fulgere debet, ut ab omnibus inveniri et a quavis alia falsa discerni queat.

Nr. 85. Signa seu characteres, quibus Ecclesia vera ab omni alia falsa discernitur, **notae** Ecclesiae appellantur.

Propter hunc earum finem notae illae debent esse: 1. Ipsâ Ecclesiâ notiores; 2. non cum Ecclesiis aliis non veris communes; et 3. quodammodo sensibiles, omnibus obviae et cognitu faciles, non solum domesticis sed etiam extraneis.

Quibus vero notis Ecclesia Christi insignita sit, ex ejus indole et haec rursus e voluntate ipsius fundatoris Jesu Christi pendet; minime vero ad arbitrium illas confingere licet, alioquin quaevis secta prius notas excogitare et dein sibi attribuere posset.

Nr. 86. Ex communi Theologorum sententia, **quatuor statuendae sunt notae Ecclesiae,** illae ipsae, quas in Symbolo Nicaeno-Constantinopolitano expressas habemus, scilicet: 1. Unitas, 2. Sanctitas, 3. Catholicitas, 4. Apostolicitas.

In numero SS. Patrum ac Theologorum alter majorem alter minorem talium notarum statuit numerum: S. Hieronymus ex. gr. duas, Augustinus sex, Medina decem, Bellarminus quindecim enumerat characteres, quibus Ecclesia Christi qua vera cognoscitur.

Protestantes illi, qui Ecclesiae visibilitatem admittunt, tamquam notas statuunt: 1. verbi Dei sinceram praedicationem; 2. sacramentorum legitimam administrationem et 3. professionem obedientiae erga legitimum ministerium. At hujusmodi notae sunt rejiciendae cum non sunt notiores re cognoscenda; et sunt prorsus ineptae, cum illas statuere idem est ac contendere: vera Christi Ecclesia ex eo dignoscitur, quod vera est.

Nr. 87. **Unitas Ecclesiae** in eo consistit, ut ad instar individui hominis viventis, pluralitatem et divisionem excludat, et complectitur exinde duo: unicitatem et unionem.

Unicitas excludit pluralitatem Ecclesiarum, tum simultaneam tum successivam, *unio* vero divisionem, ita ut unitas ad omnia, quae ad essentiam Ecclesiae pertinent, extendatur et paucis consistat in unitate doctrinae, cultus divini et sacri regiminis.

Definitur eapropter sic: Unitas ea est Ecclesiae necessaria proprietas, pro qua in ea ubique locorum eadem doctrina fidei et morum tamquam a Christo tradita praedicatur, eadem sacra tamquam a Christo instituta administrantur, atque Antistites ejus sacra potestate instructi, Episcopi scilicet, Presbyteri et Ministri, sub uno capite sunt conjuncti.

Probatur:

1. Ex SS. Litteris, in quibus ubique generatim tamquam una et indivisa describitur, atque modo *regnum*, modo *domus* seu *aedificium*, modo *unum ovile*, modo *corpus unum, licet multa sint membra*, appellatur. — Christus apud Joan. 17, 11 orabat: Pater sancte serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum sicut et nos etc. Apostolus ad Ephes. 4. 3: Solliciti servare unitatem Spiritus . . . unus Dominus, una fides, unum baptisma;

2. ex Traditionis unanimi testimonio: e. gr. s. Cyprianus comparat Ecclesiam Christi cum tunica inconsutili, illamque vocat lumen, quod licet ubique diffundatur, tamen unum est.

Est autem Unitas Ecclesiae nota, quia extrinsecus apparet tum in unitate Symboli tum in unitate regiminis, tum denique in unitate sacrificii et sacramentorum.

Nr. 88. **Sanctitas** ea est Ecclesiae proprietas, pro qua in ipsa nihil, neque in doctrina, neque in rituali, neque in regimine deprehenditur, quod moralitati seu sanctitati manifesto esset adversum, sed potius omnia ita ordinata ac disposita sunt, ut studium virtutis et sanctitatis vere promoveant.

Ecclesia dicitur sancta fere ita, sicut arbor dicitur fructifera. Arbor dicitur fructifera, tum quia naturam fructiferam habet ac virtutem continet fructificandi tum quia reapse fructus producit: ita Ecclesia non solum ex Christo, tamquam ex divina radice, virtutem habet ferendi fructum multum, sed etiam revera fructus omnigenos et mirabiles sanctitatis perpetuo fundit. — Malos, quos ad Ecclesiam pertinere Christus in variis parabolis et Apostoli in epistolis docent, propter objectivam sanctitatem non excludi per se liquet.

Probatur autem Sanctitas, quae inde ab origine Ecclesiae tamquam necessaria ejus proprietas ab omnibus habita fuit neque ab ulla secta negata est, ex ratione et SS. Litteris:

Christus enim Dei Filius pro sua infinita sanctitate non poterat nisi quod est sanctum atque sanctitatem promovens instituere. Propter hunc finem in terram venit, propter hunc finem revelationem nobis attulit, et propter eundem finem etiam Ecclesiam fundavit, ut sic omnes, *qui credunt in eum, non pereant, sed habeant vitam aeternam,* nosque admonet, *ut simus perfecti, sicut Pater noster coelestis perfectus est.*[1] Idem diserte eloquitur s. Paulus[2] scribens: *Christus dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret . . . ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam aut rugam aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta et immaculata.*

Est autem Sanctitas Ecclesiae nota, quia exstrinsecus apparet 1° in Auctore suo, 2° in essentia seu constitutione sua, 3° in fine suo, 4° in mediis suis, 5° in capite suo Christo, 6° in ipso corpore seu membris suis, quae divinis charismatibus, nempe gratia sanctificante et dono miraculorum, pollent.

Nr. 89. **Catholicitas** seu Universalitas Ecclesiae illa est ejus proprietas, pro qua ipsa ad diffusionem per universas gentes omnium temporum ac locorum seu ad recipiendos homines omnes omnino est idonea.

Adversatur haec catholicitas omni particularitati, sive loci, qua olim Synagoga, sive ditionis politicae, qua omnes sectae acatholicae constrictae sunt.

Probatur haec Ecclesiae proprietas ut ex fine suo sic etiam ex vaticiniis V. T. et verbis Christi. Cf. 1 Mos. 22, 18: *Et benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae:* Matth. 28, 19: *Euntes ergo docete omnes gentes,* et iterum Act. 1, 8: *Eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judaea et Samaria et usque ad ultimum terrae.*

Est autem Catholicitas Ecclesiae nota, quia extrinsecus apparet in propagatione regni Dei.

---

[1] Matth. 5, 48. [2] Eph. 5, 25.

Nr. 90. **Apostolicitas** est illa Ecclesiae proprietas, pro qua ipsa super fundamentum Apostolorum est superaedificata, ita ut talis ab ea doctrina fideliter custodiatur, qualis ab Apostolis tradita fuit, et ejus Gubernatores ab Apostolis sint instituti eisque legitima et non interrupta serie succedant.

Est ergo duplex Apostolicitas: *doctrinae* nempe et *missionis*, quae et successionis dici solet.

Probatur:

1. Christus solis Apostolis eorumque successoribus mandatum dedit eundi inter omnes gentes, docendi ac baptizandi et sic Ecclesiam ubique locorum condendi et propagandi;

2. Apostolus Paulus dicit[1] exinde: Christianos esse superaedificatos super fundamentum Apostolorum:

3. proprietas haec a Patribus quoque ceu verae Ecclesiae indicium exhibetur: Tertullianus e. gr. jubet[2] haereses, quae aetatem apostolicam perhibebant, edere origines Ecclesiarum suarum apostolicas, quarum primus Episcopus aliquem ex Apostolis vel apostolicis viris habuerit auctorem et antecessorem; vel s. Hieronymus,[3] qui scribit: in illa Ecclesia permanendum esse, quae ab Apostolis fundata usque ad hunc diem durat.

Est autem Apostolicitas Ecclesiae nota, quia haec proprietas ceu extrinsecum historicum factum in propatulo est.

Nr. 91. Inter omnes, qui existunt coetus religiosi, **una invenitur Ecclesia, quam adversarii quoque catholicam vocant, quae his nunc expositis quatuor characteribus revera instructa et propterea sola est genuina Christi Ecclesia.**

E contrario utraque ecclesia, graeco-schismatica et protestantica, quae adhuc in censum hicce possunt venire, longe aliam prae se ferunt faciem.

Etenim hi ab Ecclesia catholica avulsi coetus statim iterum in alias sectas infinitas scindebantur: carent ergo certissime nota unitatis.

Desunt autem illis reliqui quoque verae Ecclesiae

[1] Eph 2. 19. [2] De praescr c. 32. [3] Dial. adv. Lucif. n. 27.

necessarii characteres. Carent sanctitate: nam earum fundatores haud quisquam sanctos vocabit; quod porro sanctitatis media attinet, imprimis doctrinam, principes et duces earum ipsi perquam dolent brevi collabefactos mores, et licet magna sit multitudo proborum extra catholicam ecclesiam, sancti tamen nequaquam dici, nec miracula apud eos inveniri possunt.

Porro Catholicitatem coetus protestantici jam propter principium suum, quod statuunt, scil. lectionem s. scripturae, cui legendae pauci et intelligendae longe pauciores adhuc pares sunt, affectare non possunt: praeterea omnes nationales ac politici finibus majoris vel minoris regni alicujus circumscripti sunt, quod etiam de Ecclesiis orientalibus valet, quae potius germen defectionis atque scissionis, quam extensionis in se gerunt.

Denique Apostolicitatis nota destituuntur, quum de eorum origine seriori omnium manifeste constet: Historia ecclesiastica eorum auctores assignat, tempus determinat, causas eorum originis exponit etc. Quoad eos omnes pertinet illud s. Augustini effatum:[1] „Quod tu hodie doces, parentes tui fidem ejus nondum habuerunt."

Necessitas Ecclesiae.

Christus Ecclesiam suam instituit ut societatem necessariam ita, ut extra illam nulla sit salus. Omnes enim jure divino tenentur veram Christi religionem sequi; sed haec non invenitur nisi in vera Ecclesia, quam Christus unicam instituit suae, religionis depositariam; ergo jure divino omnes hanc intrare Ecclesiam tenentur, et statuenda est propterea haec propositio;

Nr. 92. **Extra Ecclesiam catholicam non est salus.**

Est *de fide* Lateran. IV: „Una est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur," nec non ex Symbolo Athanasiano, quod in primo articulo habet: *Quicunque vult salvus esse, ante omnia opus est ut teneat Catholicam fidem*, et in ultimo: *Haec est fides catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.*

[1] Op. imperf. II, 13.

Propositio haec omnes sectarios atque incredulos vehementer offendit, sed injuste; nam sensus propositionis hic est: Ecclesia catholica unica per doctrinam suam atque sua salutis media homines objective vera via ad salutem ducit, et propterea quilibet ad eam sectandam obstrictus est, ita ut omnes, qui culpabiliter extra hanc veram Ecclesiam versantur, neque sanctificari ac justificari neque felicitatis aeternae participes reddi possint. Non ergo hic quaestio de eo movetur, *quis* salvus fiat, sed *quid* salvum faciat, neque de condemnandis hominibus sed tantum de doctrina vera seu de vindicando jure veritatis et rejiciendo errore agitur.

Probatur:

1. Ex verbis Christi:[1] *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit. Qui vero non crediderit, condemnabitur;*

1. Apostolus Judas haereticos vocat *illusores, quibus procella tenebrarum servata est in aeternum;*

3. idem SS. Patres docent, e. gr. Ignatius, qui haeresim *pharmacum mortiferum* appellat,[2] vel s. Cyprianus dicens:[3] Habere non potest Deum patrem, qui Ecclesiam non habet matrem. Si potuit evadere quispiam, qui extra arcam Noë fuit, et qui extra Ecclesiam foris est, evadet;

4. propterea vel ipsarum sectarum unanimis vox est, extra veram Christi Ecclesiam, quam vero se ipsos habent, salutem non obtineri.

Intolerantia ergo, si qua in illo dogmate locum habet, est intolerantia ipsius veritatis, quae errori suam dignitatem atque vim concedere nequit, quin se ipsam neget. Dicere enim, quamlibet Ecclesiam salvificam esse seu veram ad salutem viam monstrare ac fideles aeque certo ad salutem ducere, esset idem ac statuere errorem ejusdem virtutis ac pretii esse ac veritatem, hominemque erga hanc prorsus indifferentem esse licere. Porro si per quamvis haud veram Ecclesiam christianam ad salutem homines ducerentur, idem quoque de coetibus non Christianis, Muhamedanorum et Gentilium, valere deberet.

[1] Marc. 16, 16. [2] Ep. ad Trall. [3] Lib. de unit. Eccl.

Nr. 93. **Qui toto corde atque sincero animo in vera Ecclesia existere cupiunt, ob ignorantiam vero invincibilem eam non ingrediuntur, eo ipso ad illam pertinent** et membra ejus, quamvis tantum invisibilia, sunt, quibus modo extraordinario gratia, qua justificantur et dignos justitiae fructus faciunt, atque etiam si in hoc statu vita discesserint, felicitas aeterna a Deo confertur.

Probatur:

1. Ex SS. Litteris. Etenim s. Petrus de Cornelio loquens[1] expresse ait: *In omni gente, qui timet eum et operatur justitiam, acceptus est illi;* s. Paulus docet: *Deum velle omnes homines salvos fieri*[2] et *Christum pro omnibus mortuum esse*[3], quod et Christus enuntiat, dicens[4]: *Venit filius hominis salvare, quod perierat.* Si autem illi, qui ignorantia sua invincibili a recipienda doctrina catholica detinentur, non salvarentur, hoc nonnisi propterea esse posset, quoniam aut Deus eos salvare non vult, aut Christus pro ipsis non est mortuus;

2. ex doctrina SS. Patrum. Sic s. Justinus docet,[5] quum per rationem τοῦ λόγου omnes homines participes facti sint, qui secundum rationem vixerint, etiam ante adventum Christi Christianos fuisse non tantum inter Judaeos sed et inter Graecos; vel s. Gregorius M., qui tradit,[6] Ecclesiam omnes justos ab Abel usque ad ultimum electum comprehendere;

3. Catechismus Romanus idem docet verbis: *Praeterea omnes fideles, qui ab Adam usque in hunc diem fuerunt quive futuri sunt justi, ad eandem Ecclesiam pertinent;*

4. denique Ecclesia semper tenuit Baptismum flaminis atque sanguinis supplere Baptismum fluminis, insuperque docet homines etiam Sacramentorum voto gratiam justificationis adipisci.

Nr. 94. Ex modo allatis simul sequitur tolerantiam theologicam impiam esse et absurdam.

Vox *tolerantia* in sensu latiori significat gene-

---

[1] Act. 10, 35. [2] Tim. 2, 4. [3] 1 Cor. 5, 14. [4] Matth. 18, 11. [5] Apolog. 1, cap. 46. [6] In Evangel. L. 1, hom 19, n. 1.

ratim permissionem seu non-impeditionem mali alicujus, in sensu angustiori vero restringitur vocabulum hoc ad permissionem, respective ad non-impeditionem religionis alienae ceu falsae cognitae denotandam. et vel ad religionem ipsam in se objective spectatam, vel vero ad personas religionem profitentes, i. e. ad religionem subjectivam refertur; quapropter et haec dici potest tolerantia religiosa sensu strictiori, dum illa prior tolerantia theologica audit et ab indifferentismo haud differt.

Est autem **tolerantia theologica** ea sentiendi agendique ratio, qua religiones falsae haud impugnantur aut improbantur, sed aeque bonae et hominibus salutares ac religio vera habentur.

Rejicienda est talis tolerantia; nam si locum habere posset:

1º aut cognitio veritatis hominibus deberet esse impossibilis, quod statuere est in Deum injuriosum atque naturam nostram rationalem destruens; aut plures darentur veritates sibi contrariae, quod absurdum est; aut liceret rationem indifferentem erga veritatem atque errorem esse, quod tamen rationi aperte repugnat;

2º ipse Deus indifferens erga veritatem atque falsitatem esse deberet, quoniam aeque diligeret atque salvaret eos, qui ipsi obsequerentur ac eos, qui ipsi voluntarie et culpabiliter resisterent;

3º porro revelatio divina prorsus inutilis dicenda esset; ad quid enim Deus hominibus voluntatem suam patefecisset? Ad quid supplicia comminatus esset in eos, qui ejus resisterent voluntati?

4º denique vel ipsa societas periclitaretur, sine notione Dei enim et sine obligatione officiorum, quae religionem constituunt, nulla prorsus concipi potest religio, sine religione autem subsistere nequit societas:[1] atqui tolerantia theologica tollit notionem Dei, cujus attributa inficiatur; tollit omnem obligationem officiorum, dum omnia reddit arbitraria, sicque omnem religionem. **ergo et societatem subvertit.**

Nr. 35. **Tolerantia religiosa** e contra ea est agendi ratio erga asseclas religionis alienae, qua hi in reli-

[1] Cf. pag. 35, nr. 20.

gionis suae professione ac exercitio haud impediuntur aut perturbantur, atque falsitate religionis illorum non obstante, eis non tantum, quae justitia, sed et quae charitas a nobis postulat, non denegatur.

Tolerantia religiosa haec **duplex** esse potest: privata et publica seu politico-civilis, quatenus nempe a personis privatis vel a personis rem publicam gerentibus exhibetur.

Quoad tolerantiam religiosam *privatam:* obstricti quidem sumus vi officii fraternae correctionis errantes edocere, praesertim si bonum eventum sperare licet; verum simul obligamur, falsitate religionis non obstante, eis non tantum, quae justitia sed et quae charitas a nobis postulat, non denegare sed et amare eos, iis benefacere atque omnimodo eorum salutem procurare, juxta expressum mandatum Christi, quod nobis in parabola de Samaritano proposuit, et simul juxta exemplum Apostolorum, qui non solum pacifice vixerunt cum iis, qui Christi doctrinam respuebant, sed eos quoque omnis beneficentiae argumento prosecuti sunt.

Quoad tolerantiam religiosam *politico-civilem* duo dantur casus: si religioni catholicae legislatione cum in modum cultus publicus vindicabatur, ut praeter hanc nulla alia religio a lege agnoscatur, reipublicae fas est, quo melius religiosa non minus quam politica unitas servetur, quemvis alium cultum e finibus suis excludere.

Ubi vero intra fines status cujusdam catholici alii adhuc coetus religiosi de jure longius jam existunt, res publica seu civitas potest imo debet, ut graviora vitentur mala, his coetibus, nisi si publico bono nocivi vel periculosi apparent, non quidem illam theologicam tolerantiam indifferentismo aequiparandam, sed civilem exhibere tolerantiam, qua eis cultum suum publice exercere permittitur ejusque asseclis omnia civica et politica adjudicantur jura.

Tractatus quartus.

De regula fidei.

Sermo erit: 1. de infallibili Ecclesiae magisterio, 2. de principio religionis christianae materiali; 3. de principio religionis christianae formali; 4. de relatione fidem inter et rationem.

Infallibilitas Ecclesiae.

Per infallibilitatem opus Dei, per revelationem coeptum, continuatur et ad finem suum perducitur, ita ut infallibilitas ad inspirationem et revelationem, ut mundi conservatio et gubernatio ad ejus creationem se habeat.

Nr. 96. **Infallibilitas** duplex discernitur, activa scilicet et passiva; *illa* competit magisterio Ecclesiae, quod in proponenda Dei revelatione omnis erroris expers est; *haec*, quae interdum et recte inerrantia dicitur, ad Ecclesiam discentem refertur, quatenus fideles infallibili Ecclesiae magisterio obtemperantes vera tantum credunt.

Nobis hic non nisi de priori sermo esse potest, quae jam infallibilitas **activa** ea est Ecclesiae per specialem Dei efficientiam collata dos, vi cujus ipsa in divino fidei deposito custodiendo et proponendo atque generatim in fidelibus ad salutem ducendis **omnis erroris expers est.**

Probatur:

1° ex SS. Litteris. Matth. 16. 18: *Et portae inferi non praevalebunt adversus eam;* Matth. 28. 20: *Et ecce, ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi;* Joan. 14. 26: *Paraclitus autem, Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia et suggeret vobis omnia, quaecunque dixero vobis;* 1 Tim. 3. 15: *Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis;*

2° ex Patribus; s. Irenaeus v. gr. dicit:[1] Ubi Ecclesia ibi et Spiritus Sanctus. Spiritus autem est auctor veritatis, vel Origines scribens:[2] Sicut duo luminaria sunt in coelo, sol et luna, ita nos posse habere luminaria in nobis, quae illuminent nos, Christum et Ecclesiam ejus. Ipse est enim lux mundi, qui et Ecclesiam illuminat sua luce. Et Ecclesia suscepto lumine Christi illuminat omnes, qui in ignorantiae nocte versantur;

3° jam ex indefectibilitate et fine Ecclesiae: si enim deficeret unquam a veritate, non amplius vera esset Ecclesia, quam Christus fundaverat, ut vice ac nomine ipsius religionem a se allatam per omnia tempora conservaret et auctoritate divina hominibus modo ordinario viam veram ad salutem monstraret ac media ad eandem idonea suppeditaret, quae omnia haud posset praestare, si errori obnoxia esset.

Nr. 97. Ad **Objectum infallibilitatis** omnia ea pertinent, quae ad revelationem a Christo Domino acceptam et ad fidelium salutem referuntur, et quidem haec sola, nec plura nec pauciora. Singillatim ergo **haec sequentia**:

1. omnia, quaecunque divinitus sunt revelata, adeoque omnia, quae Christus aut ipse aut per Apostolos docuit, perfecit et instituit. — Spectat huc *α*) doctrina fidei et morum, *β*) Rituale a Christo institutum, *γ*) Regiminis forma seu Ecclesiae organismus, *δ*) Scriptura sacra, tum relate ad suam divinam originem tum respectu sensus sui legitimi atque, *ε*) utroque pariter respectu Traditio divina;

2. quae sunt nonnisi implicite revelata, seu quae tantum obscure in aliis veritatibus claris et apertis latent, attamen cum his necessario connectuntur, ita ut sine his ne illae quidem verae esse possent;

3. quae cum revelatis conveniunt aut disconveniunt, quod et Concilium Vaticanum, perinde ac debuit, declaravit: *Si quis dixerit, disciplinas humanas ea cum libertate tractandas esse, ut earum assertiones, etsi doctrinae revelatae adversentur, tamquam verae retineri neque ab Ecclesia proscribi possint, anathema sit;*

---

[1] L. 3 adv. haer. [2] Hom. 1 in Genes.

4. denique alia quoque, quae, etsi non sint revelata, tamen intime cum doctrina revelata cohaerent aut saltem ad fidelium salutem referuntur. Quae tamen hoc respectu ab Ecclesia definiuntur, non ut tria priora fide divina, sed tantum fide ecclesiastica vel sic dicta mediate divina sunt credenda, ad quae jam pertinent α) sententiae disciplinarum naturalium, β) facta sic dicta dogmatica, γ) disciplina ecclesiastica nec non δ) saltem secundum multos Theologos, canonizatio Sanctorum.

Sub factis dogmaticis intelliguntur facta, quae cum aliqua veritate fide divina credenda seu cum jure, ut ajunt, intime cohaerent et ejus fundamentum constituunt, ita ut hoc ruente etiam illa ipsa necessario ruat, seu quibus definitio alicujus dogmatis vel veritatis fide divina tenendae necessario superstruenda est. Ejusmodi factum est e. gr. Petrum ceu Episcopum Romanum mortuum esse, quum huic facto innitatur doctrina seu dogma Ecclesiae Romanum Episcopum esse successorem Petri atque Ecclesiae Primatem; porro quis sensus alicui thesi vel quae doctrina alicui libro insit, quum huic definitio Ecclesiae, num thesis vel doctrina libri illius doctrinae revelatae consentiat nec ne, innitatur.

Canonizationem Sanctorum quod attinet, multoties quaestio movetur: num Ecclesia infallibilis sit in Breviario. Respondendum est negative, si sermo sit de omnibus et singulis, quae lectiones de vita Sanctorum complectuntur. Inveniri scilicet in iis possent facta quaedam aut adjuncta, non historice vera. Ecclesia Breviarium eo tantum sensu approbat, ut eidem nihil contra fidem, aut mores aut pietatem christianam inesse declaret.

Nr. 98. **Subjectum infallibilitatis**, i. e. subjectum, cui infallibilitas divinitus concessa est, sola est Ecclesia docens, sed in tantum solum, in quantum ejus singula membra legitimi sunt Petri Apostolorumque successores. Propter quod subjectum infallibilitatis constituunt:

1° Episcopi soli, sine Presbyteris et Diaconis, simul sumpti una cum Romano Pontifice,

2° Romanus Pontifex solus, cum ex cathedra loquitur.

Hoc, quod Episcopi singuli infallibilitate haud polleant, differt Ecclesia subsequens ab Ecclesia tempore Apostolorum, quibus singulis infallibilitas propria erat.

Modus, quo Episcopi cum Romano Pontifice coadunati infallibiliter judicare queunt, duplex datur: hanc enim suam auctoritatem exercent sive in Concilio congregati, sive vero per orbem dispersi.

Nr. 99. **Concilium** est conventus praesulum Ecclesiae ad negotia ad religionem et salutem fidelium pertinentia auctoritate divinitus sibi concessa expedienda.

Dividuntur concilia in oecumenica seu universalia et particularia.

Universalia sunt ea, in quibus tot adsunt Rectores Ecclesiae, ut universam repraesentare valeant Ecclesiam docentem: si pauciores adfuerint, ita ut nonnisi partem Ecclesiae repraesentent, concilium *particulare* nuncupatur.

Haec particularia porro sunt vel plenaria, quae etiam nonnunquam generalia dicuntur, si Episcopi nationum alicujus terrae partis, e. gr. Africae, Orientis aut Occidentis, ob finem praefatum congregantur; vel nationalia, si Episcopi ex omnibus provinciis alicujus nationis conveniunt; et provincialia, si hoc nonnisi ab Episcopis alicuius provinciae fit.

Conventus Episcopi cum Clero suae dioecesis ob laudatum finem vulgo *Synodus* appellari solet, quamvis vox haec ut synonyma cum priore saepe adhibeatur.

Nr. 100. Ut **concilium oecumenicum** auctoritate a Christo Jesu Ecclesiae data gaudeat, **debet esse legitimum**; ad hoc autem requiritur:

1. ut convocetur per Romanum Pontificem aut saltem cum ipsius consensu;

2. ut vocentur ad Concilium omnes per orbem dispersi episcopi;

3. ut revera compareant, qui sufficiant ad universam repraesentandam Ecclesiam;

4. ut Romanus Pontifex per se aut per legatos praesideat et negotia dirigat;

5. ut praesules Ecclesiae congregati plena suffragiorum libertate gaudeant;

6. ut a Romano Pontifice comprobetur, praesertim

si ipse neque per se neque per legatos Concilio interfuerit.

Non omnia enumerata requisita aeque necessaria sunt. Dummodo enim tot adfuerint Episcopi, quot repraesentare valent universam Ecclesiam, suffragiorum libertas iis ablata non fuerit atque consensus Romani Pontificis accesserit, concilium vere oecumenicum haberi debet.

Nr. 101. Est autem *fide divina* tenendum: **Concilia oecumenica, a summo Pontifice confirmata, errare non posse in omnibus universim, quae ad religionem revelatam atque fidelium salutem pertinent.**

Probatur:

1° ex disertis verbis Apostolorum, qui in concilio Hierosolymitano congregati confidenter ajunt: *Visum est enim Spiritui Sancto et nobis;*

2° concilium oecum. universam Ecclesiam docentem, quae infallibilitatis dono est praedita, repraesentat;

3° concilia ipsa oecumenica jam celebrata totidem sunt desuper testimonia publica.

Nr. 102. **Dispersae Ecclesiae consensus non minus ac conciliorum oecumenicorum definitiones infallibilitatis gaudent praerogativa.** Etenim

1. haec a Christo Domino Ecclesiae docenti universim est promissa, imo, si fas est dicere, potiore ratione dispersae, quam collectae in conciliis;

2. SS. Patres quoque et veteres Ecclesiae scriptores consensum dispersarum Ecclesiarum semper certum ac invictum verae fidei argumentum habent;

3. si propositio nostra non valeret, etiam ipsum fidei depositum integrum conservare Ecclesia non valeret ipsasque definitiones conciliorum posset pessumdare et corrumpere;

4. unde Ecclesia quoque jus atque auctoritatem hancce inde ab origine sua semper exercuit, haereses quam plurimas absque conciliis oecum. condemnans.

Nr. 103. **Romani Pontificis, dum ex Cathedra definit, dogmatica decreta sunt prorsus infallibilia et irreformabilia, etiam antequam iis accedat Ecclesiae consensus.**

Cum praecipue exinde quo 1682 edita fuit „Declaratio Cleri Gallicani" multi invenirentur, qui auctoritati Romani Pontificis ejusque muneris Apostolici obtrectarent, in Concilio Vaticano Sess. 4. c. 4. solemniter definitum est: „Docemus et divinitus revelatum dogma esse definimus, Romanum pontificem, cum *ex Cathedra* loquitur, id est, *cum omnium Christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens,* pro suprema sua Apostolica auctoritate *doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit,* per assistentiam divinam ipsi in beato Petro promissam, ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemtor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit; ideoque ejusmodi Romani Pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu Ecclesiae, irreformabiles esse. Si quis autem huic nostrae definitioni contradicere, quod Deus avertat, praesumpserit: anathema sit."

Probatur:

1° ex ss. Litteris et quidem, cum infallibilitas e Primatus juribus profluat, ex omnibus primatum ipsum contestantibus, a nobis jam supra allegatis locis. Habet enim Romanus Pontifex Primatum, ut Ecclesiae tamquam caput praesit, eam tamquam fundamentum sustineat, tamquam pastor pascat atque sic per tutam semitam ad salutem ducat ac dirigat. Si jam summus Pontifex in suis decretis dogmaticis errare posset et ipsius decreta a reliqua Ecclesia possent reformari, fundamentum per aedificium consolidaretur, caput a corpore ad veritatem duceretur ac dirigeretur, et oves pascerent pastorem ac devium in viam revocarent, quod est absonum et a mente Christi alienissimum, qui ad Petrum dicens:[1] *ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua* etc. huic ipsi promiserat, ejus fidem nunquam defecturam esse idque eum ob finem, ut ipse possit reliquos discipulos a satana tentatos confirmare;

2° ex testimonio SS. Patrum, qui unanimiter Petro ejusque successoribus infallibilitatem vindicant. Sic. e. gr. Irenaeus scribit:[2] omnem Ecclesiam con-

---

[1] Luc. 22, 32. [2] Adv. haer. L. 3, c. 3.

venire debere propter potiorem principalitatem ad Ecclesiam Romanam, in qua semper conservata est, quae est ab Apostolis Traditio; vel s. Cyprianus, qui dicit:[1] Cum romano Pontifice communicare idem esse ac cum ecclesia catholica communicare, ad quam perfidia habere non possit accessum;

3° ex antiquis factis publicis Patrum effata comprobantibus. Exortis enim vixdum controversiis, Episcopi undique ad eas dirimendas oculos ad Romanos Pontifices convertebant eorumque decisionibus dogmaticis omnes Catholici adquiescebant, neque iis nisi haeretici atque erroneis opinionibus aliunde jam occupati obluctabantur.

Adnot. Quae objiciuntur facta, ut e. gr. litterae dogmaticae, quas papa Leo M. ad patriarcham Flavianum scriptas concilio Chalcedonensi *examinationi* miserat, vel epistolae Honorii papae ad Sergium et Cyrum Monothelitas missae, unam voluntatem in Christo profitentes, vel tertia semiariana Sirmiensis fidei formula, cui papa Liberius subscripserat, et alia adhuc hujus generis in historia ecclesiastica sat clare solvuntur.[2] Caeterum inutile non erit, vel hoc loco mentionem facere 7^mo^ saeculo Corbejis manuscripti et nunc Petropoli asservati codicis. Continet enim hic codex itinerarium Romanum, cui series inscriptionum monumentorum antiquorum inserta est, inter quas poëma vel hymnum 54 hexametris compositum in papam Liberium, qui „sine felle columba, nivea mente immaculatus, fidei plenus et mentis constantia semper firma“ etc. praedicatur.

De principio religionis christianae materiali.

Ecclesiae magisterium, quod ergo doctrinam divinam infallibiliter nobis proponit, eam ex utroque revelationis fonte, nempe a sacra scriptura nec non e Traditione repetit. Utrumque fontem quidem Ecclesia pari pietatis affectu veneratur et suscipit, sed non

[1] Epist. 48.

[2] Lubeat fors desuper invisere *historiam ecclesiasticam* a scriptore hujus exaratam: *Kobitsch-Vidmar*, tom. I, pag. 184 et 200.

plene aequiparat, quum Scriptura verbum Dei sit, traditio vero illud tantum contineat; quo fit, ut SS. Litterae traditionem altitudine, dignitate ac vi superent, dum ex altera parte traditio principalem, a Christo institutum, ab Apostolis adhibitum fidei divulgandae modum constituit; traditio porro omnem doctrinam revelatam clare ac certe contineat, scriptura vicissim non omnem nec ubique sat plane. Sic igitur invicem se supplentes matri nostrae Ecclesiae Scriptura non minus quam Traditio sunt fidei depositum vel constituunt religionis christianae principium materiale, quod et regula fidei *remota* dicitur, dum propositio Ecclesiae seu ejusdem verbi divini exhibitio per ministerium infallibile Ecclesiae docentis, regula fidei *proxima* vocatur.

De dicto religionis nostrae principio materiali jam nunc tractaturi incipimus a s. Scriptura, de cujus auctoritate humana jam supra egimus. Hic autem nobis de ejus auctorite divina inquirendum est, quo pertinent quaestiones de inspiratione, canone, interpretatione ac versionibus s. scripturae.

Nr. 104. Intelliguntur sub **Scriptura sacra** omnes iique soli libri religionis Judaicae et Christianae historiam doctrinamque continentes, qui sunt a legatis divinis seu viris inspiratis conscripti.

Auctoritas divina, qua pollent libri sacri, eo quod Deum habent auctorem, constituit notam discernentem a libris profanis; actio Dei autem, qua hic eorum auctor fit, inspiratio dici solet. Quinam vero libri inspirati sint, cognoscitur ex canone sacrorum librorum.

Nr. 105. Ecclesia catholica quoad **inspirationem** juxta definitionem Concilii Vaticani Sess. 3. c. 2 docet: „Libros veteris et novi Testamenti cum omnibus suis partibus, prout in Tridentini Concilii decreto recensentur et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis suscipiendos esse; eos vero ab Ecclesia pro sacris et canonicis haberi, non ideo quod sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati; nec ideo duntaxat, quod revelationem sine errore contineant, sed propterea quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt."

Hoc decreto differentia sacras litteras inter et alia fidei documenta perspicue assignatur, cum ad inspirationem praeter praecautionem omnis erroris postulatur adhuc excitatio atque scribendorum suggestio.

Probatur autem haec inspiratio, quam Ecclesia jam antea in Concilio Florentino et Tridentino confessa est,

1° ex SS. Litteris. Christus Dominus enim de Scriptura antiqui Testamenti apud Matth. 22, 43: *Spiritum s. loquutum esse per prophetas* dicit, Apostoli vero, e. gr. Rom. 3, 2, SS. Libros *eloquia Dei* appellant, dum auctores ipsi non raro testantur se Deo jubente et inspirante scribere, ut Ezechiel in cap. 24: *Et factum est verbum Domini ad me* etc., vel Jeremias 30, 2: *Scribe tibi omnia verba, quae loquutus sum ad te, in libro.* Quoad libros novi Testamenti autem valent aperte omnia, quae Christus Apostolis suis in universum promisit,[1] *Spiritum sanctum* scilicet *edocturum eos esse omnia et suggesturum eis omnia*, atque *non ipsos, sed Spiritum Patris esse, qui loquuturus sit in eis*;

2° ex SS. Patrum expressis testimoniis, qui omnes passim loquuntur ut s. Clemens Romanus:[2] Scripturas diligenter inspicite, quae Spiritus sancti sunt oracula;

3° ex ratione. Libri utriusque testamenti multas manifestationes, inprimis prophetias continent, quarum scientiam scriptores non ex sese, sed tantummodo ex divina suggestione habere possunt: insuperque praebent SS. Litterae, etiamsi varia est uniuscujusque auctoris scribendi ratio, unum idemque consilium eundemque finem, qui alius non est quam manuductio hominum **ad Dominum Deum.**

Nr. 106. Si una ex parte Ecclesia docet: Scripturam quoad omnes partes suas esse sacram et divinam, ita ut Deum habeat auctorem, ex altera parte quoad **inspirationis limites** nil adhuc dum dijudicavit, quo fit, ut nequaquam hac de re omnibus una sit opinio.

Itaque autem sententia illa, quae nonnisi assistentiam negativam sumit, qua Scriptores sacri solummodo immunes ab errore servati fuerint, rejicienda est, quia hac conficiuntur etiam dogmaticae Conciliorum oecumenicorum definitiones, quin tamen unquam in-

[1] Joan 14, 26 Matth. 10, 20. [2] Ep. 1 ad Cor 45

spiratae sensu proprio dictae fuerint: itidem commentum illud, quo statuitur assistentia Spiritus sancti ab hagiographis plane nonnisi graviores errores abactos fuisse; hoc enim admisso sequeretur, Scripturam pluribus posse scatere erroribus, etsi levioribus, quod sensui Ecclesiae cath. repugnat; eo minus admittenda est opinio, qua ad librum inspiratum constituendum affirmant satis esse, si Spiritus s. postea declaret nullum in eo inveniri errorem: haec enim approbatio postea accedens potest libro alicui tribuere auctoritatem, non vero originem divinam, cujus causa vero

inspiratio minime extendi debet ad singula omnino verba et singulas voces, quae pariter scriptoribus sacris a Spiritu s. in calamum dictabantur, ita ut eis nihil praeter externum scribendi seu litteras pingendi laborem relinqueretur, quod veteres Protestantes (Quenstedt. Dannhauer) et Form. consens. Helvet. vel tum quoad consonas tum quoad vocalia sive puncta ipsa sive punctorum saltem potestatem textus hebraici! affirmare conabantur; nam haec assumere nos praepediunt:

1° jam consueta providentiae ratio, quae, ut non deest in necessariis, ita non abundat in superfluis exindeque certo non suggerit verba, quae Scriptori pro sua naturali facultate innotescere facile possunt;

2° styli varietas, quae in hagiographis pro diverso uniuscujusque cultu, ingenio ac indole observatur;

3° diversa ratio, qua Scriptores sacri, non tantum diversi sed et iidem unam eandemque rem, v. gr. Eucharistiae institutionem, referunt;

4° major minorve difficultas, quam in opere suo concinnando se esse expertos Scriptores ipsi, e. gr. auctor secundi libri Machabaeorum 2, 27, profitentur;

5° denique Ecclesiae antiquae sententia, quam e. gr. s. Augustinus[1] ita exprimit: Ne putemus quasi conseeratis sonis ita muniri veritatem: tamquam Deus nobis, quemadmodum ipsam rem, sic verba commendet.

Nr. 107. Sunt autem sacri et divinitus inspirati hi libri soli, qui sunt ab Ecclesia in ejus canonem recepti.

Est vero **canon** sacrae scripturae collectio et publicus catalogus librorum, qui sacri et divinitus inspirati et ceu tales ab Ecclesia agniti sunt.

[1] Lib. 2 *De cons. Evang.* c. 66.

Dicitur *canon*, tum quia s. scriptura fidei morumque regula est, tum quia ejusmodi codex auctoritate legitima confectus fidelibus tamquam regula datur, qua libros sacros ab aliis secernere possint. Cuivis in hunc catalogum recepto libro adereseit exinde canonicitas, quae est publica Ecclesiae auctoritas, qua liber divinus ut talis proponitur et declaratur.

Canon Judaeorum tantum libros V. T. continet, quorum collectionem ab Esdra factam esse post captivitatem Babylonicam communis sententia est. Canon ille *Esdrinus* continuisse videtur libros 22, quos enumerat s. Hieronymus in „Prologo galeato". Praeter hunc canonem, qui Judaeorum vel etiam Palaestinensis vocari solet, quique tantum libros hebraice scriptos continebat, habebant Judaei aliam collectionem seu catalogum, qui libros etiam chaldaice et graece scriptos complectebatur et *Alexandrinus* dicitur.

Canon Christianorum est illa Librorum sacrorum collectio, quae a Christo et Apostolis Ecclesiae fuit tradita et postmodum solemni definitione ab eadem Ecclesia sancita. Illa collectio continebat et hodiedum continet: 1. vetus Testamentum, ut erat in canone Alexandrino, et 2. novum Testamentum, ut a Concilio Carthag. IIIo anno 397 et a Tridentino sessione 4a recensetur.

Nr. 108. Ex supra pag. 43 dictis jam scimus **utrumque Testamentum praeter canonicos etiam deuterocanonicos continere libros.**

Quod jam auctoritas nonnullorum vel N. T. librorum nutare aliquo tempore visa est, **facile explicatur**; nam

1. inter epistolas aliquae breviores erant et ad privatas tantum personas datae, quae proinde etiam tardius singulis Ecclesiis innotescebant;

2. in nonnullis, ut in Apocalypsi et in epistola ad Hebraeos, quaedam nimis obscura reperiebantur vel ab haereticis in malum sensum detorquebantur, unde, quo facilius errores oppugnarent, ipsam auctoritatem scriptorum, ad quae adversarii provocabant, multi negarunt;

3 difficillimum erat primis Ecclesiae saeculis, saeviente persecutione atque arte typographica nondum inventa, s. Scripturae libros omnes per totam Ecclesiam divulgare et jam in unum volumen colligere;

4. praeterea in illa colluvie falsarum per haereticos

sparsarum scripturarum maluerunt Patres potius de veris dubitare quam periculo se exponere, falsa et conficta in locum divinorum assumendi.

Nr. 109. A libris divinis atque canonicis differunt libri ecclesiastici atque apocryphi: priores illi vocantur, qui, etiamsi haud divini, tamen auctoritate Ecclesiae in sacris conventibus praelegi poterant; **apocryphi** autem libri 11 nuncupantur, qui, ante magisque adhuc post Christum exarati, a multis imprimis propter inscriptionem vel propter nomen auctoris, quod praeferunt, vel propter argumentum inspirati quidem habebantur, ab Ecclesia vero in canonem non sunt recepti.

Ex apocryphis veteris Testamenti memorentur: liber Henoch e saeculo 2^do^; psalterium Salomonis = 18 psalmi, qui in lingua hebraica conscripti ast in graeca versione ad nos pervenerunt; Esdrae 3^tius^ et 4^tus^ liber ac regis Manasse oratio, qui ulteriores olim multoties ut canonici habebantur et nunc Vulgatae editioni appendicis instar adnexi sunt.

Apocrypha novi Testamenti discernuntur in libros, qui in bonum rei judaicae conscripti sunt, vel in bonum Gnosticorum, vel qui sunt e classe legendarum.

Pertinent ad classem *primam:* Evangelium Petri nec non Evangelium ad Hebraeos, qui olim falso pro textu originario s. Matthaei habebatur;

ad classem *secundam*: Evangelium *διὰ τεσσάρων* haeretici Tatiani ac Evangelium Marcionis, quod nil aliud quam mutilatio illius s. Lucae erat;

sic dictis *legendis* denique adnumerari debent: Protoevangelium Jacobi fratris Domini, jam Origeni cognitum et potissimum vitam matris Jesu enarrans; Evangelium Nicodemi, passionem Christi Domini dignis verbis depingens et acta Pilati ob eundem fere finem conscripta; dein fors genuinae litterae principis Abgaris **ad Jesum directae.**

Nr. 110. Quia versio Vulgata a Tridentino declarata est authentica, solvi debent quaestiones praeviae, ad quas illa de **idiomate originario** sacrorum Librorum illaque de variis versionibus, quae praeter Vulgatam **adhuc existunt, pertinent.**

Libri veteris testamenti fuere conscripti hebraice, paucis exceptis, nimirum libro *Sap.*, secundo *Machab.*,

qui lingua graeca; *Tob.*, *Judith*, I et II *Esdrae*, *Danielis*, qui lingua chaldaica scripti fuerunt. Liber *Ecclesiastici* et liber I *Machab.* hebraico quidem sermone exarati fuerunt, et Hieronymus testatur se utriusque textum hebraicum vidisse; hodie tamen non amplius hebraice conscripti reperiuntur.

Libri novi Testamenti scripti sunt graece omnes, excepto probabiliter Evangelio s. Matthaei, imo etiam Epistola ad Hebr., quae ambo hebraice, seu syrochaldaico idiomate forsan fuerint exarata.

Nr. 111. Versiones varias collectas videre est in Polyglottis, quae plures fuerunt adornatae, nimirum: Complutensis, Antverpiensis, Parisiensis, Londinensis, quae et Waltoniana vocatur. *Celebriores* **versiones** autem sunt:

1. versio Chaldaica, quae paraphrasis seu *Targum* vocatur, complectens tres partes a tribus diversis auctoribus scriptas, qui sunt Onkelos, Jonatham Ben-Uziel, et Rabbi Joseph;

2. versio Syriaca;

3. versio Graeca septuaginta interpretum, omnium antiquissima sub Ptolomaeo Philadelpho, anno 285 ante Christum confecta;

4. versiones graecae Aquilae, Theodotionis et Symmachi, quas Origines cum Septuaginta in *Tetrapla* et dein in *Hexapla* collegit;

5. versio Latina duplex, antiqua et moderna: antiqua ea est, quae a viris Apostolorum coaevis adornata fuisse videtur vocaturque a s. Gregorio vetus, a s. Hieronymo vulgata et communis, a s. Augustino *Itala*; moderna est nostra *Vulgata*, quae constat partim ex vetere Itala partim ex versione s. Hieronymi, quam scil. s. Doctor ex hebraeo sermone latine confecit;

6. Versiones vernaculae seu vulgares, quae, lingua cuilibet regioni propria et usurpata exaratae, plurimae sunt, inter quas ab antiquitate celebrantur: *Gothica*, auctore Ulphila, *Coptica* sive Aegyptiaca, *Aethiopica*, cujus jam s. Chrysostomus, *Armena* et *Persica*, quarum meminit Theodoretus.

Nr. 112. Ex omnibus latinis editionibus, quae circumferuntur, secundum conc. Tridentinum[1] **Vulgata** pro **authentica est habenda.**

[1] Sess. 4. decreto de editione et usu SS. Librorum

Authenticum a graeco *αὐθεντία*, quod auctoritatem denotat, notam habens significat proprie et generatim *auctoritate munitum*, quod facit fidem, auctoritatem.

Authentia est duplex: intrinseca et extrinseca. Intrinseca dicitur illa authentia, quae exsurgit vel ex natura ipsius autographi, vel ex convenientia cum autographo, vel, si de versione sermo sit, ex fidelitate, qua versio res et sententias archetypi refert. Extrinseca vero dicitur illa, quae ex aliis rationibus fidem facientibus scripto accedit: qualia sunt sigilla, testimonia et, si sermo sit de versione Scripturae, auctoritativa declaratio Ecclesiae.

Decretum Tridentinum, ut ex ejus verbis patet, neque ad textus primigenios neque ad antiquas, sive orientalis sive occidentalis Ecclesiae, versiones pertinet sed *unice* ad latinas editiones, quae tunc temporis circumferebantur.

Porro omnes Catholici consentiunt, decretum non esse tantum disciplinare, quod solum statuat hanc editionem esse publice usurpandam uniformitatis causa atque authenticitatem tribuat mere extrinsecam, praescindendo ab interna, quae ex fidelitate exsurgit; sed tenent, decretum illud etiam *dogmaticum* esse, declarans scilicet inesse Vulgatae authentiam intrinsecam, vi cujus illa, in partibus saltem principalibus a veritate Scripturae originalis non deflectat, licet non semper omnem claritatem, vim ac elegantiam textus originarii exprimat; nam Vulgata minime, ut nonnulli existimarunt, inspirata censenda est, neque existimandum communem editionem a Sixto V. et Clemente VIII. procuratam ita a quibusvis erroribus atque librariis et typographicis mendis esse immunem, ut nequeat ulteriori subjici emendationi.

Ex mandato Papae Pii X. susceperunt Patres Ordinis s. Benedicti an. 1907 opus novae recognitionis Vulgatae, cui negotio specialis instituta commissio inservit doctorum, qui praeside Cardin. Gasquet studiis et laboribus suis Romae in collegio s. Anselmo incumbunt. His laboribus promovendis inserviunt propriae Litterae nuncupatae „Collectanea biblica latina".

Nr. 113. **Sacra scriptura,** quae non in omnibus sat clara est, sed obscuritatem saepe prae se fert, **indiget interpretatione,**

quae **duplex** distinguitur: alia authentica seu dogmatica, alia privata doctrinalis seu scientifica.

Authentica seu dogmatica ea est interpretatio, quae fit ab auctoritate legitima atque tum certitudine infallibili seu absoluta tum vi fideles obligandi pollet; *privata* seu scientifica interpretatio dicitur ea s. Scripturae expositio, quae a viris privatis ope eruditionis humanae instituitur.

Concilium Tridentinum sess. 4 omni cum jure definivit „ad coërcenda petulantia ingenia, ut nemo suae prudentiae innixus in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae Christianae pertinentium sacram Scripturam ad suos sensus contorquens contra eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione Scripturarem sanctarum aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam sacram interpretari audeat".

Hoc decreto, quod Vaticanum sess. 3. c. 2, iterum renovavit, Concilium nonnisi abusus interpretationis coërcere sapienter, nequaquam vero studiis biblicis decrementum inferre intendit. Nam licet juxta sensum s. Ecclesiae scriptura interpretanda sit, tamen apparatu scientifico interpreti opus est, partim quia minime Ecclesia omnes s. Scripturae locos exposuit, partim quia etiam expositi ab eadem contra adversariorum aggressiones sunt tuendi atque vindicandi.

Nr. 114. Interpretationi scientificae inserviunt **Hermeneuticae regulae.** Hae omnes ad tria capita seu ad tres praecipuos canones reducuntur, qui sunt canon philologicus, logicus et historicus.

Canon philologicus complectitur vim verborum, grammaticae et rhetoricae leges.

Canon logicus complectitur contextum orationis, ejus adjuncta, parallelismum, logica praecepta, inter quae illud, notandum: recedere non licere a sensu proprio, nisi aliud adjuncta, usus, vel aliqua repugnantia suadeant.

Canon historicus complectitur Patrum traditio-

nem exegeticam, fidei christianae et morum analogiam, historiam sacram V. et N. Testamenti, historica adjuncta sermonis, chronologiam.

Practice non semper ex omnibus his fontibus argumenta desumenda sunt, sed modo ex uno fonte, modo ex alio, pro subjecta materia; praecipue vero 1. ex vi verborum; 2. ex contextu orationis; 3. ex orationis adjunctis; 4. ex parallelis locis; 5. ex traditione Patrum et Ecclesiae sensu.

Nr. 115. Catholicorum nemo est qui neget, quod sacrae **Scripturae lectio**, in se spectata sancta sit et utilis, adeoque *per se* omnibus permitti et persuaderi posset. Hinc tot versiones vernaculae omni aevo in Ecclesia adornatae. At propter abusus recentiorum praesertim temporum Ecclesia sapienter statuit,[1] non indiscriminatim omnibus illam lectionem permittendam, sed tantum his duobus conditionibus: α) ut versio vernacula polleat approbatione per sedem apostolicam vel ut saltem edita sit sub vigilantia episcoporum, atque β) explanationes congruentes adjectae sint, quibus fideles a sinistra interpretatione custodiantur, uti e. gr. sunt versiones in Italia celebris illa Martini, Archiepiscopi Florentini, apud nos vero in Germania Allioli,[2] illa per Loch et Reischl, vel illa Novi Testamenti per Weinhart-Weber exarata.

Fideles autem nulla necessitate ad SS. Litterarum lectionem tenentur; nam

1° nullum positivum mandatum potest exhiberi, quo fideles ad lectionem illam obstringerentur; Christus enim tantum ait:[3] *Qui vos audit, me audit*, et similiter Apostolus:[4] *Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.*

2° SS. Litterae propria ac proxima regula fidei haud sunt; tandemque

3° lectionem SS. Litterarum promiscuam nonnisi tristes producere fructus historia Protestantismi quam luculentissime testatur et ipsi celebriores ejusdem fassi sunt cultores.

---

[1] Cf. Constit. *Officiorum ac munerum* d. dto 25. Jan. 1897, n. 7. [2] Exstat ipsius nova editio an. 1901 a quodam Arndt S. J. adornata. [3] Luc. 10, 16. [4] Rom. 10, 17.

Societates biblicas recentioribus temporibus mirum in modum auctas Ecclesia suo assensu propterea nunquam approbavit, neque unquam probare potuit.

Nr. 116. Verbi Dei alter thesaurus, juxta s. Scripturam positus, est **Traditio,** quae sic **definitur:** Complexus veritatum ad fidem et mores spectantium, quae primitus a Christo et Apostolis viva voce propositae, nec in SS. Litteris saltem clare exaratae, et deinceps continua successione in sinu seu fide Ecclesiae catholicae fuerunt conservatae.

Sub Traditione generatim intelligimus omem doctrinam ad religionem pertinentem, a majoribus quodcumcumque modo acceptam sive scripto, sive ore sive facto; undeque triplex **discernitur** traditio: scripta, oralis et practica.

Traditio porro, quae a Deo ducit originem, seu doctrina, quae ab ipso Christo Apostolis est commissa aut a Spiritu s. suggesta et ab iisdem tamquam Evangelii praeconibus tradita, nuncupatur d i v i n a, vel etiam, quoniam per Apostolos est tradita, divino-apostolica; quae vero derivatur ab Apostolis, quatenus erant Pastores Ecclesiae, ut e. gr. observatio diei dominicae substitutae sabbato, pure a p o s t o l i c a seu apostolico-humana: quae denique ab Ecclesiae Rectoribus posterioribus repetitur, e c c l e s i a s t i c a, ad quam pertinent pleraeque caerimoniae in administrandis Sacramentis observari solitae.

Traditio divina etiam *dogmatica*, humana vero *disciplinaris* audit.

Nr. 117. **Praeter divinam Scripturam sacrae quoque Traditiones admittendae sunt,** quae verbum Dei continent ejusdemque cum illa sunt auctoritatis.

Sententia haec, quae contra Protestantes Traditionem divinam tamquam s. scripturae injuriosam rejicientes statuitur, una Catholicorum omnium est simulque *de fide* ex T r i d e n t. sess. 4.

Probatur:

1. Scriptura s. non fuit medium primigenium propagandae et conservandae christianae Religionis, quum Christus Apostolos suos non scriptores vel Scripturarum distributores, sed testes et praedicatores constitueret.

2. Scriptura quoque, unicum fontem revelationis se esse recusans, ipsa ad se suppleutes traditiones provocat; e. gr. Joan. 21, 25: *Sunt autem et alia multa, quae fecit Jesus, quae si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros*, vel 2 Ep. ad Thess. 2, 4: *Itaque fratres, state et tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram.*

3. Is idem fuit sensus totius sacrae antiquitatis, in cujus testimonium e. gr. s. Chrysostomus:[1] „Apostoli non omnia, inquit, per epistolam tradiderunt, sed multa etiam sine litteris. Eadem vero fide digna sunt tam illa quam ista."

4. Ex consequentia absurda: dempta enim traditione ruit Scripturarum auctoritas, cum sine illa neque de divinitate Scripturae, saltem novi Testamenti, neque de scripturae canone infallibiliter constet.

5. Ex facto: quaedam sunt credenda, licet in Scriptura non contineantur, e. gr. canon scripturarum.

6. Ex confessione denique practica Protestantium, qui etiam plura admittunt, quae in scriptura non continentur, ut Dominicam esse celebrandam loco Sabbati, vel parvulos esse baptizandos.

Nr. 118. **Traditionis monumenta,** quibus Traditiones divinae ad nos transmissae sunt et a nobis investigari possunt, alia sunt publica, alia privata, prout naempe Traditio ab ipsa Ecclesia docente in publicis monumentis est deposita, nec non omni aetate a viris privatis memoriae non uno modo est prodita.

Pertinent autem ad *publica* monumenta: decreta conciliorum, decisiones RR. Pontificum, Symbola fidei et Catechismi recepti, sacra Liturgia et Ecclesiae praxis;

ad *privata* autem: scripta SS. Patrum, historia haeresum, historia ecclesiastica universim; porro picturae, sculpturae, numismata, lapidariae inscriptiones, sepulcreta catacumbarum et sacrae aedes.

Nr. 119. **SS. Patres** ii vocantur Scriptores ecclesiastici, qui antiquitate, sanctimonia doctrinaque in asservandis vindicandisque Ecclesiae dogmatibus fulgent, et illo nomine ab Ecclesia condecorati sunt.

[1] Hom. 4. in 2 Thess. 2.

Requiruntur itaque, ut quis Ecclesiae Pater renuntietur, conditiones quatuor: doctrina scil. eminens, insignis sanctitas, notabilis antiquitas atque Ecclesiae testimonium.

Quibus harum conditionum prima vel secunda deest, simpliciter Scriptores dicuntur, qui iterum in ecclesiasticos vel christianos dicernuntur: *Ecclesiastici scriptores* generatim vocantur ii omnes, qui Ecclesiam aliquomodo scriptis suis aedificarunt, etiamsi, ut Tertullianus et Eusebius, sanctitate non fulserint; *scriptores christiani* autem ii, qui de rebus fidei christianae, quam profitebantur, scripserunt quidem sed, ut v. gr. Novatianus, non in communione cum Ecclesia catholica vixerunt.

Aetates SS. Patrum quod attinet, in tres solent distribui. *Prima* complectitur Patres priorum trium saeculorum, inter quos potissimum apostolici, qui ab ipsis Apostolis instituti sunt, commendantur; *altera* pertingit usque ad Gregorium M. et Isidorum Hispalensem; *tertia* autem usque ad s. Bernardum, quem novissimum Patrum appellant. Caeterum alii aliter distribuunt has aetates.

Qui inter Patres celebritate doctrinae eminuerunt et quorum scripta approbationem Ecclesiae promeruerunt, Doctores Ecclesiae appellantur, quae approbatio tantum lectionis utilitatem commendat, nequaquam autem declarat, quae in scriptis contineantur, esse certa aut plane divina fide credenda.

Honorantur autem hoc titulo Doctoris inter Graecos: *Athanasius, Basilius, Gregorius Nazianzenus et Nyssenus atque Joan. Chrysostomus; ex* Latinis: *Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Gregorius M., a Bonifatio VIII. declarati, quibus Pius V. s. Thomam Angelicum, Sixtus V. Bonaventuram seraphicum, Pius IX. s. Alphonsum de Lig., Benedictus XV. autem Oct. 1920 s. Ephraemum de Edessa adjunxit. — Idem honor exhibetur adhuc in officio ecclesiastico s. Hilario, Leoni M., Petro Chrysologo, Isidoro, Anselmo et Bernardo.*

Nr. 120. In SS. Patribus duo sunt bene discernenda, in quantum scilicet doctrinam Ecclesiae 1. testantur, et 2. in quantum eam explanant

a) **Unanimis consensus Patrum,** quatenus testes Traditionis ac fidei Ecclesiae agunt, **repraesentat,** uti

Tridentinum expresse hoc docet, **doctrinam et fidem Ecclesiae.**

Nemo tamen eorum solus ad faciendam fidem certam quoad doctrinam revelatam valet, neque etiam plures sufficiunt, quamvis summe probabile argumentum suppeditent, nisi fortasse pro se suffragium Ecclesiae obtinuerint.

In posteriori autem casu, ubi Patres tamquam doctores se privatos gerunt, venerationem quidem merentur tantam, quantam uniuscujusque eorum antiquitas, doctrina et sanctitas exposcit.

β) Ad dignoscendum vero, **quandonam Patres censeri debeant** tamquam **Traditionis** seu doctrinae ac fidei Ecclesiae **testes,** hae sequentes regulae observandae sunt:

1. Si expresse affirmant, se doctrinam Christi atque Ecclesiae proponere, quod variis significatur formulis, v. gr.: credimus vel confitemur cum Ecclesia catholica, fides christiana docet, Christus dixit etc.

2. Si doctrinam aliquam inculcant ut credendam.

3. Si eos, qui secus senserint, fide excidere, prolabi in haeresin, extra Ecclesiam esse affirmaverint.

4. Si nullum patiuntur aliter sentire.

De principio religionis christianae formali.

Superest nobis in commodum regulae fidei, ut probemus adhuc genuinam Christi religionem, quam ergo ex modo peracta demonstratione in s. Scriptura et Traditione depositam compertum habemus, interpretandam datam esse Ecclesiae Romano-Catholicae. Quo argumento allato adversariorum insuper systemata solius Scripturae, Spiritus privati atque rationis individualis refellenda sunt.

Nr. 121. Infallibilis **Ecclesiae magisterii objectum** *primarium* constituunt in universum omnes a Deo nobis revelatae veritates, objectum *secundarium* ac indirectum vero etiam veritates sic dictae „catholicae", ad quas jam pertinent: *α)* conclusiones theologicae, *β)* certae quaedam philosophiae veritates, *γ)* facta dogmatica.

1. Conclusiones theologicae deducuntur e duabus praemissis vel propositionibus, quarum una est revelata,

altera vero naturaliter cognoscibilis. Dicitur haec postrema revelatio implicita sicque distinguitur α) a veritatibus immediate et distincte revelatis, v. gr. creatio mundi, β) a veritatibus revelatis ast obscuris, v. gr. „filioque".

2. Ecclesia, cum revelationem in forma tempestiva debeat pronunciare ac promulgare, utitur in hunc finem etiam verbis philosophicis tempori et scientiae convenientibus et usu receptis, e quorum numero nonnulla etiam recepta apparent in definitionibus dogmaticis, v. gr. sunt hujus generis voces persona, natura, ens, substantia etc. Ecclesia utitur theologia philosophica seu naturali, quam tamquam fidei praeambula spectat, v. gr. veritates de existentia Dei, de animae humanae libertate, spiritualitate ac immortalitate etc. — Insuper Ecclesia, quae una cum apostolico munere docendi mandatum accepit fidei depositum custodiendi, jus etiam et officium divinitus habet falsi nominis scientiam proscribendi,[1] *ne quis decipiatur per philosophiam et inanem fallaciam*[2].

3. Facta dogmatica cohaerent cum sumptiones cum dogmatibus licet sint mere naturalia ex. gr. conciliorum oecumenitas, Petri Romae commoratio, e quibus factis dogmata dependunt. In sensu strictiori denotantur hocce vocabulo sic dicta „argumenta dogmatica" (dogmatische Texte), quae in scriptis ab Ecclesia rejectis continentur, uti v. gr. sunt heresiarchae Arii „*Θάλεια*" vel Jansenii „Augustinus". Ecclesiae de hujusmodi scriptis judicio et sententiae debetur assensus internus neque sufficit solum silentium obsequiosum.

Fontes dijudicationum Ecclesiae sunt fidei symbola nec non Conciliorum collectiones, quae existunt exaratae v. gr. a Hardouin, Mansi, Hefele. Insuper magni est momenti quoque „Enchiridion Symbolorum" concinnatum a Henrico Denzinger, jam in editione 11ª ac 15ta praejacens cura et opera Bannwart-Umberg, qua fontium collectione sane nullus theologiae studio dedituscarere potest.

Nr. 122. **Doctrina Magisterii ecclesiastici vera et propria fidei regula est.**

[1] Conc. Vatic. sess. 3, cap. 4: de fide et ratione.
[2] cf. Col. 2, 8.

Probatur:

1. ex historiae facto. Christus Dominus enim religionem suam litteris neque ipse mandavit, neque ab Apostolis, quamdiu in terris vixerat, mandari jussit, sed nonnisi viva voce, qui ipsum audire volebant, erudivit et a discipulis erudiri voluit: adeoque in primo Ecclesiae ortu non fuit s. Scriptura, quae nondum exstitit, nec quidquam aliud fidei regula quam vivum Apostolorum magisterium. Ideoque etiam explicatur, quare non omnes, sed tantum nonnulli Apostolorum et quidem serius demum scripserint atque non propterea, ut fideles fontem haberent per se sufficientem, unde haurire possent, quae ad salutem sunt necessaria, sed ut peculiaribus necessitatibus Ecclesiarum singularum vel etiam certarum tantum personarum occurrerent.

2. Ex disertis tum Christi tum Apostolorum verbis; Matth. 28, 19: *Euntes docete omnes gentes* etc. Marc. 16, 15: *Praedicate Evangelium omni creaturae; qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit.* S. Paulus pariter non Scripturam, sed potius praedicationem proprium ac verum medium perveniendi ad Christianae religionis cognitionem declarat, scribens ad Rom. 10, 14: *Quomodo credent ei, quem non audierunt quomodo autem audient sine praedicante?* ad Timotheum[1] vero: *quae audisti a me, haec commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere.*

3. Ex SS. Patribus; e. gr. s. Hippolytus († 252) memorat, Noëtum e Presbyterorum ordine ejectum esse, quod in exponendis SS. Litteris non Ecclesiae sed proprium sui ipsius sensum sequutus fuerit, et illius sunt pulcherrima verba: „Haec dicimus, quae didicimus“; vel Vincentius Lirinensis:[2] „Id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum, i. e. traditum est.“

4. Ex celebratis Conciliis. Cum enim persuasissimum omnibus esset, Ecclesiam esse fidelium magistram atque controversiarum fidei judicem ejusque doctrinam propriam ac veram credendi regulam, omni tempore, quando lites de doctrina exoriebantur, Episcopi con-

[1] 2 Timoth. 1. 14. [2] Common. c. 3.

veniebant et celebratae sunt Synodi, ut communi ipsorum calculo quaestiones solverentur.

5. Denique ex rationis dictamine facile intelligentis, Christum Dominum regulam fidei suae vivam ac spirantem propterea constituisse, cum omnis lex, utut perspicue exposita fuerit, tamen utpote muta ac mortua, facile in varios sensus trahi possit ac loquente voce indigeat et praecipue tunc, quando, ut religio Christiana pro omnibus gentibus et hominibus omnium locorum et temporum data est.

Nr. 123. Quam ob rem jam **s. Scriptura ex se vera et propria fidei regula non est;** nam

1. in prima Ecclesiae origine, quum nullae adhuc SS. Litterae novi Test. exsisterent, nonnisi Magisterium Petro-Apostolicum religionis Christianae principium esse potuit, nisi forsan quis asserere velit tunc temporis Ecclesiam absque fidei regula mansisse;

2. si vero SS. Scripturis superadditis originaria fidei regula auctoritate excidisset, adversarii (Protestantes) idem ex suo systemate, juxta quod nil est verum, nisi quod est scriptum, ex diserto aliquo s. Scripturae loco deberent demonstrare, quod autem non possunt;

3. si SS. Litterae fons unicus ac proprius cognoscendae religionis Christianae essent, in hunc finem vel unice vel saltem una cum alio, directe aut indirecte, exaratae esse deberent. Neutrum autem obtinet, nam: quivis novi Test. liber sacer longe ob alium quam assignatum finem conscriptus fuit; evangelia quoad maximam partem versantur in factis enarrandis, doctrinam tantum vel obiter tangunt vel nonnisi pauca ejus capita exponunt;

4. denique accedit, quod ex ss. Litteris solis, quae nullibi enuntiant, quinam libri ad easdem pertineant, quinam non, quaestio, quinam libri ceu sacri adeoque ceu regula fidei sint recipiendi, manebit ambigua.

Nr. 124. Itidem **fallax est systema**, quod est Anabaptistarum, Schwenkfeldianorum, Quakerorum, Methodistarum et Pietistarum, **de Spiritus sancti interiori illustratione**, qua quisque fidelis edoceatur, quis sit genuinus SS. Litterarum sensus et quid proinde credendum quique agendum sit, nam

1. talis illustratio seu infallibilitas privata sine omni fundamento accipitur;

2. cum hi, qui Spiritui illi privato fidentes spreta Ecclesiae auctoritate Scripturam exponunt, in diversissimas abeunt partes, statui deberent sibi opposita lumina divina, quod est absurdum;

3. Christus tale religionis suae principium, quod fanatismum fovet atque interdum plane ad crimina nefanda impellit, certo non statuerat.

Nr. 125. Pari modo **Scriptura, prout ratio cujusvis eam intelligit ac interpretatur, religionis christianae principium esse non potest:** nam

1. omnis s. Scripturae interpretatio, quae per rationem humanam etsi ceterum cultissimam fiat, nonnisi subjectiva indeque incerta et inconstans esse deberet ac erroribus obnoxia;

2. hoc systemate adoptato tot interpretationes s. Scripturae oriri deberent, quot capita, ut inter Protestantes id reapse locum habet;

3. systema hoc necessario rectà ducit ad indifferentismum religoisum et per hunc ad incredulitatem.

Quapropter aut admittenda est Ecclesiae auctoritas, aut de religione vera invenienda prorsus desperandum.

Nr. 126. A fidei regulae notione ac explanatione ad **corollaria** quaedam gradum facientes, quosdam terminos genericos enumeremus opus est, ad quos jam dogmatis notio pertinet.

Etsi hoc nomen **dogma** varias habet significationes, usu tamen ecclesiastico et in scholis recepto **definitur:** propositio revelata et ut talis ab Ecclesia ad credendum proposita.

Ad dogma ergo requiritur: 1. ut veritas, quae dogma sit, revera sit divinitus revelata sive explicite sive implicite; 3. ut veritas illa revelata plane ac definite et quidem tamquam divinitus revelata ab eo, qui auctoritate pollet divina, proponatur.

Sententiae revelatae, ast nondum sat promulgatae, sunt quidem dogmata *materialia* seu dogmata in se, sed non sunt dogmata *formalia* seu dogmata pro nobis. Unde, licet quis circa talem sententiam revelatam,

quam tamen revelatam esse certo nondum constat, aberraverit, haereticus dici non poterit.

Caeterum, sed minus apte, veritates revelatae, ab Ecclesia tamen nondum sufficienter promulgatae, a nonnullis theologis dogmata christiana appellantur; illae autem, quae fidelibus ab Ecclesia ad credendum propositae sunt, dicuntur christiano-catholica.

Nr. 127. Dogmata **dividi** solent 1. in dogmata pura et mixta, 2. in dogmata explicite vel implicite credenda.

Dogmata *pura* dicuntur, quae veritates limites rationis transcendentes adeoque soli revelationi in acceptis referendas continent atque etiam „mysteria" appellantur; dogmata *mixta* vero nuncupantur, quae veritates continent tum revelatione supernaturali tum lumine naturali patefactas.

Explicite credi dicuntur eae veritates, quae in se et in propriis terminis creduntur; *implicite*, quae non in se, sed in alia tamquam universali vel principali contentae. — Veritates, quarum fides explicita omnibus est necessaria, articuli fundamentales, quarum autem fides implicita sufficit, articuli non fundamentales vocari solent.

Nr. 128. Quae explicite credi debent, alia explicite **necessitate praecepti**, alia explicite **necessitate medii** credenda sunt.

Generatim illud dicitur necessarium necessitate *praecepti*, quod ad salutem praecipitur a superiore, ut confessio ad remissionem peccatorum, jejunium; quod hoc modo necessarium est, si tamen sine culpa omittatur, non impedit salutis consecutionem. — Est autem necessarium necessitate *medii* id, quo homo ordinatur in ipsum finem, sine quo, sive sit in praecepto sive non, sive culpabiliter sive inculpabiliter omittatur, salus nullo modo obtinetur, ut e. gr. baptismus respectu infantium, dolor de peccatis respectu adultorum existentium in peccato mortali, gratia Dei respectu omnium, tam adultorum quam infantium.

Porro communiter docent theologi homines necessitate praecepti teneri ad implicite credenda omnia mysteria in symbolo comprehensa; necessitate vero medii fuit omni tempore juxta omnes ad justificationem

et salutem necessaria fides explicita de Deo, ut existente et remuneratore; et juxta plures fides explicita de Christo et SS. Trinitate.

Nr. 129. A dogmate differunt pia opinio, doctrina Catholicorum atque conclusio theologica.

Opinio pia est sententia, quae in revelationis monumentis non clare enuntiata deprehenditur, attamen reliquae doctrinae magis quam sententia contraria convenit et propterea pio sensu probatur.

Ad **doctrinam Catholicorum** pertinet id, quod a Theologis catholicis passim, quamvis ab Ecclesia non sit definitum, docetur.

Conclusiones theologicae tandem dicuntur illationes ex dogmatibus ope rationis deductae[1].

Nr. 130. Pro diversa natura praemissarum et diverso modo, quo inferuntur, **conclusiones theologicae diversa gaudent certitudine**, ita ut distinguatur:

1. propositio proxima fidei ea, quae universali consensione et praedicatione continetur divina revelatione, quin tamen simpliciter et certo proponatur de fide;

2. propositio theologice certa seu fide certa ea, quae vel partim ex veritate revelata partim ex veritate rationali deducitur, vel ex revelata sententia infert, quod in ea non est nisi virtualiter inclusum, vel cum veritate revelata intime connexa est;

3. propositio simpliciter certa ea, quae cum revelatione remotius quidem connectitur, rationabili tamen dubio subiici nequit; denique

4. sententia communis illa, quae ita passim a theologis docetur, ut certitudini sit proxima.

Nr. 131. Ecclesiae docenti, cui Christus Dominus revelationem suam concredidit, ut eam puram ac integram per omnia saecula conservet, convenit quoque controversias ortas de doctrina fidei et morum judicare ac dirimere falsasque propositiones condemnare, quae condemnatio indicari solet per sic dictas censuras theologicas.

Censura theologica vocatur judicium, quo nota prava et maligna cuidam doctrinae tamquam fidei

[1] Cf. modo supra pag. 109/110 dicta.

aliquo modo nocivae inuritur. Variae juxta Benedictum XIV. numerantur censurae, variis enim modis seu gradibus vera fidei morumque doctrina laedi potest.

Et quidem propositio ut haeretica damnatur, quae veritati a Deo revelatae et ab Ecclesia propositae directe et immediate opponitur.

Haeresi proxima est sententia, quae opponitur propositioni proximae fidei.

Erronea dicitur, si opponitur conclusioni theologicae certae.

Dicitur temeraria, quae communi Patrum doctrinae adversatur, aut quae constanti Theologorum sententiae repugnat absque gravi rationis vel auctoritatis fundamento.

De haeresi suspecta est, quae ex terminorum ambiguitate vel ex circumstantiis sive temporis sive personae loquentis adhibetur vel adhiberi potest ad haeresim occulte disseminandam.

Haeresim vel errorem sapiens vocatur, quae ita recedit a doctrina fidei vel certa omnino doctrina, ut nonnisi futili evasione vindicari possit.

Quid indicent inferiores notae: schismatica, seditiosa, blasphema, impia, iniuriosa, male sonans, piarum aurium offensiva, ipsa nominis significatione intelligitur.

Relatio fidem inter et rationem.

Nr. 132. Hanc quaestionem quod attinet triplex *error* caute est declinandus.

Primus est eorum, qui rationi in rebus fidei nihil aut fere nihil permittunt statuentes cum Pseudomysticis rationem in homine prorsus esse exstinctam ac detritam, ita ut hominibus non alio modo nisi per inspirationem individualem succurri queat; vel cum Ultra-supranaturalistis per peccatum primum rationem saltem enervem ac paene intermortuam ideoque veritatibus religiosis et apprehendendis ac recipiendis nullo modo esse parem atque hinc fidem, qua revelationem apprehendimus, solummodo esse effectum Spiritus sancti.

Alter error est eorum, qui, ut e. gr. Naturalistae et Rationalistae, rationem tantopere extollunt, ut eam formam ac regulam statuant, ad quam ipsa fidei

mysteria expendi debeant ac definiri, eique propterea de hisce judicium arbitriumque deferant.

Tertius denique error eorum est, qui cum recentioribus Deistis seu potius Pantheistis intestinum quoddam bellum inducunt rationem inter et fidem, et utrique quasi supremum tribunal ac judicium, suam utrique oppositam veritatem assignant.

Disserendum propterea nobis est de rationis et revelationis analogia, dein de rationis sub revelationem subjectione atque tandem de ejus viribus, seu de eo, quod ratio praestare possit.

Nr. 133. Licet revelatio possit esse, imo quoad plura sua dogmata revera sit supra rationem: **pugna** tamen **inter rationem et revelationem minime locum habet.**

1° revelatio enim et naturalis ratio eundem habent auctorem Deum ratioque homini *ὄργανον* a Deo data est, quo supersensualia adeoque et divina, quae per revelationem panduntur, apprehendat. Unde vera rationis et revelationis effata inter se pugnare haud possunt, quum Deus sibi contrarius esse non possit. Recte propterea Concil. Vaticanum sess. 3, c. 4 definit: „Etsi fides sit supra rationem, nulla tamen unquam inter fidem et rationem vera dissensio esse potest: cum idem Deus, qui mysteria revelat et fidem infundit, animo humano rationem indiderit, Deus autem negare seipsum non possit, nec verum sibi unquam contradicere."

2° veritates a fide propositae aut captui rationis accommodatae sunt, aut illum prorsus exsuperant. Quoad priores nulla est oppositio pertimescenda, quoad mysteria vero ratio internam in eis repugnantiam, si qua esset, nunquam percipere valebit, quum hoc ipsius mysterii natura excludatur. Omnis repugnantia itaque erit tantum opinata, quam ratio recte instituta dispellet.

Nr. 134. Licet ratio et revelatio sibi adversari haud possint, **ratio** tamen humana **fidei** subjici ac ancillari seu **servire debet.** Etenim

1. in SS. Litteris diserte docetur, res fidei esse tales, quae nonnisi per revelationem nobis potuerint innotescere, altioresque esse et supra omnem rationis captum positas, quam ut eâ attingi queant; c. gr. Matth. 11, 27: *Nemo novit filium nisi Pater: neque*

Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit filius revelare.

2. Idem probatur ex SS. Patribus, qui veritates revelatas, ut nominatim mysterium Incarnationis, *investigabiles* et *ineffabiles* appellant, quae ratione demonstrari non possint, deindeque affirmant non omnia, quae sunt revelata, intelligi posse, attamen credi debere.

3. Romani Pontifices iterum iterumque philosophia abutentes ad demonstranda speculative dogmata acriter reprehenderunt; Conc. Vaticanum vero desuper definit: „Si quis dixerit, in revelatione divina nulla vera et proprie dicta mysteria contineri, sed universa dogmata posse per rationem excultam e naturalibus principiis intelligi et demonstrari: anath. sit."

4. Denique si jam in rerum natura tam multa sunt, quae ratio penitus cognoscere et explicare non valet, uti sunt mens ipsa, cujus ratio est, unio animae cum corpore et alia paene innumera: quomodo ipsa, sibi relicta, abstrusa et omnem mentis captum sua indole excedentia religionis mysteria intelliget?

Nr. 135. **Ratio et fides,** quae ergo inter se nunquam possunt dissidere, **mutuam sibi opem ferunt,** cum, ut loquamur concil. Vaticani verbis, recta ratio fidei fundamenta demonstret, ejusque lumine illustrata rerum divinarum scientiam excolat; fides vero rationem ab erroribus liberet ac tueatur eamque multiplici cognitione instruat.

Uti ergo ante fidem in veritate religionis Christianae atque Ecclesiae demonstranda, sic etiam ratio fide jam admissa suas sibi vindicat partes, quae aliae non sunt nisi hae insequentes:

Ratio recta ac ad efficaciam exculta potest sine ullo revelationis subsidio singulas veritates ordinis naturalis, quae tamquam *fidei praeambula* spectari queant, v. gr. veritates de existentia Dei, animi humani spiritualitate, libertate ac immortalitate, nec non legem moralem circa actiones intrinsece bonas vel malas versantem, perfecta certitudine cognoscere; potest deinporro notis divinae revelationis statuere atque de earum veritate seu realitate in revelatione data sibi persuadere.

Fide autem jam admissa necessario ei competit: singulorum dogmatum fundamenta investigare eaque tueri prout et in iis, quae ad revelationem formalem pertinent, argumenta e sua penu adjicere doctrinamque fidei ad tractationem vere scientificam evehere nec non interiores mysteriorum recessus penetrare, in quantum id fieri potest, quae omnia ad Theologos spectant.

Nr. 136. **Munus Theologi quoad dogmata catholica** exinde hoc erit:

1. Ut dogma juxta formam definitum quam accommodatissime concipiat;

2. ut juxta sensum definitum illud ex monumentis revelationis, s. Scriptura et Traditione, demonstret;

3. ut nexum intimum, qui inter singula dogmata intercedit, exhibeat atque internam eorundem intelligentiam assequi studeat, quo dogmatum cognitio efficitur clarior magisque frugifera;

4. ut objectiones, quae saltem cum aliqua veri specie fiunt aut fieri possunt, solide solvat;

5. ut dogmatum influxum in vitam nostram moralem ostendat;

6. ut quoad dogmata sic dicta materialia sedulo inquirat in revelationis fontes, indeque veram germanamque eruat doctrinam, quod autem curans caveat sibi, ne antevertat Ecclesiae judicium, quum Theologi meri Ecclesiae ministri sint, non judices, et ne nimio zelo abreptus charitatem laedat.

Repetitorium theologiae dogmaticae.

Pars specialis.

Prolegomena.

Perhibebantur usque adhuc in Theologia fundamentali veritates, quae factum revelationis ejusque fontes spectant, quaeque enuntiant: 1. Deum revera *multifariam multisque modis olim in Prophetis, novissime autem in filio suo*[1] ad homines locutum esse; et 2. ea omnia, quae Deus revelavit, in verbo Dei scripto et tradito contenta et Ecclesiae a Christo institutae Catholicae Romanae tradita esse. E contra definiri debet

Nr. 1. Theologica **dogmatica specialis**: est scientia seu expositio specialium fidei veritatum e revelatione haustarum seu scientia et expositio singulorum fidei dogmatum.

Dum igitur Theologia generalis agit de vera Religione, agitur in dogmatica speciali de huius verae religionis doctrina.

Praeter dogmata stricte talia constituunt Theologiae dogmaticae **objectum secundarium**:

1. Theologumena seu conclusiones e fidei dogmatibus ope rationis deductae;

2. sententiae, quae vel censura notatae vel liberae adhuc sint opinionis, et opiniones theologorum;

3. veritates philosophicae, quibus nexus veritatum multifariarum ostenditur.

Nr. 2. Veritates revelatae, quas Ecclesia catholica fide divina recipiendas nobis proponit, referuntur *ad Deum ipsum* vel *ad ejus opera*, secundum quam duplicem materiam etiam **theologiae dogmaticae divisio** per se patet.

Nam ad Deum ipsum reflectentes, si respicimus ad Dei essentiam ejusque attributa, nobis sermo erit

[1] Hebr. 1, 1

de Deo uno: si autem respicimus ad Dei subsistentiam seu personalitatem, sermo nobis erit de Deo trino.

Dein hujus Dei relationes ad creaturas seu divina opera considerationi nostrae proponuntur, quae pertractantibus sermo nobis erit:

1. de regni divini per Deum institutione seu de Deo creatore;

2. de regni divini per Christum restauratione, singillatim ergo de Redemptoris persona ac munere, de gratia ejusque per Ecclesiae Sacramenta dispensatione;

3. de regni divini consummatione seu doctrina eorum, quae post mortem hominum et quae in fine mundi futura sunt, vel brevius: de rebus novissimis.

Nr. 3. Demonstrandae cuivis veritati dogmaticae inserviunt fontes seu **loci theologici,** qui nil aliud sunt quam promptuaria quaedam vel sedes, et quasi fodinae, e quibus argumenta eruuntur.

Hi fontes **dividuntur** in generales et particulares. *Generales* sunt duo: auctoritas et ratio: *particulares* sunt omnino decem, quorum septem priores ab auctoritate, reliqui tres a ratione profluunt, nempe: 1. Scriptura, 2. Traditio, 3. Ecclesia catholica, 4. Concilia, 5. SS. Patres, 6. Theologi et Canonistae, 7. Romani Pontifices; 8. sana philosophia, ad quam etiam variae scientiae naturales referuntur, 9. Jurisperitia, 10. Historia tum ecclesiastica tum profana, cui etiam ars critica adnumeranda est.

Septem priores, ab auctoritate profluentes, ad tria referuntur capita, quae integram fidei regulam constituunt, et sunt: Scriptura, Traditio et Ecclesiae auctoritas.

Nr. 4. Ut expositio dogmatum scientifica dici queat, debet **methodus** in doctrina catholica evolvenda et probanda adhibita esse: clara, subtilis, systematica.

Claritas requiritur, i. e. notiones sint clarae, certae, completae et distinctae, ne fiat cognitio confusa. Ad hunc finem considerare debemus haereses et errores contrarios, si agimus de sensu alicujus dogmatis: haeresis est negatio dogmatis; contradictorium est de fide.

Subtilitas requiritur, ut dogma, cum quaevis scientia sit cognitio certa ex certis principiis, pariter e principio suo cognoscatur.

Principium duplex distinguitur: vel externum, quod non inhaeret sententiae prolatae, sed „extra" est; vel vero internum, inhaerens ipsis fidei dogmatibus. Hoc iterum subdistinguitur potestque esse aut α) *directivum* seu formale, i. e. doctrina magisterii Petro-Apostolici, quod theologum dirigit in judicio, ita ut ei innotescat, veritatem aliquam esse dogma, aut β) *constitutivum* seu materiale, i. e. SS. Litterae et Traditio.

Ordo systematicus requiritur, ut singula fidei dogmata non promiscue, sed prouti fluunt e principiis suis, pertractentur et demonstrentur.

Nr. 5. Quamvis dogmata religionis nostrae, quae th. dogmatica proponit, eadem semper immota ac inconcussa steterint, tamen haec nostra disciplina non uno continue culta est modo neque una eademque tradita est methodo, quod videri licet ex **historia th. dogmaticae**, quam ex eo, quod methodus doctrinam fidei tractandi patristica, scholastica et recentior distinguitur, in tres periodos dividimus.

α) Prima periodus patristica talis est, ut singuli scriptores magis singula tractent atque omnes simul sumti constituant universam summam dogmatis christiani, e quibus patres graeci magis speculative scripserunt, patres latini magis practice.

Ceu potissima opera, in quibus hoc tempore plus minusve summa dogmatis christiani systematice proponebatur, notanda sunt: Origenis „De principiis," Cyrilli Hieros. „Catecheses 18 ad illuminandos," Augustini „De fide, spe et charitate, seu Enchiridion ad Laurentium," Fulgentii Ruspensis „De fide seu de regula fidei" et Joannis Damasc. „De fide orthodoxa seu accurata fidei catholicae expositio."

β) In altera periodo scholastica systematica dogmaticae tractatio inducta est per Anselmum et Petrum Lombardum, Magistrum Sententiarum, atque saeculo 13tio in Alexandro Hallensi, Alberto Magno, Thoma Aquinate, Bonaventura et Joanne Duns Scoto apicem summum est assecuta. Inde a saeculo 14to autem falsus mysticismus et nominalismus in scriptis scholasticis coeperunt praedominari.

γ) Denique in tertia periodo temporis recentioris reformatione adducti Theologia systematica colebatur

in diversis scholis uti *Thomistarum* (Bannez, Medina, Reding, Billuart, Gotti), e quorum partibus stabant Dominicani, Carmelitae et Benedictini. *Franciscanorum* Scotum sequentium, dum Capucini magis ad Thomam et Bonaventuram revertebantur. *Jesuitarum* magis eclectice versantium (Vasquez, Suarez, Molina, Ripalda, Lugo, Tanner, Erber, Mosheim, theologia Würzeburgensis) et *Augustinensium* (Laurentius Berti). Petavius et Thomassinus dogmaticam methodo patristico-historica tractaverunt ad patrum testimonia potissimum recurrentes.

Inde a medio saeculo 18vo coepit dominari Rationalismus, ita ut annis proxime sequentibus pauciores scriptores commendari possint, uti Wiest, Klüpfel, Stattler, Brenner, Liebermann. Attamen inde ab an. 1830 plures optime de dogmatica scriptis editis meruerunt, quorum nomina sequentia hic notentur: α) qui latine scripserunt: Albertus a Bulsano[1], Dalponte, Egger, Einig, Franzelin, Hurter, Katschthaler, Noggler a Graun, Perrone, Chr. Pesch, Schouppe, Schwetz;

β) qui germanice scripserunt: Bautz, Berlage, Dieringer, Friedhoff, Gloßner, Klee, Kuhn, Oswald, Pohle, Schanz, Schell, Simar, Specht, Sprinzl nec non Staudenmayer.

Aevo autem nostro 20mo prodierunt haec insequentia egregia, vere eximia enchiridia disciplinae nostrae: 1) Synopsis Theologiae Dogmaticae specialis auctore theol. professore Sanda-Leitmeritz; 2) Bartmann: α) Lehrbuch der Dogmatik, 6. Aufl., β) Grundriß der Dogmatik, Herder, Freiburg; 3) Diekamp: Kathol. Dogmatik, 5. Aufl., Münster. 4) Novae editiones enchiridiorum, Heinrich-Gutberlet, Heinrich-Huppert ac Scheeben-Atzberger.

Tractatus primus.

De Deo uno.

Sermo nobis erit in hocce tractato, quum de existentia Dei jam in Th. fundamentali tractavimus, tantum 1o de essentia divina, 2o de attributis divinis.

[1] Cf. not. pag. 8.

De essentia divina.

Nr. 6. **Deus ita est unus, ut quaevis deorum pluralitas repugnet.**

Est *de fide* ex conc. Vaticani[1] fidei professione: „Sancta catholica Apost. Romana Ecclesia credit et confitetur unum esse Deum verum et vivum, Creatorem ac Dominum coeli et terrae, omnipotentem, aeternum, immensum, incomprehensibilem intellectu ac voluntate omnique perfectione infinitum; qui cum sit una singularis, simplex omnino et incommutabilis substantia spiritualis, praedicandus est re et essentia a mundo distinctus, in se et ex se beatissimus et super omnia, quae praeter ipsum sunt et concipi possunt, ineffabiliter excelsus ... Universa vero, quae condidit Deus, providentia sua tuetur atque gubernat, attingens a fine usque ad finem fortiter, et disponens omnia suaviter. Omnia enim nuda et aperta sunt oculis ejus, ea etiam, quae libera creaturarum actione futura sunt."

Unum est, quod est indivisum in se et divisum ab aliis. Unitas Dei, quae possit vocari *unicitas*, ita concipienda est, ut excludatur possibilitas existentiae entis ejusdem speciei. Thesis nostra ergo est: *Substantia divina ita est una, ut non possit esse pluribus communis per modum generis aut speciei.* Cum iam Deo talis tribuatur essentia et existentia, quae alterius Dei existentiam excludat, et non sit quaedam perfectio ex Dei essentia fluens, aptius hoc loco, quam inter attributa, de unitate Dei agitur.

Probatur:

1° Isaj. 44, 6: *Ego primus et ego novissimus et absque me non est Deus*; Marc. 12, 29: *Quia primum omnium mandatum est: Audi Israel, Dominus Deus tuus, Dominus unus est*; Joan 17, 3: *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum*; 1 Cor. 8, 4: *Nullus est Deus nisi unus.*

2° SS. Patres, qui varias rationis argumenta adferunt, v. gr. Tertullianus: Deus si unus non est, nullus est ... Deus enim est summum magnum;

[1] Constit. *Dei Filius*, cap. 1 De Deo rerum omnium conditore.

quod si fuerit aliud summum magnum, adaequabitur: et si adaequabitur, jam non erit summum magnum.[1]

3° Ecclesiae Symbola: „Credo in unum Deum" „haec est autem fides catholica, ut unum Deum in Trinitate et Trinitatem in unitate veneremur"; Conc. Later. IV: „Firmiter credimus et simpliciter confitemur, quod unus solus est verus Deus."

Nr. 7. **Deus re et essentia a mundo distinctus est et super omnia, quae praeter ipsum sunt et concipi possunt, ineffabiliter excelsus.**

Contra Pantheistas *de fide* divina catholica ex Vatic. s. 3. cap. 1: „Si quis dixerit unam eandemque esse Dei et rerum omnium substantiam vel essentiam, anath. sit;" vel illo contra triplicem Pantheismi formam statuto can. 4°: „Si quis dixerit, res finitas, tum corporeas tum spirituales aut saltem spirituales, e divina substantia emanasse: aut divinam essentiam sui manifestatione vel evolutione fieri omnia; aut denique Deum esse ens universale seu indefinitum, quod sese determinando constituat rerum universitatem in genera, species et individua distinctam, anath. sit."

Probatur autem pantheismi falsitas jam ex ratione: etenim

1° Deus est ens a se, necessarium et immutabile; mundus est contingens, creatus mutationibus plurimis obnoxius: ergo Deus a mundo realiter distinguitur.

2° Praedicata „necessarium et contingens, immutabile et mutabile" certe non accidentalem tantum variationem significant, sed ipsam essentiam attingunt. Cum propterea alia sit Dei essentia et alia essentia mundi, certe Deus a mundo essentialiter quoque distinguitur.

3° Ens a se et necessarium vi essentiae suae est plenitudo essendi. Ens ab alio, i. e. contingens, vi essentiae suae nihil est. Esse autem et non esse sub nulla nota generica comprehendi possunt, immo distantia infinita intercedit, sicque Deus a mundo transscendentaliter quoque est diversus.

Dicitur ergo, Deum distingui a mundo *realiter*, *essentialiter* et *transscendentaliter*, quia haec tria non

[1] Adv. Marcion, l. c. 3.

sunt identica. Partes ex. gr. alicujus corporis realiter distinguuntur, sed non essentialiter: anima et corpus, homo et saxum essentialiter, sed non transscendentaliter differunt, quia anima et corpus unam personam constituunt, homo et saxum saltem in supremo genere substantiae conveniunt. Dicimus igitur Deum a mundo differre non solum realiter et essentialiter sed etiam transscendentaliter, quia Deus est hypostasis et persona ita mundum transscendens, ut in nullo ne supremo quidem genere cum illo conveniat.

Nr. 8. **Deus non est corpus, nec corpus habet, sed est purus spiritus.**

Est *de fide* ex Vatic. sess. 3. cap. 1: „Deus est simplex omnino et incommutabilis substantia spiritualis."

Probatur:

1º ex SS. Litteris. Gen. 1, 2: *Spiritus Dei ferebatur super aquas;* Joan. 4, 24: *Spiritus est Deus, et qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare.*

2º SS. Patres errorem Anthropomorphitarum communi consensu ut haeresim declarant. Origenes v. gr. scribit: Non ergo aut corpus aliquod aut in corpore esse putandus est Deus, sed intellectualis natura simplex, nihil omnino in se adjunctionis admittens, uti ne majus aliquid et inferius in se habere credatur, sed ut sit ex omni parte μονὰς et, ut ita dicam, ἑνὰς et mens.[1]

3º *Ratione.* α) Si Deus auctor est sapientissimus et perfectissimus hujus mundi: corpus autem nec intelligens est nec omnium entium perfectissimum: ergo Deus *non est corpus.* β) Omne ens compositum aliquo modo naturam suorum componentium participat: cum vero Deus haud sit mutabilis, productus, imperfectus etc. sicque corporis proprietates non participet, et *corpus habere nequit.* γ) Quia ad rationem spiritus duo elementa exiguntur: unum *negativum*, nimirum independentia a materia in operando et essendo: alterum *positivum* scilicet intellectualitas, ex altera parte autem nota positiva in negativa jam continetur, siquidem realitas entis a materia independentis alia esse nequit quam intellectualitas, consequitur exinde, quod Deus nec corpus est nec corpus habet, *spiritus sit*, et quidem

[1] De princ. 1, c. 1, n. 6.

spiritus purus, quia totaliter supra materiam se elevat nec ullo modo cum illa componatur.

Veteres spiritualitatem in *immaterialitate*, i. e. in independentia a materia in operando et essendo collocare solent. Anima e. gr. brutorum non est spiritus, quia, licet per se incorporea, corpore tamen ad subsistendum eget. E contrario anima humana, quae extra corpus esse et vivere potest, spiritus appellatur.

Nr. 9. **Deus est ipsum Esse subsistens.** Non est quidem explicite definitum, sed docetur in SS. Litteris estque propter consensum Ecclesiae dispersae *de fide catholica*.

Ens a se non dicitur efficienter, nam repugnat aliquid se ipsum producere, sed formaliter, quatenus habet ex proprio fundo et ex sua essentia necessitatem absolutam et plenissimam sufficientiam ad existendum independenter a causa producente et conservante. — Deus non est hoc vel illud ens, ut angelus, homo, sed ipsum Esse seu ens simpliciter. Sub ratione entis autem comprehenditur omnis perfectio, quia vita, libertas, intelligentia et quaevis perfectio est ens, defectus autem est nonens. Non tamen Deus est ens universale et abstractum, sed ens maxime singulare et subsistens, quod omnem rationem entis includit in sua comprehensione, non in extensione.

Quod nos ad negandam causam, a qua sit, et ad affirmandam *actualis esse* necessitatem dicimus *ens a se*, alii ens necessarium, primum, independens, absolutum denominare solent, quae nomina idem sub alia forma exprimunt.

Probatur:

1° ex SS. Litteris. Exod. 3, 14: *Dixit Dominus ad Moysen: Ego sum, qui sum . . . Sic dices filiis Israel: Qui est, misit me ad vos.*[1]

---

[1] Inter decem Dei nomina, quae s. Hieronymus ep. 25 ad Marcellam enumerat *El*, *Elohim*, *Eloe*, *Sabaoth*, *Elim*, *eser*, *teje*, *Adonai*, *Ja* praecipuum est illud, quod ab hebraicis literis (Jod, He, Vau, He) *τετραγράμματον* vocari solet quodque latini ex longo jam tempore Jehovah scribere consueverunt. Cetera transferuntur aliquando ad significandos homines vel angelos, hoc vero utpote designans ipsam Dei essentiam est prorsus *incommunicabile* Propter

2° SS. Patres τὸ εἶναι soli Deo attribuunt. Ex. gr. s. Gregorius M., qui ad verba Jobi „Ipse enim solus est" quaerit:[1] Cur, cum omnia creaverit Deus, ut essent, solus esse dicatur? ac respondet: Aliud est esse, aliud principaliter esse; aliud mutabiliter, atque aliud immutabiliter esse. Sunt enim haec omnia, sed principaliter non sunt; quia in semet-ipsis minime subsistunt, et nisi gubernantis manu teneantur, esse nequaquam possunt.

3° *Ratione*, quae ex mundi contingentia ens absolutum a se existens expostulat. Deum enim primario concipimus et a creaturis distinguimus per hoc, quod creaturae habent esse aliunde receptum, Deus autem vi suae essentiae. Est ergo haec nota prima et distinguens. Sed est insuper radicalis; ex eo enim, quod essentia Dei est *esse* simpliciter, singula attributa tamquam ex fonte infinito perfectionis profluunt. Propterea:

Nr. 10. **Deus est infinite perfectus.**

Est *de fide* ex Vaticano et ex innumeris locis s. Scripturae, v. gr. Psalm. 144, 3: *Magnus est Dominus et laudabilis nimis et magnitudinis ejus non est finis;* Matth. 5, 48: *Estote perfecti, sicut et pater vester coelestis perfectus est.*

Idipsum SS. Patres et Theologi etiam ex nomine Jehovah deducunt, et ratio quoque assertum ex aseitate Dei evidenter deducit, quatenus enim aseitas includat plenitudinem essendi et hinc etiam plenitudinem perfectionum, quia esse et perfectum esse unum idemque est. Omne enim, in quantum est, perfectum est. Cur e. gr. unus homo est alio sapientior vel fortior, non vero unus magis homo, quam alius? Ideo certe, quia humanitas est de essentia hominis, ideoque quidquid ad conceptum humanitatis pertinet, in quovis homine reperiri debet, sapientia vero et fortitudo non item.

Perfectio seu attributum generatim in sensu lato sumta est realitas quaedam in ente, quam habere

eandem rationem erat Judaeis etiam *ineffabile*, et cum illud pronuntiare verebantur, legendo divinas scripturas ei aliud nomen adonaj vel elohim = Dominus vel Deus substituerunt. Ex more eorum literis illis quatuor radicalibus vocales vocis adonaj subscribendi, exstitit dein nomen „Jehovah".

[1] Moral l. 16, c. 37.

melius est quam non habere. — Haec realitas ita comparata esse potest, ut aliquam imperfectionem in suo conceptu contineat, et nominatur tunc *perfectio mixta;* vel ita est comparata, ut in suo conceptu nullam contineat imperfectionem, et nuncupatur tunc *perfectio simplex.*

Perfectio tribus modis enti inesse potest: formaliter, virtualiter et eminenter. *Formaliter,* si inest secundum se et propriam naturam et definitionem; *eminenter,* si loco ejus inest perfectio praestantior, in qua, sicut numus argenteus in auro inferior, continetur; *virtualiter,* si loco ejus inest perfectio nobilior, quae inferiorem illam producere vel idem quod illa praestare potest.

Terminorum explicatione praemissa propositio per se patet. Si enim Deus est infinite perfectus, tunc α) omnes perfectiones simplices formaliter ei insunt: quia secus non esset vere sapiens, vere bonus, vere potens ac proinde imperfectus; β) nullam perfectionem mixtam formaliter habet: alioquin defectus quoque, qui perfectionibus mixtis essentialiter insunt, Deo inessent; γ) omnes tamen eminenter: quia etiam in perfectionibus mixtis aliquid boni est, quod infinite perfecto deesse nequit.

Nr. 11. **In eo, quod Deus est Ens subsistens, essentia Dei consistit.** In manifesto consequitur e textu prius allato, ubi nomen *Jehovah* revelatur tamquam nomen proprium Dei et distinguens a diis falsis. Jehovah autem significat ens subsistens, et quatenus exprimit rationem divinitatis incommunicabilem, ens subsistens a se. Unde in aseitate essentia Dei reponenda est.

Essentia est principium essendi, quo res in certa specie collocatur et ab aliis distinguitur. Accuratius **definitur:** Primum et radicale rei constitutivum.

Dicitur „constitutivum“: essentia naempe nec est aliquid ad rem accedens nec ex ea emanans, sed rem in suo esse constituens; „primum“, cum prius esse debeat, quam omnes rei proprietates; „radicale“, quia essentia est radix tum proprietatum tum actionum. Essentia hinc opposita est non tantum accidentibus, sed etiam proprietatibus integrantibus. — Natura quoad

rem idem significat ac essentia: in sensu vero dynamico est principium primum activitatis in ente.

Essentia distinguitur in physicam et metaphysicam.

Physica ea est, quae est complexus eorum omnium, quae necessario competunt singulis ejusdem ordinis subjectis; *metaphysica* ea, quae nota quaedam est rei, quam constituit, propria, quae rem a qualibet alia re sat distinguit, quae prima in illa re concipitur, quae fons et radix est aliarum notarum essentialium.

Ex. gr.: Anima rationalis (cum omnibus potentiis voluntatis, libertatis, memoriae etc.), corpus organicum ejusque cum anima rationali unio naturalis constituunt hominem seu sunt hominis essentia physica. Si ulterius quaero, quid in homine accurate sit id, quod eum distinguit ab omni eo, quod non est homo, dicendum: ejus rationalitas, et propterea anima, quatenus *ratione* pollet, hominis essentiam constituit metaphysicam.

His praemissis dicendum: Dei essentia physica est complexus eorum omnium, quae Deo necessario competunt ac propterea, quia ei omnes perfectiones necessario competunt, essentia physica Dei est eminentissimus et simplicissimus omnium perfectionum complexus. Quaenam autem harum perfectionum spectanda sit tamquam Dei constitutivum, vel quid sit essentia Dei metaphysica, Ecclesia quidem non enuntiavit et Theologi desuper non consentiunt. Inter Thomistas nonnulli opinantur eam sitam esse in *intellectione actuali*; Scotistae in *infinitate radicali*; ast sententia communior, quam et reliqui Thomistarum sequuntur, essentiam Dei metaphysicam ponit in aseitate seu in eo, quod Deus a se existit, cum το existere a se omnium perfectionum radix et fons sit.

Nr. 12. **Deus est absolute incomprehensibilis et ineffabilis.**

Propositio haec, quae statuta fuit contra Eunomianos delirantes se Deum penitus cognovisse, tam perfecte quam Deus ipse se cognoscat, quos dein posteriore tempore ex parte sectabantur *Beguinae* et *Begnardae*, est *de fide* ex conc. Lateran. IV: „Firmiter credimus et simpliciter confitemur, quod unus solus verus Deus est . . . incomprehensibilis et ineffabilis."

Probatur:

1° ex SS. Litteris. Job. 36, 26: *Ecce Deus magnus, vincens scientiam nostram;* 1 Corinth. 2, 11: *Quae Dei sunt, nemo cognoscit nisi Spiritus Dei; Spiritus Dei scrutatur omnia, etiam profunda Dei;* Rom. 11, 13: *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus et investigabiles viae ejus?*

2° SS. Patres errorem hac in re ex professo refutant et acriter insequuntur; v. gr. Basilius:[1] „Si minutissimae formicae naturam nondum cognitione apprehendisti, quomodo incomprehensibilis Dei vim te imaginari gloriaris?“

3° Ratione: comprehensio enim, quae significat *α*) cognitionem exortam ex immediata rei intuitione; *β*) cognitionem, qua res totaliter sese intellectui aspicientis repraesentat, est *cognitio adaequata cognoscibilitati alicujus rei.* Deus autem pro sua essentia est infinitus, ergo infinite quoque est cognoscibilis pariterque simul ineffabilis: effatum enim est expressio externa interni conceptus seu internae cognitionis.

Nr. 13. **Quamvis Deum comprehendere possibile non est, tamen Deum cognoscere nobis datum est.**

Datur autem cognitio duplex: immediata, quippe qua sancti in altera vita substantiam Dei supernaturali modo, non vero oculis corporeis, quantumvis glorificatis, intuentur; et altera mediata, qua nos hisce in terris naturam Dei ejusque perfectiones mediate per discursum rationis atque per revelationem cognoscimus.

Cum de priore in Eschatologiae tractatu demum sermo erit, disserimus hic de posteriore tantum, ejus fontem ac indolem breviter exponentes.

Nr. 14. **Naturalis Dei cognitio triplex elementum in se continet: affirmationis, negationis et excessus vel eminentiae.**

Via affirmationis vel causalitatis ratio juxta principium „quidquid est in effectu, debet etiam esse in causa“ Deo omnes perfectiones attribuit, quas creatio, conservatio et gubernatio mundi in Deo auctore requirit et quidem, ut jam diximus, simplices vel puras for-

[1] Ep. adv. Eun. 16.

maliter, mixtas autem, quae nempe involvunt in notione aliquam imperfectionem, eminenter.

Via negationis ratio, quidquid in creaturis est imperfecti et vitiosi, a divinitatis conceptu removet, contrariam potius perfectionem eidem substituendo.

Via eminentiae vel excessus ratio omnes quas in rebus creatis et potissimum in homine reperit perfectiones, Deo in nobiliore vel proprie eminentissimo gradu adscribit.

Nr. 15. **Haec nostra naturalis Dei cognitio fit nonnisi pluribus iisque analogicis conceptibus;** nam

1° Deum, ut jam supra dictum est, nonnisi ex effectibus in mundo cognoscimus; hi autem effectus quam maxime sunt multiplices et ex unoquoque fere alia elucet virtus divina: quapropter dicimus cognitionem Dei naturalem nonnisi per plures fieri conceptus; porro

2° nullus effectus virtutem divinam adaequat, nec fieri potest, ut Deus cum ulla creatura in ullo genere, multo vero minus ut in eadem specie contineatur. Perfectiones ergo creatae divinis ex una parte sunt quidem similes, ex altera vero parte quam maxime ab illis differunt: hinc cognitio nostra de Deo nonnisi analogica est esseque potest.

Duplex autem est ratio hujus analogiae: primo *dependentiae*, sicut omnis effectus a causa dependet: secundo *similitudinis*, quae, ut bene notandum, non consistit in extrinseca tantum proportione quemadmodum, e. gr. inter leonem et hominem fortem, sed in similitudine ipsius formae seu essentiae. Esse enim, vivere etc. non tantum metaphorice, sed vere, proprie et essentialiter tum de Deo tum de creaturis enuntiatur.

Nr. 16. **Deum ab hominibus naturaliter et certo cognosci posse,** est *de fide* ex conc. Vatican. sess. 3 de revel. can. 1: „Si quis dixerit, Deum unum et verum, Creatorem et Dominum nostrum, per ea, quae facta sunt, naturalis rationis humanae lumine certo cognosci non posse, anath. sit."

Probatur:

1° ex SS. Litteris. Rom. 1, 19: *Quod notum est Dei, manifestum est in illis: Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea, quae*

facta sunt, intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque ejus virtus et divinitas, ita ut sint inexcusabiles.

2° Ex Patribus, qui in suis apologiis et commentariis uno ore hanc doctrinam proponunt; ita s. Athanasius:[1] Res creatae quasi literis sua dispositione et ordine dominum ac creatorem suum indicant et proclamant; Tertullianus:[2] Haec est summa delicti nolentium recognoscere, quem ignorare non possunt.

3° Ratione. *α)* Objectum quippe rationis est ens in genere et objectum voluntatis est bonum in genere, ac proinde mens humana apprehendere potest omne id, quod sub ratione entis et boni cadit: Deus autem est primum ens et summum bonum; ergo.

β) Historia testatur, cognitionem aliquam supremi numinis semper et ubique apud gentes etiam maxime barbaras viguisse. Atqui quod commune est omnibus, merito naturale censetur; rerum natura enim ex eo cognoscitur, quod in rebus universaliter et constanter invenitur. Ergo.

Hoc factum Traditionalistae immerito ex revelatione primitiva explicant, quae inter omnes gentes, multis licet erroribus obnubilata, conservata fuerat. Quamvis enim quaedam reliquiae revelationis inter gentes remansissent, ex his solis tamen illud factum non explicatur. Mythi quippe religiosi ut plurimum tam absurdi erant, ut potius impedimentum essent, quam juvamen in admittenda divinitate. Hinc Paulus non provocat ad revelationem primitivam, ut ostendat inexcusabiles esse paganos, sed provocat ad opera, ex quibus divinitas intellecta conspicitur.

Nr. 17. **Deus naturaliter nec videtur nec videri potest.**

Probatur:

1° ex Scriptura: 1 Corinth. 13, 12: *Nunc videmus per speculum in aenigmate, tunc facie in faciem*, cujus rationem nobis indicatur 1 Tim. 6, 16: quia *Deus lucem inhabitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit nec videre potest;*

2° ex declarationibus Ecclesiae in concilio Vienn ensi, ubi damnabatur Beguardorum error: „quod

[1] Orat. contr. gent. n. 31. [2] Apolog. n. 17.

anima non indiget lumine gloriae ipsum elevante ad Deum videndum eoque beate fruendum";

3° ratio ipsa intelligit, cum sit finita et intellectus sensibus innitatur, homines sibi purum spiritum repraesentare non posse. Unde porro varii errores circa divinitatem, si Deus immediate videri posset?

Nr. 18. Homines posse solo rationis lumine Dei existentiam certo cognoscere **negant ac impugnant** praeter Agnosticismum cujus falsitatem jam demonstravimus, cum disseruimus de Modernismi erroribus:

1. *Traditionalismus*, conditus a philosophis Bonald, Bautain ac Lamennciis, simili modo uti Agnosticismi asseclae contendit: omnem Dei cognitionem e revelatione supernaturali et ipsius traditionem et institutionem a parentibus, magistris etc. pendere: Deus primo homini se revelavit eique communicavit notitiam suae existentiae, primorum principiorum moralium etc.: Adam credidit Deo existere Deum et haec ipsius scientia per traditionem usque ad nos pervenit, a nobis vero iterum posteris tradetur.

Haec sentiendi ratio *pugnat cum Scriptura*, quae expresse dicit Deum ex creatis per discursum seu veram demonstrationem facile et certo cognosci posse. Sermo est evidenter de prima Dei cognitione non de cognoscibilitate Dei demum post illam notitiam, quae juxta traditionalistas ex revelatione primitiva per humanam fidem et institutionem accipitur.

2. *Ontologismus*, qui ex adverso affirmat, nos in ideis nostris immediate Deum videre ac ex hoc intuitu omnem nostram cognitionem originem habere atque certitudinem, quod asseritur aut de omnibus omnino nostris ideis aut saltem de summis universalibus, praeprimis de idea entis in communi, uti inter alios praecipue Antonius Rosmini-Serbati philosophabatur.

Hocce Ontologismi systema valde est periculosum, quia arcte augusteque coincidit cum Pantheismo: in se falsum, saepius damnatum est ab Ecclesia, etiam diebus nostris an. 1887 a S. Officii Congregatione, quae 40 supra modo dicti philosphi Rosmini propositiones **ontologisticas damnavit.**

Sic igitur repulsus coepit hic error iterum revivisceere in deliriationibus societatis Theosophorum,

quibus favere vel eis accedere catholicis severrime vetitum est.

Ontologismi falsitas percipitur e permultis sacrae scripturae verbis, e quorum numero solum haec tria memorare satis erit: Exod. 33, 20: *Non poteris videre faciem meam; non enim videbit me homo et vivet;* Joan 1. 18: *Deum nemo vidit umquam*; 1 Cor. 13. 12: *Videmus nunc* (in hac vita) *per speculum in aenigmate, tunc* (in visione beatifica) *facie ad faciem.*"

3. Doctrina de **idea Dei nobis innata,** propugnata post Thomassinum a Klee, Staudenmaier, praesertim autem a professore Tubigensi Kuhn, contendens: Est in homine idea innata Dei, non intuitiva, qualis per solam visionem acquiritur, sed analoga et abstractiva, Deum repraesentans imperfectius quam in se est, ac si hausta esset e rebus creatis, quae sunt Deo in gradu infinito imperfectiores. Independenter ab hac idea innata neque a priori neque a posteriori Dei existentia ab homine potest cognosci.

Haec doctrina *pugnat cum Scriptura*, quae ideam Dei innatam non solum ignorat, sed implicite negat. Secus enim auctor Sap. 13, 1 sqq. certe ad eam provocasset, ut efficacius probaret gentes Deum ignorantes fuisse inexcusabiles. S. Paulus Rom. 1, 19 sqq. scit unicum modum, quo Deus gentibus suam existentiam manifestavit: per opera sua, non per ideam innatam.

De attributis divinis.

Nr. 19. **Attributa divina** sunt perfectiones, quae divinam substantiam secundum varios se habendi et agendi modos definiunt.

Circa haec attributa gravis oritur **quaestio,** quomodo tum ab essentia tum inter se distinguantur: num *realiter* differant, ut Gilbertus Porretanus voluit: an *formaliter*, ut Scotistae docent; an pure *mentaliter*, ut post Eunomianos opinabantur Nominalistae; an *virtualiter*, ut communis fert sententia?

Nr. 20. Qua de quaestione ut doctrina catholica, quae tenet: **Attributa nec realiter nec formaliter, sed virtualiter ab essentia divina et inter se distingui,**

sat bene intelligatur, prius distinctionis notionem perspectam habemamus oportet.

Distinctio realis ea est, quae viget inter unam rem et aliam; e contra ea, quae viget inter diversos conceptus ejusdem rei, distinctio logica seu rationis vocatur.

Haec rationis distinctio subdividitur in pure mentalem seu rationis *ratiocinantis*, cum res una pluribus conceptibus, sed non diversis exprimitur; et virtualem seu rationis *ratiocinatae*, cum rem unam pluribus conceptibus iisdemque diversis exhibemus, videlicet talibus, quorum unus alteri substitui nequit.

Scotistae inter realem et logicam tamquam mediam ponunt formalem distinctionem, quae non inter solos conceptus ejusdem rei, nec inter rem unam et aliam, sed inter diversas formalitates seu attributa ejusdem rei antecedenter ad operationem mentis adsit; sic praedicata: ens, substantia, vivens, quae de Cajo enuntio, juxta Scotistas non sunt quidem diversae realitates, sed diversae formalitates Caji.

Nr. 21. **Attributa divina nec ab essentia nec inter se realiter differunt.**

Est *de fide* ex decreto Eugenii III. contra Gilbertum Porretanum: „Credimus . . . nonnisi ea divinitate Deum esse, quae est ipse, idest seipso sapientem, magnum, aeternum, unum Deum esse." Ergo sapientia, aeternitas etc. est ipse Deus.

Probatur:

1° ex s. Scriptura, quae abstracta de Deo praedicat, e. gr. Joan. 14, 6: *Ego sum via, veritas, et vita;* 1 Joan. 1, 5: *Deus lux est;* ibid. 4, 8, *Deus charitas est.*

2° Patres idem docent E. gr. s. Bernardus:[1] „Dicimus Deum magnum, bonum, justum et innumera alia: sed nisi omnia unum in Deo et cum Deo considerentur, habebimus multiplicem Deum et in Deo non quaternitatem tantum, sed centenitatem."

3° Ratione. Si enim attributum aliquod, puta sapientia ab essentia realiter distinguitur, Deus jam non esset sapiens vi suae essentiae seu per seipsum, sed per aliquid aliud, quod autem absurdum esset. Ergo.

[1] De consideratione. L. 5 c. 7, n. 15.

Nr. 22. **Divina attributa ab essentia et inter se virtualiter distinguuntur.**

Est *doctrina certissima* ex omnibus fidei documentis, cum SS. Litterae aeque ac Patres loquantur de attributis divinis tamquam de multis ac diversa immo et opposita praedicata de illis enuntient, e. gr. intelligere et velle, parcere et punire.

Ratio idipsum confirmat. Nam virtualis distinctio tum habetur, quum una eademque res pluribus iisdemque diversis conceptibus exhibetur. Conceptus autem, quibus tum essentiam tum attributa divina nobis repraesentamus, diversi sunt: aliud enim cogitamus, cum justitiam, aliud cum misericordiam Dei nominamus. Ergo.

Fundamentum hujus distinctionis tum ex parte Dei tum ex parte intellectus nostri desumitur:

ex parte *intellectus nostri*, qui Deum non cognoscit immediate ut est in se, sed per multiplices manifestationes in creaturis factas:

ex parte *Dei* vero, quia una eademque simplicissima divinitas α) aequivalet virtute sua omnibus perfectionibus, quae in creaturis divisim reperiuntur; β) quia diversas relationes positivas et negativas induit; γ) quia diversos effectus ad extra producit, ad quos producendos in creaturis variae potentiae et actus requiruntur.

Nr. 23. **Attributa inter se et ab essentia non distinguuntur formaliter:**

Est *sententia communis* theologorum, exceptis Scotistis, eamque suadet evidens ratio. Ubi enim aliud et aliud non tantum in mente, sed in ipsa re independenter a mente; ibi necessario etiam una res et alia ac proinde distinctio realis reperitur. Atqui formalitates Scotistarum independenter a mente in ipsa re distinguuntur. Ergo opinio eorum ad damnatam distinctionem realem attributorum divinorum deducit.

Nr. 24. Secundum nostrum concipiendi modum attributa **dividuntur:**

1° in affirmativa (seu positiva) et negativa, prout praedicatis perfectionem affirmantibus vel imperfectionem negantibus exhibentur;

2° in absoluta, quae Deo in se spectato, et relativa, quae Deo prout ad alia refertur conveniunt;

3° in quiescentia, operativa et moralia, prout modus, quo Deus est, vel modus, quo operatur, vel modus, quo Deus ut omnis moralitatis fundamentum et exemplar exhibetur, exprimitur;

4° in communicabilia et incommunicabilia, prout ea possunt vel non possunt communicari creaturis;

5° sunt denique, qui perfectiones Dei pertractantes SS. Litteras sequuntur, quae descriptioni Dei analogiam hominis substernunt, primo Deum quoad ejus existentiam, deinde tum quoad cognitionem tum quoad voluntatem, demumque quoad statum internum ex perfectissima cognitione ac voluntate necessario oriundum considerant.

Secundum hos, quibus et nos adsentimus, ostendi debet Deum esse

quoad existentiam: 1. simplicem, i. e. spiritum purissimum, 2. immutabilem, 3. aeternum, 4. immensum ac omnipraesentem;

quoad cognitionem: 5. omniscium, 6. sapientissimum;

quoad voluntatem: 7. omnipotentem, 8. benignissimum, 9. liberrimum, 10. sanctissimum, 11. veracissimum, 12. fidelissimum, 13. justissimum;

quoad statum internum: 14. sibi sufficientissimum, 15. summa majestate conspicuum, 16. beatissimum.

Attributorum ordinem aliatum tertium assumentibus sunt Dei perfectiones *α)* quiescentes: unitas, simplicitas, infinitas, aeternitas, immensitas et immutabilitas: *β)* operativae: intelligentia, voluntas et potentia: *γ)* morales: sapientia, bonitas, providentia, veracitas, misericordia et justitia.

Si autem partitionem primo loco descriptam et saepissime usitatam sequeremur, tunc perfectiones enumerari deberent: *α)* negantes: simplicitas, immutabilitas, infinitas, aeternitas, immensitas et omnipraesentia! *β)* affirmantes quoad intellectum omniscientia, quoad voluntatem vero libertas, omnipotentia, sapientia, sanctitas, veracitas, justitia et bonitas.

Nr. 25. **Deus est omnino simplex** seu spiritus purissimus.

Est *de fide* ex decreto Eugenii III contra Gilbertum nec non ex canone concil. Lateran. IV: „Una est

Dei) essentia seu natura simplex omnino," et conc. Vatican, sess. 3, cap. 1: „Sancta Cath. Apost. Rom. ecclesia credit et confitetur unum esse Deum verum et vivum, creatorem ac Dominum coeli et terrae, omnipotentem, aeternum, immensum, incomprehensibilem intellectu et voluntate omnique perfectione infinitum, qui, cum sit una singularis simplex omnino et incommutabilis substantia spiritualis, praedicandus est re et essentia a mundo distinctus et super omnia, quae praeter ipsum sunt et concipi possunt ineffabiliter excelsus."

Simplicitas est illa Dei perfectio, vi cuius ex nullis partibus distinctis constat sed omnis omnino compositionis est expers.

Simplicitas est negatio compositionis, quae intelligitur qua unio partium distinctarum, et est vel 1. logica, unio inter genus proximum et differentiam ultimam; vel 2. physica, unio partium realiter distinctarum; vel 3. metaphysica, unio partium ratione distinctarum cum fundamento in re et quidem α) inter potentiam et actum; β) essentiam et existentiam; γ) naturam et personam.

Adversarii: Idololatrae, Sadducaei nullam substantiam spiritualem admittentes; Manichaei Deum in toto orbe diffusum docentes. Anthropomorphitae et qui in concipiendis personis et attributis divinis sinistre cogitabant.

Dei simplicitas **probatur:**

1° ex SS. Litteris, quae dicunt: *Spiritus est Deus et eos, qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare.*[1] Hoc loco „spiritus" sine dubio sensu quam maxime proprio significat ens immateriale, omnino spirituale; ast *Spiritus carnem et ossa non habet.*[2] Porro vocatur Deus „charitas", „veritas", „vita", „sapientia", „lux" etc., ut indicetur, Deum in essentia sua omnia complecti, i. e. ipsum esse omnia, quae habet; hinc compositio nulla est possibilis, quoniam Deus secum ipso nequit componi.

2° SS. Patres unanimiter docent simplicitatem. S. Augustinus:[3] „Ideo simplex dicitur Deus, quoniam quod habet, hoc est."

---

[1] Joan 4, 24 [2] Luc. 24, 29. [3] De civit. Dei, L. 11, c. 10, n. 1.

3o Ratione, quae impossibilitatem compositionis physicae per se evictam habet, possibilitatem metaphysicae vel logicae quoque negat: etenim

α) Deus non est compositus ex potentia et actu: Deus est ens infinitum, incapax incrementi, plenitudo essendi, immutabilis.

β) Deus non est compositus ex essentia et existentia; Deus est ens a se; non potest hinc transire e statu possibilitatis in statum existentiae.

γ) Deus non est compositus e natura et persona: in ente a se, quidquid habet, ad essentiam pertinet. Deus est ipsa divinitas. Haec autem sine subsistentia concipi nequit: includit enim necessario omnes perfectiones simplices ideoque etiam subsistentiam.

δ) Deus non est logice, e genere et differentia scil. compositus; nam genus est aliquid indeterminatum, universale, Deus autem est quam maxime determinatus, essentialiter singularis. Differentia est extra genus. Non potest autem quidquam esse extra illum, qui omnia continet, in quo omnia suo modo continentur.

Nr. 26. **Deus est absolute immutabilis.**

Est *de fide* ex eodem cap. *Firmiter* et conc. Vatican.

Immutabilitas illa audit Dei perfectio, pro qua ipse idem semper est et in eodem semper statu permanet omnino incapax, qui in melius vel deterius verti queat.

Mutatio est transitus ab uno statu essendi in alium et est vel accidentalis vel substantialis, si ipsa substantia mutatur vel mutatio ab esse in non-esse per annihilationem. Immutabilitas ergo requirit: invariabilitatem, incorruptibilitatem, invertibilitatem.

Adversarii: Stoici Deum mutationibus obnoxium credentes, Sociniani mutabilitatem decretorum divinorum admittentes.

Probatur:

1o ex SS. Litteris: Psalm 101, 28: *Ipsi peribunt, Tu autem permanes, et sicut vestimentum veterascent et sicut opertorium mutabis eos et mutabuntur. Tu autem idem ipse es et anni tui non deficient;* Malach. 3, 6: *Ego Dominus et non mutor;* Jacob. 1, 17: *Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, de-*

scendens a Patre luminum, apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio.

2° ex SS. Patribus, v. gr. Augustinus, qui dicit:[1] Opera mutas, nec mutas consilium.

3° Immutabilitas tandem, uti iam innuebatur, est ipsius rationis postulatum, cum Deus sit plenitudo essendi et ens perfectissimum. Mutatio fieret vel in melius vel in deterius vel in aequale, nil autem horum convenire potest enti perfectissimo; ergo.

Nr. 27. **Deus est absolute aeternus.**

Est *de fide* ex symbolo Athanasiano: „Aeternus Pater, aeternus Filius, aeternus Spiritus sanctus, et tamen non tres aeterni sed unus aeternus." Item ex cap. *Firmiter* et Vatican.

Aeternitas Dei est illa perfectio, qua ipse uti limitum temporis, initii et finis, ita et successionis et motionis eiusdem est expers. Brevius definitur a s. Thoma[2] post Boetium: Interminabilis vitae tota simul et perfecta possessio. Aeternitas differt a tempore, sicut immotum a mobili, sicut axis a rota, quae circumvolvitur.

Aeternum triplici sensu sumitur: sensu lato idem est ac perpetuo duraturum; sensu strictiore, quod nec habet initium nec finem; sensu tandem strictissimo non tantum excludit initium et finem sed simul omnem successionem temporis et mutationem. Hoc sensu valet de Deo.

Adversarii erant Sociniani in Deo successionem temporis admittentes.

Probatur:

1° ex s. Scriptura et Patribus. Psalm. 89, 2: *Priusquam montes fierent aut formaretur terra et orbis, a saeculo et usque in saeculum tu es Deus;* Apocal. 1, 8: *Ego sum α et ω, principium et finis;* 1 Timoth. 1, 17: *Regi saeculorum immortali, invisibili soli Deo honor et gloria in saecula saeculorum;* 2 Petr. 3, 8: *Unus dies apud Dominum sicut mille anni et mille anni sicut dies unus.*

Etiam ex nomine *Jehovah* Patres aeternitatem

---

[1] Confess. L. 1, c. 4. [2] *Summa,* I. p., q. 10, art. 1.

Dei derivant; ita s. Hieronymus:[1] „Qui est misit me: ille enim vere est, qui semper idem est."

2° Ratio aeternitatem Dei in aliis attributis, maxime in ejus necessitate, implicitam perspicit: quod enim necessarium est, non potest non esse vel aliter esse, ac proinde aeternum est.

E contrario omne ens contingens α) transit a non-esse ad esse, ac proinde prius non erat, quam erat; β) quovis momento ab esse transire potest ad non-esse; γ) denique omnis substantia creata obnoxia est mutationi substantiali vel saltem accidentali. Nulla ergo creatura est simpliciter aeterna.

Nr. 28. **Deus non tantum secundum praesentiam vel potentiam, sed secundum totam substantiam ubique praesens est et simpliciter immensus.**

Est *de fide* ex eodem cap. *Firmiter* et Vatican.

Immensitas seu omnipraesentia intelligitur illud attributum Dei, vi cuius nullo loco circumscribitur, sed omnibus locis realibus et possibilibus necessario et essentialiter inest.

Immensum idem fere denotat ac infinitum, quod metiri nequimus, ens finibus carens; in Deo immensitas limitationem localem, infinitas limitationem essentiae excludit.

Triplici modo ens in loco esse potest: α) per potentiam, si in loco potentia sua operatur; β) per praesentiam vel scientiam, si ens rem in loco scit; γ) per substantiam, si ens ipsa sua substantia est in loco.

Ens per substantiam in loco existens triplici iterum modo potest loco contineri: α) *circumscriptive*, si ens per locum diffunditur ac singulis partibus loci singulae partes entis respondent, extra autem non existit; β) *definitive*, si ens totum est in toto loco et totum in qualibet parte loci, ita ut hoc loco definiatur, extra autem minime existat; γ) *redundanter*, si ens est in toto loco totum et totum in qualibet parte, ita tamen, ut extra quoque existat. Si ens hunc locum infinite excedit, illimitate ubique existit: hoc nonnisi de Deo valet.

Deus ergo non est omnipraesens per multiplicationem

[1] In 2 Corinth. c. 3.

aut divisionem, sed modo simplicissimo totus ubique. Prout Deus vi aeternitatis limites temporis excedit et ipse non est in tempore sed tempus in ipso, ita pro immensitate locorum excedit limites et non ipse est in rebus, sed res sunt in ipso. Prout porro Deus caret successione temporis nec per partes evolvitur, ita caret omni extensione nec per spatia dividitur. Est ergo Deus non in loco sed cum loco, nec continetur loco, sed locum continet.

Adversarii: Platonici Deum sphaeram igneam inhabitantem facientes; Manichaei bonum principium in loco lucis, malum in tenebris collocantes; Sociniani Deum virtute tantum non actu inesse in rebus contendentes. Hisce opponitur doctrina catholica.

Probatur:

1° ex SS. Litteris. Deuteron. 4, 39: *Scito ergo hodie et cogitato in corde tuo, quod Dominus ipse sit Deus tuus in coelo sursum et in terra deorsum*; 3 Reg. 8, 27: *Si enim coelum et coeli coelorum Te capere non possunt, quanto magis domus haec, quam aedificavi*; Act. 17, 28: *Deus non longe est ab unoquoque nostrum, in ipso enim vivimus, movemur et sumus.*

2° SS. Patres docent Deum nullo contentum loco sed in seipso totum ubique esse,[1] vel non loco circumscriptum, non spatiis definitum non quantitate coercitum.[2] In specie s. Gregorius M. dicit:[3] „Ipse manet intra omnia, ipse extra omnia, ipse supra omnia, ipse infra omnia . . . unus idemque totus ubique praesidendo sustinens, sustinendo praesidens; circumdando penetrans, penetrando circumdans."

3° Confirmat hoc ratio: omnis res habet aliquem convenientem modum praesentiae eoque perfectiorem, quo ipsa est perfectior quoad essentiam et virtutem: hinc Deo perfectissimus modus praesentiae competit nempe omnipraesentia. Deus est aut nullibi, aut alicubi aut ubique. Primum est absurdum; quoad secundum et tertium non est, cur Deus hic potius sit quam ibi; insuper Deus alicubi esse nequit, quia est simplex. Deus porro est rerum conservator, qui semper in om-

[1] *Augustin.* Ep. ad Dardan. 187, n. 14. [2] *Cyrill.* Alexd. in Joan. L. 1, c. 9. [3] Hom. 8 in Ezech. n. 17.

nibus agit; operatio autem divina a substantia non est divulsa. Ergo.

Si Scriptura et Patres aliquando Deum affirmant, aliter in his, aliter in istis, vel minus in his, quam in istis adesse, imo ab aliquibus etiam abesse: haec non spectant Dei praesentiam simpliciter, sed praesentiam secundum quid spectant, ut naempe Deus formaliter per efficientiam quandam determinatam est praesens.

Nr. 29. **Intellectus divinus** est substantia divina, quatenus haec uno intuitu independente simultaneo, immutabili, infinito omnia cognoscibilia comprehendit.

Deo ut enti spirituali competere intellectum per se patet. Definitio autem praecedens fluit necessario ex sequentibus. In homine est intellectus potentialiter, est accidens, dependens a sensibus, successivus, mutabilis, discursivus ab effectu ad causam, limitatus denique tum quoad extensionem tum quoad intensionem: quodsi autem Deus est ens a se perfectissimum, qui, quidquid habet, ipse est, intellectus divinus est actus, ipsa substantia divina, independens, simultaneus sine successione, immutabilis, intuitivus, ipsas essentias rerum comprehendens, infinitus. — Ad intellectum referuntur: **omniscientia et sapientia.**

Omniscientia est illa intellectus operatio, qua Deus omnia cognoscibilia perfectissime cognoscit et scit.

Sapientia distinguitur duplex: *theoretica*, quae refertur ad intellectum estque generatim scientia bonorum finium et mediorum ad fines illos obtinendos; si de Deo accipitur, est illa perfectio divina, qua Deus omnia quoad se et quoad extra se ita disponere scit, ut fines intentos obtineat perfectissime; *practica*, quae refertur ad voluntatem estque electio bonorum finium et mediorum ad fines illos obtinendos: si de Deo accipitur, est immutabilis Dei voluntas agendi juxta dictata suae infinitae intelligentiae, seu summus amor ordinis, quo fit, ut Deus fines naturae suae perfectioni respondentes non tantum intendat, sed etiam perfectissime per media optima assequatur.

Sapientia quasi media est inter intellectum et voluntatem; complectitur enim scientiam perfectissimam et summam voluntatis rectitudinem.

Nr. 30. **Deus omnia cognoscibilia cognoscit.** Cog-

noscit ergo seu comprehendit Deus: 1. semetipsum et 2. omnia extra se et quidem:

α) omnia praecise possibilia, possibilia scil. ratione non habita quaestionis, utrum futurum sit, ut ea ad existentiam evocentur nec ne;

β) omnia mere possibilia, i. e. ea ex possibilibus, quae quidem existere possent, sed ex beneplacito divino numquam ad existentiam vocabuntur;

γ) omnia, quae ex libera Dei voluntate realia reddita aut reddenda sunt, omnia praeterita, praesentia et futura sive necessaria, sive libera, etiam ea, quae nomine scientiae mediae[1] plerumque veniunt.

Est *de fide* partim ex Conciliorum effatis, uti e. gr. conc. Vaticani, quod Deum etiam futura libera cognoscere de novo inculcat[2] verbis: „Omnia enim nuda et aperta sunt oculis ejus, ea etiam, quae libera creaturarum actione futura sunt:" partim ex apertissimis s. Scripturae effatis.

Probatur:

1° ex SS. Litteris. 1 Cor. 2, 10: *Spiritus omnia scrutatur etiam profunda Dei. Quae enim Dei sunt, nemo cognoscit nisi Spiritus Dei.* — Hebr. 4, 13: *Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus, omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus.* — Eccl. 39, 25: *A saeculo et usque in saeculum respicit et nil est mirabile in conspectu ejus.* — Isaj. 41, 22: *Annunciate, quae ventura sunt, et sciemus, quia dii estis vos.* — Rom. 4, 17: *Qui vivificat mortuos et vocat ea, quae non sunt, tamquam ea, quae sunt.*

2° ex Patribus. Tertullianus scribit:[3] „Praescientia tantos habet testes, quantos fecit prophetas"; s. Augustinus: „Confiteri, inquit,[4] esse Deum et negare praescium futurorum, apertissima insania est"; denique multi SS. Patrum jam per originationem vocis Θεὸς a vocabulo θεᾶσθαι exprimunt, se Dei essentiam ut cognitionem undequaque perfectam concipere.

3° ex ratione, quae pariter hanc Dei omniscientiam approbat. Manifestum enim est, quod Deus se

[1] Vide pag. 147. [2] Sess. III, c. 1, de Deo rerum omnium creatore. [3] Adv. Marc. II, 5. [4] Civit. Dei V, c. 9.

ipsum perfectissime intelligit, alioquin ejus esse non esset perfectum, cum ejus esse sit ejus intelligere.

Deum autem etiam omnia, quae praeter ipsum sunt, cognoscere, ratio colligit ex sequentibus:

α) Deus est plenitudo essendi. Quidquid est vel fieri potest, necessario est imitatio naturae divinae; siquidem ergo Deus essentiam suam cognoscit, cognoscat oportet omnia existentia vel possibilia;

β) Deus omnia libere creat vel efficit; libertas autem in productione requirit, ut Deus res jam antequam existant, cognoscat;

γ) omnia fiunt juxta decreta divina: decretum divinum est ipsa divina substantia, quam Deus comprehendit; ergo Deus, quidquid fit, necessario cognoscit.

Nr. 31. **Deus scientia certa cognoscit etiam futuribilia**, i. e. actus illos, ad quos creata libertas se nunquam quidem determinat, ad quos autem conditionibus quibusvis positis se determinatura fuisset.

Propositio non quidem dogmatice definita, at certa et indubitata est; nam **probatur:**

1° ex s. scriptura. E. gr. Sap. 4. 11: *Raptus est* (justus morte), *ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius*; Matth. 11. 21: *Vae tibi Chorozain, vae tibi Bethsaida, quia si in Tyro et Sidone factae essent virtutes, quae factae sunt in vobis, olim in cilicio et cinere poenitentiam egissent*; quae si Christus de Tyro et Sidone scientia conjecturali praedixisset, conclamatum esset de ejus veritate, veracitate ergo et de ejus divinitate.

2° ex Patribus, qui uno ore docent, Deum ante creationem praevidisse lapsum angelorum et hominum. Atqui lapsus iste ante decretum creationis fuit unum ex conditionatis liberis, qui a decreto libero creationis nondum emanato dependebat.

3° ex ratione videlicet α) ex infinita perfectione scientiae divinae, quae exposcit, ut Deus omne verum cognoscat; ad hoc autem pertinet etiam conditionate futurum, quod homo nonnisi conjecturaliter saepe cognoscit; β) ex perfectione divinae providentiae: nemo potest perfecte et convenienter omnino alieni providere, nisi etiam actiones ejus liberas conditionate futuras

praevideat: γ) ex consensu hominum praeprimis Christianorum, quibus omnibus persuasio inerat, optime Deum nosse, qualem quisque in diversis adjunctis sortem obtenturus sit.

Nr. 32. **In scientia divina non est distinctio realis, sed virtualis tantum:** objecta sola sunt diversa. Quatenus Deus omnes res non solum in genere, sed secundum propriam ipsarum rationem videt, dici potest in Deo esse plures ideas. Propria enim ratio alicujus rei idea appellatur. Medium, in quo Deus res videt, est ipsa ejus essentia, quae causa exemplaris rerum creatarum est.

Scientia divina, licet in se simplicissima, in ordine tamen ad objecta, circa quae versatur, et ad rationes formales, sub quibus diversa objecta attingit, multiplicitер **dividitur,** et quidem:

1° in *scientiam visionis*,[1] cujus objectum sunt omnia actualia, porro in *scientiam simplicis intelligentiae*, quae mere possibilia respicit, et in *scientiam mediam*, quae ad futura libera conditionata refertur et nomen exinde accepit, quod ejus objectum inter mere possibilia et absolute futura interjacet.

2° in scientiam *necessariam*, cujus objectum est necessarium, nimirum Deus et omnia possibilia; et *liberam*, cujus objectum sunt omnia contingentia creata, quae a liberis Dei decretis dependent.

3° in scientiam *speculativam*, quae rem tantummodo contemplatur, et *practicam* quae rem simul operatur, non quidem ut causa efficiens, sed ut causa exemplaris.

4° in scientiam *approbationis*, qua Deus cognoscit bona quae approbat, et in scientiam *improbationis*, qua ea cognoscit, quae improbat peccata. — Mali et mala dicuntur etiam a Deo ignorari, non quidem simpliciter, sed secundum quid, nempe per negationem scientiae approbationis, quo sensu Christus dicit: „Quia numquam novi vos; discedite a me, qui operamini iniquitatem.“[2]

---

[1] Appellatur haec scientia visionis „ad similitudinem visus corporalis, qui res extra se positas intuetur“. Cf. s. Thom. p. 1. q. 14, a. 9.

[2] Matth. 7, 23 Cf. s. *Thom* p. 1. q. 15, praesertim a. 2.

Scientia simplicis intelligentiae praelucens divinis decretis causa quoque exemplaris rerum audit vel causa efficiens remota; causa efficiens propria est decretum voluntatis divinae. — Quoad relationem inter praevisionem Dei et liberum hominis arbitrium tenendum est juxta SS. Patres, quod non fiant actiones, qui a Deo praevidentur, sed quod praevideantur, quia ab hominibus fiunt.

Nr. 33. **Deus est infinite sapiens.** Est *de fide* ex manifestis s. Scripturae continuaeque traditionis documentis.

Probatur:

1° ex s. Scriptura. Psalm. 146, 5: *Magnus Dominus noster, et magna virtus ejus; et sapientiae ejus non est numerus.* In genere totum antiquum foedus, oeconomia mosaica et educatio populi Judaici clarissimum est sapientiae divinae documentum, in novo vero Testamento opus redemtionis et mira hominum per gratiam sanctificatio, quorum admiratione s. Paulus exclamat: *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei.*[1]

2° ex Patribus, inter quos v. gr. s. Basilius scribit:[2] „Rerum solerter conditarum pulchritudinem percipientes, per illam tamquam per litteras quasdam summam Dei circa omnia providentiam sapientiamque legimus.“

3° ex ratione, quae sapientiam Dei infert tum *α)* observando notionem Dei ut omniscii, potentissimi et sanctissimi, qui finem et media apta justaque et scit et potest et vult ordinare et adhibere; tum *β)* considerando sapientissimam orbis terrarum et singularum partium structuram et connexionem, cujus causa sufficiens et explicatio non inveniri potest nisi in sapientissimo mundi creatore atque rectore.

Sapientiae divinae consideratio nos admonet, 1. ut in omnibus vitae casibus, prosperis et adversis, Dei sapientiam revereamur, etiam si Dei consilia non perspexerimus, 2. ut caute et modeste judicemus, quid cum sapientia divina conveniat, quid non conveniat, quia imbecillior est mens humana, quam ut rerum omnium

[1] Rom. 11, 33. [2] Homil. de gratiarum actione.

nexum et congruentiam perspicere possit; 3. ut Dei sapientiam, in quantum possumus, imitemur eo, ut rebus singulis justum et conveniens pretium tribuamus, coelestia terrenis, temporalibus aeterna praeferamus; ut nostram agendi rationem minime ita disponamus, ac si per finem etiam media sanctificarentur, ut singulis recte utamur, et omnia ad finem ultimum dirigamus, ad quae etiam SS. Litterae nos adhortantur:[1] *Ecce timor Dei, ipsa est sapientia, et recedere a malo intelligentia.*

Nr. 34. Quaemadmodum cetera Dei attributa, sic etiam **voluntas divina** ab essentia divina realiter non distinguitur, sed est ipsa substantia divina, quatenus perfectissima ratione volens concipitur, est actus aeternus unicus, simplicissimus et immutabilis, quo Deus ratione perfectissima vult et diligit, quidquid ut objectum volendum et diligendum summa sua scientia agnoscit.

Voluntatem Deo revera competere tam evidens est, ut uberiore demonstratione non indigeat. Breviter autem hisce **probatur:**

1° jam ratio idipsum via eminentiae indagat. Voluntas est perfectio cujuslibet creaturae rationalis; atqui Deus est complexus omnium perfectionum; ergo . . .

2° s. Scriptura multoties conceptis verbis voluntatem et actus voluntatis divinae Deo adscribit; e. gr. ad Ephes 1, 11: *Operatur omnia secundum consilium voluntatis suae:* 1 Thessal 4, 3: *Haec est voluntas Dei, santificatio vestra;* Apocal. 4, 11: *Propter voluntatem tuam erant et creata sunt.*

Nr. 35. **Objectum voluntatis** divinae *primarium* est Deus ipse. Deus, qui se ut omnium perfectionum complexionem seu summum bonum perfectissime cognoscit, semet propter se ipsum vult et diligit. Objectum *secundarium* voluntatis divinae constituunt creaturae secundum Sap. 11, 25: „Diligis omnia, quae sunt et nihil odisti eorum, quae fecisti."

Deus enim diligit, quidquid bonum est; cum omnis creatura ut opus Dei bona sit, in aprico est Deum omnes creaturas pro ratione boni, quod continent, velle seu diligere. Ultro autem intelligitur, creaturas non

[1] Job. 28, 33.

per se esse bonas easque propter se a Deo diligi, sed potius Deum eis mensuram bonitatis tribuere easque propter hanc bonitatem participatam, propter semetipsum diligere, ideoque eas velle non ut finem, sed ut medium at finem ultimum, qui est summa Dei gloria. Item liquet, cum Deus in diffundenda bonitate sua in creaturas libertate gaudeat, uti mox monstrabitur, Deum creaturas magis vel minus amare, quo majora vel minora sunt bona, quae eis confert.

Nr. 36. **Deus nullum malum per se intendit:** malum physicum vult per accidens; malum morale nec per se nec per accidens intendere, sed tantummodo permittere potest.

Probatur:

1° ex SS. Litteris. Eccli. 39, 35: *Ignis, grando, fames et mors, omnia haec ad vindictam creata sunt*, ergo mala physica creata ac proinde a Deo volita sunt; verum non propter se, sed per accidens volita; nam Sap. 1, 13 legimus: *Quoniam Deus mortem non fecit* (propter se), *nec laetatur in perditione vivorum*; mala moralia vero Deus nullo modo vult, sed tantum permittit, ut patet ex Psalm. 5, 5: *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es*, et Habac. 1, 13: *Mundi sunt oculi tui, ne videas malum, et respicere ad iniquitatem non poteris.*

2° ex ratione, quae praedictis facile assentitur. Non repugnat, quod Deus malum morale potest permittere. Si nempe repugnaret, certe aut sanctitati, aut bonitati aut sapientiae. Ast non *sanctitati*, quia permittere non est approbare; non *bonitati*, quia haec non postulat, ut abusus libertatis a Deo impediatur, et insuper in condonatione culparum quam maxime eluceat; non *sapientiae*, quae potius scit, summum malum in summum bonum vertere; non *alii perfectioni*, cum homo Deum necessario vel per obedientiam vel per poenitentiam vel per poenam debeat glorificare.

Nr. 37. **Voluntas** divina, licet in se sit omnino simplex, merito tamen **dividitur:**

a) in voluntatem **necessariam**, cuius objectum Deus ipse et essentiae rerum in se spectatae, et **liberam**, cuius objectum sunt creaturae.

β) in voluntatem beneplaciti, quae est voluntas proprie dicta, et signi, quae est manifestatio voluntatis per signa, uti sunt: praeceptum, consilium, prohibitio, operatio, permissio; fieri potest, ut homo ex voluntate signi non bene intelligat voluntatem beneplaciti, e. g. Deus praecepit immolationem Isaac et voluit obedientiam nonnisi Abrahami:

γ) in voluntatem antecedentem, qua Deus aliquid ex se vult ratione bonitatis, v. g. omnes homines salvos fieri, et consequentem, qua aliquid vult facta suppositione, v. g. damnare hominem sceleratum in peccatis mortuum;

δ) in voluntatem efficacem, qua Deus aliquid intendit et efficit, et inefficacem, si requiritur tamquam conditio effectus libera creaturae rationalis cooperatio;

ε) in voluntatem absolutam et conditionatam, ordinantem et permittentem, adaequate vel inadaequate spectatam, quae divisiones ex ipsis terminis facile intelliguntur. Sic Deus mundum creavit voluntate absoluta, homines salvat sub conditione cooperationis; si voluntas Dei consideratur ut praecipiens tantum vel parcens, inadaequate spectatur; si simul omnipotentiae et justitiae finalis ratio habetur, erit adaequata.

Nr. 38. **Omnipotentia** est illa perfectio, qua Deus omnia possibilia sola voluntate producere potest.

Omnipotentiam Dei probamus contra *Fatalistas*, nec non contra *Manichaeos* et *Gnosticos*, praesertim autem contra illos, qui dixerunt: Deum non posse plura et majora quam fecit facere, igitur contra Abaelardum et philosophos Leibnitz, Hermes et Günther.

Deus est omnipotens, cum possit producere, quidquid non est impossibile.

Est *de fide*; enuntiatur enim in Symbolo Apostolico: „Credo in Deum Patrem omnipotentem;" item in symbolo Nicaeno-Constantinopolitano, in Athanasiano aliisque; item in concilio Lateran. IV. cap. *Firmiter:* „Creator, qui sua omnipotenti virtute utramque de nihilo condidit creaturam" et in conc. Vaticano Sess. III, c. 1. de Deo rerum omnium creatore.

Probatur:

1° ex SS. Litteris. Gen. 17, 1: *Ego Dominus omnipotens;* Matth. 19, 26: *Apud Dominum omnia possibilia sunt;* Hebr. 11, 3: *Fide intelligimus aptata esse saecula verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent;* Matth. 3, 9: *Dico autem vobis, quoniam potens est Deus de lapidibus suscitare filios Abrahae.*

2° ex Patribus; s. Augustinus dicit[1] nos olim visuros „voluntas Dei quam multa possit et non velit, nihil autem velit, quod non possit".

3° ex fide Ecclesiae, quae patet inter alia ex supra allegatis symbolis et conciliis, nec non ex illa ab Innocentio II° rejecta sententia Abaelardi: Quod ea solummodo possit Deus facere vel dimittere vel eo modo vel eo tempore, quo facit et non alio.

4° ex ratione, quae infinite potentem Deum qua creatorem et gubernatorem mundi poscit. Si Deus nonnisi ea posset quae fecit vel facit, potentia esset finita, quod rationi entis infiniti adversatur.

Nr. 39. Loquuntur theologi de **potentia absoluta** et **ordinata** et quidem triplici sensu:

1° ita, ut potentia dicatur absoluta, quatenus per se solam consideratur; ordinata, quatenus sapientiae aliisque attributis conjungitur. Hic sensus admitti quidem potest, sed cavendum erit a Jansenistarum fraude, qui dicebant Deum potentia absoluta revera aliquid facere posse, quod non possit potentia ordinata. Hoc quippe sensu divisio praedicta esset plane haeretica.

2° Intelligi potest ex mente s. Thomae[2] ita, ut potentia dicatur absoluta vel ordinata, quatenus consideratur antecedenter ad decreta divina vel dependenter ab illis. Sic Deus denuo mundum diluvio perdere posset potentia absoluta; potentia ordinata non potest propter promissionem,[3] quod non erit deinceps diluvium dissipans terram.

3° Alii denique potentiam absolutam vel ordinatam usurpant secundum legem ordinariam vel extraordinariam, qua Deus operatur. Miracula ex. gr.

[1] Enchirid. c. 95, n. 24. [2] P. 1, q. 25, a. 5 et contra Gent. L. 3, c. 96. [3] Gen. 9, 11.

juxta hos tribuenda essent potentiae absolutae, non ordinatae.

Nr. 40. **Bonitas** seu benignitas est constans Dei voluntas communicandi suis creaturis felicitatem secundum earum conditionem et rationem et secundum sua sapientissima consilia.

Bonitas triplex est: naturalis, moralis, relativa. Prima est ipsa Dei infinita perfectio, altera eius sanctitas, de tertia hicce est sermo.

Haec Dei benignitas erga creaturas rationales exhibita nonnunquam vocatur *caritas*, quia principium, ex quo bonitas venit, caritas Dei est, quae etiam sicuti bonitas inclinat ad bona aliis impertienda. Alia quoque induit nomina pro variis creaturarum, quas respicit, conditionibus: quando creaturis non merentibus bona dividit, *gratia* est: quando miseris et indigentibus succurrit, *misericordia;* quando etiam peccatoribus auxilium non subtrahit, *clementia*, etc.

Nr. 41. **Deus est summe bonus.**

Contra Manichaeos, qui Deum qua auctorem mali statuentes ejus bonitatem negarunt, haec ipsa hisce **probatur:**

1° ex SS. Litteris. Sap. 11, 13: *Diligis enim omnia quae sunt, et nihil odisti eorum, quae fecisti*; Ps. 105, 1: *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in saecula misericordia eius*; 1 Petr. 5, 7: *Omnem sollicitudinem projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis;* 1 Joan. 4, 16: *Deus charitas est.*

2° Dei infinitatem bonitam docent s. Patres et Ecclesia nobis eam multifariam et saepissime ob oculos ponit declarans vel mala physica benignitatis divinae specimina et documenta esse, cum ea inserviant, tum ut peccata prohibeantur et exstirpentur,[1] atque puniantur,[2] tum ut homines propriae infirmitatis memores reddantur,[3] et admoneantur, ut per preces ad Deum confugiant.[4]

3° Ratio Deo bonitatem adscribit qua perfectionem necessariam et insuper propria experientia quemlibet, si vult recordari, de ea edocet.

---

[1] Cf. Orig. Princ. II, 10. [2] Cf. Lact. Ira Dei IV. [3] Cf. Iren. adv. haer V, 3. [4] Cf. Augustin. contra *Coltulhium* et *Florinum* dicentes Deum creasse mala.

Nr. 42. **Libertas** Dei intelligitur illa Dei perfectio, qua ipse in sua efficacia ab omni impedimento atque omni necessitate absolute immunis vult et agit.

Libertas generatim opposita est necessitati, quae est aut moralis ex legibus obligantibus, aut physica. Physica porro aut est externa coactio aut interna necessitas, qua agens intrinsece et naturaliter ad hoc vel illud unum agendum determinatur.

Libertas moralis in homine quidem praedicari nequit, utique vero in Deo qua supremo legislatore independente. Quodsi autem de libertate Dei loquimur, nonnisi physica est intelligenda. Haec omnem necessitatem excludit. Liber est, qui inter duo vel plura secundum arbitrium potest eligere. Electio autem ab omni influxu necessitante sive interno sive externo abhorret.

Libertas physica distinguitur in α) libertatem *contradictionis*, quae est indifferentia inter velle et non velle; β) *specificationis*, quae est indifferentia inter hoc velle vel illud velle; γ) *contrarietatis*, quae est indifferentia inter bonum velle et malum velle.

Libertatem Dei negarunt: ethnici philosophi et poëtae, qui deos suos fato subjecerunt; Gnostici, qui passim aeones et totum mundum ex Deo necessitate emanantes statuerunt; porro Hermogenes, Abaelardus, Wicleffus, Calvinus, Leibnitzius, Hermes et schola Güntheriana, quae verbis quidem Deum liberum enuntians tamen Deo libertatem indifferentiae abjudicando ejus libertatem prorsus destruit. Contra hos omnes jam docet Ecclesia catholica:

Nr. 43. **Deus, quidquid agit et vult extra se, vult et agit liberrimo arbitrio.** Est *de fide* ex conc. Vaticani[1] canone: „Si quis Deum dixerit non voluntate ab omni necessitate libera, sed tam necessario creasse, quam necessario amat seipsum, anath. sit."

Probatur:

1° ex SS. Litteris. Psalm. 134, 6: *Omnia, quaecumque voluit, Dominus fecit in coelo et in terra, in mari et in omnibus abyssis:* Ephes. 1, 11: *operatur*

[1] Sess. 3. cap 1. de Deo rerum omnium creatore can. 1, 5

omnia secundum consilium voluntatis suae; Jacob. 1, 18: *Voluntarie genuit vos verbo veritatis.* — Dicitur porro Deum elegisse Jacob prae Esau, posse eripere iuvenes de fornace si vellet, ergo hoc vel illud agere secundum suum arbitrium. Admonet porro Scriptura homines, ut precibus et poenitentia etc. se gratia et misericordia Dei dignos reddant et mala a se avertant. Ad quid hoc utile, si bona vel mala fatali necessitate a Deo immittuntur?

2° ex Patribus, qui omnes liberam voluntatem Dei in creatione et in redemptione docent adstruentes similia, uti v. gr. scribit[1] Tertullianus: Libertas non necessitas competit Deo.

3° Ratio ipsa Deo vindicat absolutam libertatem: α) libertas est perfectio; hinc in Deo est necessario; β) libertas est in homine; ast nil in effectu, quod non est in causa; γ) non invenitur, quo Deus sive interne sive externe necessitetur; δ) si mundus non libere sed necessario a Deo fuisset creatus, ipse esset necessarius aut in se aut Deo; si in se necessarius esset, esset a se, non a Deo; si Deo esset necessarius, Deus non esset sibi sufficiens, quod est contra rationem entis perfecti et contra fidem.

Libertati Dei **non obstat** α) eius necessitas; haec enim spectat ad existentiam, illa vero ad voluntatem, utrum nempe hoc vel illud, hoc vel alio modo sit agendum. Homo quoque voluntate Dei necessario existit, et nihilominus est liber. Non obstat porro, β) quod Deus non potest inclinare ad malum; „nam velle malum nec est libertas, nec pars libertatis, quamvis sit quoddam libertatis signum.“ Libertas contrarietatis non est perfectio sed imperfectio. S. Augustinus observat, perfectissime liberum esse, qui nec peccare, nec aliter quam sancte agere possit.

Nr. 44. **Sanctitas** est illa perfectio, pro qua Deus se ipsum qua summum bonum diligit et, quidquid cum ipso convenit, approbat, cetera autem reprobat.

Ex hoc simul liquet, sanctitatem in Deo non, uti in creaturis, accidens quid esse, quod et abesse potest,

---

[1] Adv. Hermog. XVI.

sed quid necessarium, quod Deo abesse nequit, quod et in omnibus operibus divinis ad extra adesse debet.

A Theologis proin sanctitas Dei **definitur**: Summus amor boni summumque odium peccati.

Adversarii: Sunt Stoici et Epicuraei, qui Deum humanarum actionum incuriosum docuerunt; porro Gnostici et Manichaei, qui, licet ad originem mali explicandam principium quoddam malum statuerunt, tamen Deum ut sanctum non cogitarunt; Calvinistae denique et alii, qui, negata hominis libertate, tam bonum quam malum immediate a Deo derivant.

Nr. 45. **Deus est infinite et substantialiter sanctus.**

Probatur:

1° ex SS. Litteris. Levit. 11, 14: *Sancti estote, quia ego sanctus sum;* Matth. 5, 48: *Estote perfecti sicut pater vester coelestis perfectus est;* Isaj. 6, 3: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus exercituum;* 1 Thess. 4, 3: *Haec est voluntas Dei: sanctificatio vestra.*

2° ex Patribus, qui in scriptis suis contra supra nominata systemata editis testati sunt: a Deo nil mali (moralis) sed bonum tantum venire;[1] Deum peccatum impedire velle;[2] libertatem creaturis rationalibus datam in se bonum quid esse, Deumque salva sua sanctitate non teneri, ut libertatis abusum impediat.[3]

3° ex ratione, quae idem docet. Voluntas Dei, quae est ipsa divina essentia, est suprema norma agendi omnibus creaturis. Impossibile autem est, ut Deus ipse ab hac norma deflectat, quoniam a se ipso nequit deficere. Ergo est Deus essentialiter sanctus, **ipsa sanctitas subsistens.**

Si legimus Deum indurare, praecipere peccatum et sic porro, haec nonnisi de permissione peccati vel de subtractione gratiae sunt intelligenda.

Nr. 46. **Deus est veracissimus et fidelissimus.**

Veracitas est illa Dei perfectio, pro qua, quidquid Deus patefacit, absolute verum est.

Fidelitas est constans et immutabilis Dei voluntas **promissa adimplendi.**

---

[1] *Irenaeus* adv. haer. L. 4, c. 29, n. 1. [2] *Basilius* in Ps. 48, n. 8. [3] *Clemens* Alexdr. Strom. l. 17.

Probatur:

1° ex SS. Litteris. Num. 23, 19: *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur, nec ut filius hominis, ut mutetur. Dixit ergo et non faciet, locutus est et non implebit;* Rom. 3, 4: *Est autem Deus verax, omnis homo autem mendax;* Joan. 17, 17: *Sermo tuus veritas est.*

2° quod fides est ecclesiae, suadet ipsa ratio propter Dei omniscientiam, sapientiam, sanctitatem, benignitatem et omnipotentiam. Deus omniscius omne verum accuratissime cognoscit; Deus sanctissimus et omnipotens quam maxime verum dicere, promissis et minis stare vult et potest.

3° quae cum ita sint, non mirum est, etiam philosophos gentiles Deum veritatis nomine insignisse illumque principium omnis veritatis nuncupasse, haud absimili modo ab eo, quod sol omnis luminis principium censeri mereatur.

Nr. 47. **Justitia** est illa perfectio absoluta divina, vi cuius Deus singulis hominibus pro eorum meritis aut demeritis sortem debitam bonam aut malam aequissima ratione attribuit.

Justitia in Deo non est commutativa, quae nititur in aequalitate rei datae et acceptae; homo nempe nil potest dare, quod non prius ac primarie a Deo acceperit; sed est distributiva et quidem aut *remuneratoria* aut *vindicativa*.

Justitiam in Deo, saltem vindicativam, inficiati sunt inter antiquos haereticos Marcionitae tamquam Deo iniquam, quae cum ejus infinita bonitate conciliari nequeat. Inter recentiores vero praeter Socinianos imprimis Naturalistae et Deistae, qui asserunt, Deum punire tantum, ut emendet, non simul autem, ut sanctitati et justitiae laesoque ordini morali satisfaciat. Protestantes recentiores per consequens aeternitatem inferni negant; infernum ipsum in purgatorium mutant.

Nr. 48. **Deus est iustissimus.**

Probatur:

1° ex SS. Litteris, quae non tantum in *historia* protoparentum, Caini, diluvii, Sodomitarum etc. lucu-

lenta divinae justitiae documenta exhibent, sed etiam *expressis verbis* Deum frequenter justum praedicant, v. gr. Psalm. 118: *Justus es Domine et rectum judicium tuum;* Rom. 2, 5: *Qui reddet unicuique secundum opera eius;* 2 Cor. 5, 10: *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque prout gessit, sive bonum sive malum;* Galat. 6, 8: *Quae seminaverit homo, haec et metet;* Deut. 32, 41: *Si arripuerit iudicium manus mea, reddam ultionem hostibus meis, et his, qui oderunt me, retribuam;* Rom. 12, 19: *Mihi vindicta, ego retribuam.*

2° Ecclesia idem semper docuit attestantibus s. Patribus, qui disertis verbis Deum justum appellant. S. Augustinus v. gr. scribit:[1] „Deum justum negare sacrilegum est, et de ejus justitia dubitare, amentia."

3° Ratio justitiam in Deo adstruit tum ex eius sanctitate tum ex testimonio conscientiae humanae, quae ordinem moralem absolute rectum, hinc iudicem iustissimum exposcit.

Nr. 49. Ex attributis, quae hucusque de Deo sunt affirmata, per se iam fluunt ea, quae **de interno Dei statu** praedicari debent et sequentibus tribus continentur propositionibus:

1. **Deus est sibi sufficientissimus nec alia re extra se indiget.**

Affirmatur it α) disertis verbis s. Scripturae: e. gr. Act. 17, 24: *Deus, qui fecit mundum et omnia, quae in eo sunt, hic coeli et terrae cum sit Dominus, non in manufactis templis habitat, nec manibus humanis colitur, indigens aliquo, cum ipse det omnibus vitam et inspirationem et omnia;*

β) Confirmatur per rationis discursum. Nam cum Deus tamquam ens infinite perfectum ac summum bonum omnia, quaecumque esse possunt, bona eaque infinito gradu possideat, et omnia alia bona finita nonnisi per ipsum sint: ipse nulla prorsus re indiget, neque ulla indigere potest.

2. **Deus est summa majestate conspicuus et omnium Dominus.**

Maiestas est ipsa dignitas, excellentia dignitatis

[1] De lib. arbitr. L. 1, art. 1.

Gloria Dei interna est ipsa excellentia divinitatis in se spectata; externa est manifestatio perfectionum in creaturis. Deus habet naturam infinitam, ergo excellentiam infinitam.

α) Scriptura nos exhortatur ad maiestatem Dei verbo et opere profitendam; v. gr. Psalm. 28, 2: *Afferte Domino gloriam et honorem, afferte Domino gloriam nomini eius;* 1 Cor. 10, 31: *Sive ergo manducabitis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* — SS. Litterae porro Deum praedicant qua „Deum deorum et Dominum dominantium", „Dominum saeculi", „Regem regum", „Regem saeculorum", „coeli et terrae Dominum".

β) Eadem est doctrina SS. Patrum; sic scribit s. Augustinus:[1] „Illius magnitudo sine fine est et tua laudatio sine fine sit."

3. **Deus est infinite beatus.**

Beatitudo ea est absoluta Dei conditio, qua ipse in se tamquam in summo bono acquiescit sibique summe ac necessario complacet, quod Boëthius adhuc brevius explicat dicens, beatitudinem esse statum omnium bonorum congregatione perfectum.

Hanc infinitam Dei beatitudinem docent:

α) SS. Litterae. Sic Apostolus vocat[2] Deum *κατ' ἐξοχήν* beatum = *τὸν μακάριον*, i. e. solum vere ac necessario beatum, qui sit ipsa beatitudo, omnisque beatitatis largitor: atque iterum scribit:[3] *Beatus et solus potens, Rex regum et Dominus dominantium, qui solus habet immortalitatem et lucem inhabitat inaccessibilem.*

β) Concil. Vatic. habet[4] de Deo: „in se et ex se beatissimus, et super omnia, quae praeter ipsum sunt et concipi possunt, ineffabiliter excelsus."

γ) Ratio iam ipsis paganis hanc veritatem comprobavit. Deus est absoluta veritas, summum bonum et se ipsum cognitione et amore perfectissime possidet, in quo merito beatitudo reponitur. Fruitur autem Deus hac beatitudine non successive sed tota simul, quatenus aeternitas omnem successionem temporis excludit.

---

[1] In Psalm 144. [2] 1 Thimoth. 1, 11. [3] Ibid 6, 15 sq. [4] Sess. 3, c. 1 de Deo rerum omnium creatore.

Tractatus secundus.

De Deo trino.

Nr. 50. Doctrina maximi et gravissimi momenti, ipsum fundamentum totius religionis Christianae est doctrina de Dei unius veri in tribus personis subsistentia, seu de SS. Trinitate.

Haec iam veritas numquam non inveniebat infestissimos *adversarios*, qui ad sex classes rediqi possunt: 1° Judaei, Ebionitae, Monarchiani ebionitici, Sociniani et Rationalistae, qui expresse Trinitatem negarunt. 2° Patropassiani et Sabelliani, qui nominalem tantum inter personas divinas admisere distinctionem. 3° Ariani, Semiariani et aliae sectae Arianae, qui consubstantialitatem filii cum Patre negabant. 4° Macedoniani divinitatem Spiritus s. negantes. 5° Graeci schismatici Spiritum s. a solo Patre procedere affirmantes. 6° Ii tandem, qui sive explicite sive implicite non tres personas sed tres deos statuere: Philoponus, Roscellinus, Joachimus abbas, schola Güntheriana.

„Fides autem catholica haec est, ut unum Deum in trinitate et trinitatem in unitate veneremur neque confundentes personas neque substantiam separantes."

Hanccc doctrinam de SS. Trinitate tribus persolvemus capitibus, quorum 1° agetur de ipsa trinitate personaram in unitate naturae; 2° de relatione divinarum personarum inter se invicem; 3° de relatione SS. Trinitatis ad extra.

Te trinitate divinarum personarum in unitate naturae.

Nr. 51. Non superfluum videtur praevie terminos in hoc tractatu iterum atque iterum obviantes breviter exponere.

Quid sub essentia et natura intelligatur, jam sub Nr. 11, pag. 129. dictum est.

Substantia in oppositione ad accidentia est id, quod est per se nec alio indiget ad existendum qua subiecto, cui inhaereat.

Substantia *dividitur* 1° in primam, i. e. singularem, et secundam, i. e. universalem, e. gr. hic homo et homo generatim; porro 2° in completam et incompletam, e. gr. hic homo et haec manus. Termini: essentia, natura, substantia nonnisi nationaliter a se differunt, realiter unum idemque significant.

Hypostasis seu suppositum etymologice iterum non differt a substantia; iuxta usum loquendi philosophicum autem hypostasis est substantia singularis, completa, quae per se subsistit, separatim ab aliis. De supposito praedicantur natura, proprietates, actiones, passiones et omnia accidentia.

Persona est hypostasis rationalis, vel ut optime definit Boëthius: „Rationalis naturae individua substantia", in qua definitione, „individua substantia" idem est ac „substantia singularis completa". Propterea Güntherus perfalse definivit, „personam esse substantiam sui consciam". Tunc enim infans, donec ad usum rationis pervenisset, non esset persona; e contra humanitas in Christo, quae sui erat conscia, fuisset persona, et in Deo, cum unica sit conscientia, non esse possent tres personae.

Nr. 52. **Mysterium SS. Trinitatis**, quod in novo demum Testamento clare per Christum et Apostolos revelatum est, **iam in V.T. saepius innuebatur.**

Huc referendi sunt loci: Gen. 1, 26: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram;* Psalm. 32, 6: *Verbo Domini coeli firmati sunt et spiritu oris eius omnis virtus eorum*; formula benedictionis[1] apud Judaeos usitata: „Benedicat tibi Deus et custodiat te — ostendat Dominus faciem suam tibi et misereatur tibi — convertat Dominus vultum suum ad te et det tibi pacem."

Hisce praemissis in expositione de SS. Trinitate a demonstratione divinitatis et personalitatis Patris et Filii et Spiritus s. incipiamus.

---

[1] Conf. Gen. 18, 1—3.

Nr. 53. **Pater est Deus et persona distincta.**

Deus in SS. Litteris triplici respectu dicitur Pater:

1. in relatione ad universum genus humanum, quo sensu oramus: *Pater noster, qui es in coelis:*

2. in relatione ad iustos, populum Israeliticum et populum Christianum, cf. Deut. 32, 6: *Numquid non ipse est pater tuus, qui possidet te et fecit te et creavit te*, vel Matth. 5, 16: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum, qui in coelis est;*

3. in relatione ad Christum Dominum, cf. Joann. 20, 17: *Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum;* Joann. 8, 54: *Est Pater meus, qui glorificat me, quem vos dicitis, quia Deus vester est.*

SS. Litterae porro dicunt: Patrem habere vitam in semetipso et dedisse filio quoque vitam habere in semetipso; Patrem omnia disponere, adorandum esse in spiritu et veritate, videre in abscondito, omnia cognoscere et sic porro, quae omnia tum divinitatem tum personalitatem Patris quam maxime comprobant.

Ecclesia hinc numquam non hanc veritatem profitebatur, quod inter alia comprobant: Symbolum Apostolorum, Nicaeno-Constantinopolitanum et Preces publicae, v. gr.: „Omnipotens sempiterne Deus, Pater Domini nostri Jesu Christi etc.“

Nr. 54. **Filius est Deus et persona a Patre distincta.**

Divinitas Christi, filii Dei, plurimis SS. Litterarum locis, quorum hic nonnisi unum et alterum afferre licet et possibile est, nec non variis traditionis documentis **probatur:**

1° Christus ipse ut filius Dei divinitatem suam profitetur, v. gr. Joan. 10, 30: *Ego et Pater unum sumus;* Matth. 26, 63 sqq.: *Et princeps sacerdotum ait illi: Adjuro te, ut dicas nobis, si tu es Christus, filius Dei. Dicit illi Jesus: Tu dixisti.*

2° Apostoli divinitatem Christi filii Dei praedicant. Dicit illis Jesus:[1] „Vos autem, quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus dixit: *Tu es Christus*

[1] Matth. 16, 14 sqq.

filius Dei vivi. Respondens autem Jesus dixit ei: Beatus es Simon bar Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in coelis est." Hoc loco Christus in oppositione ad prophetas filius Dei vocatur, quae verba sensu quam maxime proprio sunt intelligenda.

Thomas, cum Christus eum jussisset digitum inferre in vulnus, exclamat:[1] *Dominus meus et Deus meus* (sc. es tu).

Ex professo autem s. Joannes divinitatem verbi, filii Dei defendebat, incipiens jam Evangelium suum verbis illis notis: „In principio erat verbum etc." ex quo loco divinitas Verbi patet, quia *α)* est ab aeterno apud Deum; *β)* verbum expresse Deus dicitur; *γ)* est omnipotens; *δ)* vocatur unigenitus a Patre filius.

3o Clarissima sunt porro in specie testimonia s. Pauli, qui fideles admonet, ut sint imitatores Christi, qui licet sit verus Deus, *ὑπάρχων ἐν μορφῇ θεοῦ*, in forma, hoc est in natura Dei, tamen verus homo, imo hominum servus factus est; dicitque porro, Christo competere adorationem, quae nonnisi Deo exhibetur. Scribit enim ad Philipp. 2, 5 sqq.: „Hoc et sentite in vobis, quod et in Christo Jesu, qui *cum in forma Dei esset — ὃς ἐν μορφῇ θεοῦ ὑπάρχων —* non rapinam arbitratus est *esse se aequalem Deo*, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens . . . Propter quod et Deus exaltavit illum et dedit illi nomen, quod est super omne nomen, ut *in nomine Jesu omne genu flectatur* . . . et omnis lingua confiteatur, quia *Jesus Christus est in gloria Dei Patris;*" ad Hebr. 1, 1 sqq. autem: „Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis; novissime diebus istis locutus est nobis in *filio*, quem constituit haeredem universorum, *per quem fecit et saecula, qui cum sit splendor gloriae et figura substantiae eius = ὅς ὢν ἀπαύγασμα τῆς δόξης καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ*, portansque omnia verbo virtutis suae, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dextram maiestatis in excelsis, tanto melior angelis effectus, quanto differentius prae illis nomen hereditavit. Cui enim dixit angelorum aliquando: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Et rursum: *Ego*

[1] Joan. 20, 26.

ero illi in Patrem et ipse erit mihi in filium. Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terrae, dicit: „*Et adorent eum omnes angeli Dei*" — Denique ad Coloss. 2, 9 scribens, luce clarius idipsum enunciat hisce verbis: *Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.*

4° SS. Patres unanimiter et semper divinitatem filii praedicabant et defendebant. Maximi momenti hic sunt effata s. Patrum ante conc. Nicaenum I. Auctor epistolae „Barnabae" profitetur: „Filium verum Deum Patri coaeternum, qui in carne apparuit, ut nos servaret a peccatis;" s. Irenaeus:[1] „Ecclesia fidem eam ab Apostolis eorumque discipulis acceptam, quae est in unum Deum Patrem omnipotentem — et in Jesum Christum filium Dei, nostrae salutis causa incarnatum et in Spiritum s. summo studio et cura conservat;" s. Athanasius compluribus opusculis contra haereses divinitatem Verbi, filii Dei defendit.

5° Effatis s. Patrum accedunt testimonia s. Martyrum, qui sub atrocissimis et crudelissimis tormentis libere confitebantur: Christum esse Dei filium, Deum verum cum Patre et Spiritu s., et ab eodem Domino Deo Jesu Christo vitam aeternam exspectabant, terrestrem pro eo relinquentes.

6° Divinitas patet porro ex antiquis doxologiis, ex Canone missae, antiquissimis liturgiis et symbolo Apostolico; denique ex infestationibus, quae Christiani tum a paganis tum a Judaeis perpessi sunt propter fidem in Jesum Christum Deum crucifixum, quam illi in ridiculum trahere satagebant.

7° Ecclesia semper hanc fidem contra oppositos errores qualescumque defendit. Sic reprobavit praeprimis haeresim Arii in Synodo Alexandrina 318 et Conc. Nicaeno I. 325, in quo concinnabatur symbolum: „Credimus in unum Deum Patrem, omnium visibilium et invisibilium factorem. Et in unum Dominum Jesum Christum filium Dei natum ex Patre unigenitum, i. e. ex substantia Patris: Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero; natum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt . . ."

[1] Contr. haer. L. 1.

Ex his omnibus hucusque allectis testimoniis tum s. Scripturae tum traditionis patet quoque filium esse personam distinctam a Patre. Exhibetur nempe ut ens volens, intelligens, operans; hinc est personalis; sed simul quoque proponitur qua distinctus a Patre; hinc est persona a Patre distincta.

Nr. 55. **Spiritus sanctus est Deus.**

Probatur:

1° ex SS. Litteris. Matth. 28, 19: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et filii et Spiritus s.* Hoc loco Spiritus s. in unum consortium dignitatis, i. e. divinitatis cum Patre et filio adiungitur, cum homo baptismo cultui divino initiari dicatur; quod si ergo baptismus etiam in nomine Spiritus s. est conferendus, hic Deus sit necesse est.

SS. Litterae porro Spiritum sanctum α) expresse vocant Deum in oppositione ad homines, e. gr. Act. 5, 34: *Cur tentavit satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto . . . Non es mentitus hominibus sed Deo;* β) eum dicunt a Patre procedere, ergo ejusdem substantiae esse cum Patre, e. gr. Joan. 15, 26: *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me;* — γ) adscribunt Spiritui sancto divinas proprietates, ex. gr. sapientiam, et omniscientiam, cf. 1 Cor. 2, 10: *Spiritus enim scrutatur omnia etiam profunda Dei;* omnipraesentiam, cf. Sap. 1, 7: *Spiritus Domini replevit orbem terrarum;* omnipotentiam, cf. Ps. 32, 6: *Verbo Domini coeli formati sunt et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum;* maxime vero sanctitatem infinitam, cum ipse sit sanctus per excellentiam, τὸ ἅγιον πνεῦμα et fons omnis sanctitatis;[1] — δ) attribuunt Spiritui s. denique opera divina, et quidem inspirationem legatorum divinorum, cf. Joan. 16, 13: *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem et, quae ventura sunt, annuntiabit vobis;* sanctificationem hominis, cf. Joan. 3, 5: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non*

[1] Cf. Matth. 28, 19; 1 Cor. 6, 11; Rom. 5, 5; Tit. 3, 5.

potest introire in regnum Dei. Quod natum est ex carne, caro est, quod natum est ex Spiritu, spiritus est; effectus extraordinarios. cf. 1 Cor. 12, 8 sqq: *Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiae, alii sermo scientiae per eundem Spiritum; alteri fides in eodem Spiritu, alii gratia sanitatum . . . Haec omnia operatur autem unus atque idem Spiritus, dividens singulis prouti vult.*

2° Haec numquam non erat SS. Patrum doctrina, quam e. gr. s. Augustinus confitetur[1] dicens: „Non est creatura Spiritus sanctus: quia cui corpus nostrum templum exhibemus, necesse est, ut huic eam servitutem debeamus, qua nonnisi Deo serviendum est, quae graece appellatur *λατρεία*." et s. Fulgentius,[2] qui ita concludit: „Si coelorum virtutem potuit firmare, qui non est Deus? si potest vivificare, qui non est Deus? si potest in baptismatis regeneratione sanctificare, qui non est Deus? si potest gratiam dare, qui non est Deus? . . . Si ergo haec omnia creaturae possibilia numquam fuerunt et inveniuntur in Spiritu sancto, quae tamen soli competunt Deo: non debemus naturaliter diversum a Patre Filioque dicere, quem in operum potentia diversum non possumus invenire."

3° constans Ecclesiae fides, uti patet ex symbolis, doxologiis, confessionibus quoque s. Martyrum. Macedonii error a. 381 in Conc. Constantinop. I. est reprobatus a patribus profitentibus: „Credo in Spiritum s. Dominum et vivificantem, ex Patre procedentem et cum Patre simul adorandum et conglorificandum, qui locutus est per prophetas."

Nr. 56. **Spiritus s. est simul persona distincta a Patre et Filio.**

Probatur hoc exinde, quod

1° Spiritus s. expresse dicatur alius a Patre, ab eo procedens, et alius a filio, ab eo missus, qui de filio accepit. Cum simul exhibeatur qua ens volens et intelligens, i. e. qua persona, certe est persona a Patre et filio distincta.

2° idem patet ex formula baptismi. Nam absurdum esset baptizare in nomine Patris ceu personae et

[1] *De Trinit.* L. 1, c. 6, n. 13. [2] *Ad Trasimund.* L. 3, c. 35

duarum proprietatum eius. quod fieret. si Spiritus s. non pariter ac filius et Pater esset persona, attamen ab utroque distincta.

3° personalitas Spiritus s. patet quoque ex damnatione Sabellianorum.

Nr. 57. **Divinae personae habent unam numero essentiam, substantiam et naturam et vere sunt consubstantiales.**

Quoad unitatem alii statuerunt in divinis personis tantum specificam, Joachimus abbas collectivam, uti multi homines populum unum constituunt; Güntherus denique qualitativam, ac si ex personis relativis una absoluta coalesceat. — Quodsi autem unitas personarum numerica negatur, negatur quoque unitas operationis.

Contra hos valet propositio nostra. quae est *de fide* et

probatur:

1° ex omnibus illis s. Scripturae locis, quibus unitas absoluta Dei est confirmata. Expresse porro dicitur Joan. 10. 30: *Ego et Pater unum sumus;* 1 Joan. 5, 7: *Quoniam tres sunt, qui testimonium dant in coelo: Pater, Verbum et Spiritus s. et hi tres unum sunt.*

2° docent s. Patres. S. Gregorius Naz.:[1] „Trinitas unus Deus est et esse creditur non minus propter concordiam, quam propter substantiae identitatem."

3° est fides ecclesiae, quam enuntiant Symb. Athanasianum, Concil. Constantinopolitanum II, 553: „Si quis non confitetur unam deitatem in tribus subsistentiis sive personis adorandam. a. s.", nec non Con. Constantinopolitanum IV, art. 10: „Credimus in unum Deum. in tribus consubstantialibus et divinis ac principalibus personis."

Ex hac dicta propositione vi simplicitatis Dei, quae ab omni distinctione reali et compositione abhorret, necessario sequitur altera:

Nr. 58. **Eadem sunt divinarum personarum attributa, eadem virtus et operatio.**

Est *de fide*. ut constat ex pluribus conciliis. e. gr.

[1] Orat. 1.

ex Lateranensi sub Martino I. habito, ubi condemnantur negantes „unam eandemque trium deitatem . . . virtutem, potentiam, regnum, imperium, voluntatem, operationem.“ Item ex Lateran. IV. et Florentino in decr. pro Jacob. declarante, quod „in Deo omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio.“

Continetur etiam clare in SS. Litteris; v. gr. legimus Joan. 5, 19: *Quaecumque enim ille* (i. e. Pater) *fecerit, haec et similiter filius facit.* Ad haec dicit[1] s. Augustinus: „Non ait: quaecumque facit Pater, facit et filius alia similia; sed: quaecumque Pater facit, haec eadem et filius facit similiter. Quae ille, haec ipse; mundum Pater, mundum filius, mundum Spiritus sanctus.“

Ex triplicitate personarum non sequitur triplex operatio. Quotuplex enim sit operatio, pendet non a persona sed a natura.

Persona est quidem principium quod operatur, natura autem principium quo. Generatio quoque activa, uni competens personae, et spiratio activa, quae duabus personis convenit, non est contra unicam operationem. Dupliciter enim haec possunt concipi: *absolute* ut actus, et sub hoc respectu pertinet ad essentiam divinam, ergo tribus personis communis est; vel *relative* qua talis actus, et tunc exprimit relationem trium personarum et singulis personis proprius est. Unde non resultat pluralitas actuum sed relationum.

Nr. 59. Exposita doctrina Ecclesiae nostrae de personarum trinitate in unitate naturae, nil amplius nisi **refutatio praecipuarum objectionum** residua est.

1° Adversarii opponunt prae omnibus **SS. Litteras** ipsas, quas dicunt:

α) trinitatem in Deo excludere et negare afferentes locos uti Isaj. 45, 22: *Ego Deus et non alius*, vel Joan. 17, 3: *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum et, quem misisti Jesum Christum.*

Ast priore loco non negatur alia persona sed alius Deus, quam unus verus, qui autem in tribus personis subsistit. Hinc nec de solo Patre nec de solo filio aut de solo Spiritu s. verba „ego Deus et non

[1] In tract. Joan. 20.

alius" adhiberi possunt. Posteriore loco iterum minime divinitas filii et Spiritus s. negatur; vox „solus" non valet de solo Patre exclusive sed de uno Deo vero: ut cognoscant te, qui es ille Deus, qui est solus verus.

β) negare attributa divina in Christo, et quidem aequalitatem filii cum Patre, quia Jesus dicitur obedire Patri, orare, interpellare pro nobis, omnia filium habere a Patre, immo dicitur Joan. 14, 28: *Pater maior me est*; omnipotentiam, propter verbum Joan. 5, 19: *Non potest filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem*; omniscientiam propter locum Marc. 13, 32: *De die autem illo vel hora nemo scit, neque angeli in coelo neque Filius hominis, nisi Pater*; bonitatem, quia Jesus secundum Marc. 10, 18 ipse dicit: *Quid me dicis bonum? Nemo bonus est nisi unus Deus;* Christum factum vocant seu creatum propter verbum Joan. 1, 30: *Hic est, de quo dixi: Post me venit, qui ante me factus est, quia prior me erat.*

Hi omnes loci autem nil evincunt, valent enim tantum de natura humana in Christo, qui ut est Filius per generationem ex Patre, ita habet a Patre operationem: vox vero „factus est", graece *γέγονεν*, idem est ac natus est, ad quem locum jam s. Augustinus adnotavit:[1] „Post me venit, quia posterius natus est; ante me factus est, quia praelatus est mihi; prior me erat, quia in principio erat verbum."

γ) itidem negant quoque divinitatem Spiritus s. objicientes *a)* Spiritum dici donum, missum, postulare pro nobis gemitibus; *b)* Spiritum dici virtutem, hinc non esse personam; *c)* Patrem ipsum vocari Spiritum.

Attamen plane immerito ad haec et similia loca provocant; nam Spiritus est donum non accidentale sed personale; mittitur non ut minister sed ut persona per spirationem; postulat, in quantum homines edocet recte postulare. Spiritus s. porro est virtus subsistens; cum denique omnibus personis divinis competat spiritualitas, exinde etiam Deus Pater spiritus vocatur; relative vero tertia persona Spiritus dicitur, quatenus a Patre et Filio procedit per spirationem.

---

[1] Tract. 4. in Joan. n. 11.

2° **ex Patribus proferunt** α) Filium vocari creaturam ποίημα Patris, Patrem illius causam; Filium et Spiritum s. nonnisi ministros esse Patris in creatione; β) Patres dicunt negare aeternitatem, immensitatem et invisibilitatem Filii; γ) Patrem solum vocari Deum (αὐτόθεον) Filium nonnisi Dominum; δ) Patres denique formidasse tres personas in Deo assumere, uti patet ex terminis ambiguis usurpatis, et subordinationem Filii et Spiritus s. sub Patre docuisse.

Quae sic ex Patribus opponuntur, pariter nullius sunt momenti; perpendi enim debet, quod tunc temporis termini: causa, persona, hypostasis et οὐσία, nondum erant explanati, ut v. g. causa significaret principium. Porro vocant Christum quidem creaturam, ministrum, sed nonnisi inexacte et minus caute loquentes prorsus innocenter, abhorrentes ab omni haeresi. Patres denique loquuntur de generatione temporali, de incarnatione et vocant Patrem primum et maiorem, ut ordinem in SS. Trinitate indicent.

3° denique **rationem contradicere** putant et dicunt:

α) si tres sunt personae, Deus est compositus. — Attamen ad compositionem requiritur, ut fiat aliquid distincti et maioris quam sunt partes; hoc autem in Deo non obtinet, cum divinitas nec maior sit singulis personis nec ab iis realiter distincta.

β) provocant ad principium identitates A = C; B = C; A = B et dicunt: Pater est divinitas, Filius est divinitas, ergo Pater est Filius. — Ast hoc principium nonnisi valet, si omnigena est aequalitas. In divinis personis autem haec non obtinet, cum unaquaeque praeter essentiam divinam habeat propriam relationem. Insuperque jam in hominibus non semper valet istud principium: v. g. Felix est homo, Gaudentius est homo; an Felix est Gaudentius?

γ) dicunt denique: Si tres sunt personae, una altera est perfectior et omnes simul perfectiores singulis. — Ast utrumque est negandum. Una eademque divinitas omnibus personis propria est, una persona in alia est per περιχώρησιν, circumsessionem. Hinc non est perfectio maior vel minor in singulis personis, nec omnes simul singulis sunt perfectiores.

De relatione divinarum personarum inter se invicem.

Probata trium personarum in Deo divinitate et unitate quoad naturam oritur quaestio de processione divinarum personarum, de qua

Nr. 60. Fides catholica haec est: Pater non procedit sed est ingenitus; Filius a Patre solo procedit per generationem ideoque est verus Dei filius; Spiritus s. a Patre simul et Filio qua uno principio et unica spiratione procedit.

Processio seu *προβολή* est *in genere* origo unius ab alio et fit aut ad extra aut ad intra; ad extra, si res, quae oritur, principiatum, extra causam suam vel principium existit: ad intra, si principiatum suo principio manet insitum, et haec vocatur processio immanens.

In Deo nonnisi potest esse processio aeterna immanens. Ratio hoc facile concludit, ex Dei absoluta simplicitate et unitate, nec non ex personarum consubstantialitate.

In propatulo porro est simulque *de fide,* divinam essentiam non procedere. Conc. Lateran. IV. definivit: „Illa res (i. e. divina essentia) non est generans neque genita nec procedens; sed Pater est, qui generat, et filius, qui gignitur, et Spiritus s., qui procedit."

Processio sensu *latiore* significat tum originem Filii ac Spiritus s., sensu *strictissimo* nonnisi de Spiritu s. adhibetur.

Nr. 61. **Pater est ingenitus.**

Probatur:

1° ex SS. Litteris, quae ubique nonnisi de processione Filii et Spiritus s. loquuntur et Patrem semper qua principium horum statuunt.

2° ex Patribus, qui Deum Patrem sub hoc respectu vocant primum Deum, principium sine principio et expresse *ἀγέννητον* ingenitum, innascibilem.

3° Ecclesia orat atque confitetur: „Pater a nullo est factus, nec creatus, nec genitus."

Nr. 62. **Filius a solo Patre procedit per genera-**

tionem, ideoque est verus Dei filius unigenitus, non tantum adoptivus.

Propositio, quae statuta est contra Arianos Christum qua creaturam et adoptivum Dei filium habentes, est *de fide*.

Probatur:

1° ex SS. Litteris. Joan. 7, 29: *Ego scio eum, quia ab ipso sum et ipse me misit:* Hebr. 5, 5: *Qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te;* Joan. 5, 26: *Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso:* Joan. 1, 14: *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti a Patre* — quibus locis omnibus certe Filio processio a Patre adscribitur et quidem per generationem.[1]

2° ex unanimi s. Patrum doctrina et fide Ecclesiae, quae semper est confessa: „Credo . . . in Jesum Christum filium Dei unigenitum, ex Patre natum ante omnia saecula . . . genitum non factum, consubstantialem Patri." „Filius a Patre solo est, non factus nec creatus sed genitus."

Nr. 63. **Spiritus s. a Patre simul et Filio qua uno principio et unica spiratione procedit.**

Probatur:

1° ex SS. Litteris. Matth. 10, 20: *Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri loquitur in vobis;* Joan. 15, 26: *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.* Spiritus autem procedit simul a Filio: Joan. 16, 14: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet et annuntiabit vobis. Omnia, quaecumque habet Pater, mea sunt; propterea dixi, quia de meo accipiet et annuntiabit vobis.* Spiritus s. autem, qui est verus Deus, a Filio nihil aliud accipere potest quam essentiam et hanc iterum nonnisi per processionem immanentem personalem. Ratio redditur in sequentibus: „Omnia quaecumque etc." Pater habet virtutem spirandi: haec ergo Filio

[1] Vide insuper locos de divinitate Filii.

quoque est propria, quapropter et Spiritus s. a Filio quoque procedit. Insuper autem Spiritus s. vocatur Spiritus Christi,[1] Spiritus Jesu[2] et dicitur missus a Filio.[3]

2° eadem est doctrina SS. Patrum. S. Gregorius Nyss. docet:[4] Sicut Filius ad Patrem se habet, ex quo originem ducit, sic Spiritus s. ad filium se habet: s. Epiphanius dicit[5] Spiritum s. ex Patris filiique substantia, Spiritum Patris et Filii esse, ex Patre filioque procedentem: s. Athanasius observat,[6] Filium esse fontem Spiritus s. — Similia praedicant alii Patres, tum Latini tum Graeci, cum hoc tamen discrimine, quod Latini dicebant: ex Patre et Filio, Graeci vero: ex Patre per Filium, quae formula quoad rem plane est eadem.

3° Ecclesiae fides patet ex variis conciliorum decisionibus. Synodus Ephesina reprobavit symbolum Nestorianum: „Sed nec Filium illum Spiritum s. putamus, nec per Filium existentiam habentem." Ecclesia in symbolo Nicaeno-Constantinopolitano, quod contra Macedonium concinnatum est, postea, cum processio ex Filio quoque negaretur, addidit verbum: „filioque". Graeci autem hinc non habent, cur Ecclesiae catholicae corruptionem symboli obiiciant.

In concil. Lateran. IV° consentientibus Graecis definitum est: „Pater a nullo, Filius a solo Patre, ac Spiritus s. pariter ab utroque absque initio semper ac sine fine." Similiter in conc. Florentino: „Spiritus s. ex Patre et Filio aeternaliter est, et essentiam suam suumque esse subsistens habet ex Patre simul et Filio, ex utroque aeternaliter tamquam ab uno principio et unica spiratione procedit." Symb. Athanasianum habet: „Spiritus s. a Patre et Filio, non factus, nec genitus, sed procedens."

Quod attinet Spiritum s. ex Patre et Filio procedere qua uno principio et unica spiratione, dicit s. Augustinus:[7] „Fatendum est Patrem et Filium principium esse Spiritus s., non duo principia. Sed sicut Pater et filius unus Deus et ad creaturam rela-

[1] Petr 1, 11. [2] Act. 16, 6—7. [3] Joan 15, 26. [4] Contr. Eunom. [5] Ancorat n. 7—8. [6] De incarn. n. 9. [7] De Trin. l. 5. c. 14.

tive unus creator et unus Dominus, sic relative ad Spiritum s. unum principium, ad creaturam vero Pater et Filius et Spiritus s. unum principium sicut unus creator."

Nr. 64. Quodsi movetur quaestio: in quonam sit discrimen inter processionem Filii et Spiritus sancti, **statuendum est, Filium per intellectum, Spiritum s. per voluntatem procedere.**

Nonnisi per intellectum et voluntatem processionem fieri posse patet ex effatis s. Thomae:[1] „Processiones in divinis accipi non possunt nisi secundum actiones, quae in agente manent. Huiusmodi autem actiones in natura intellectuali et divina non sunt nisi duae, sc. intelligere et velle. Relinquitur igitur, quod nulla alia processio esse possit in Deo nisi verbi et amoris."

His effatis consonat ipsa Scriptura, quae Filium vocat Sapientem, Verbum, quod ex mente, Spiritum s. autem amorem, qui est ex voluntate. S. Basilius dicit:[2] „Cur verbum? ut perspicuum sit processisse ex mente. Cur verbum? quia sine passione genitum est. Cur verbum? quia imago est genitoris totum in se genitorem ostendens."

S. Augustinus Spiritum s. procedentem amorem vocat.[3] Eadem ratione explicantur etiam similitudines, quibus Patres utuntur, puta cum Spiritum s. appellant *osculum* Patris et Filii vel *fragrantiam Verbi*.

Nr. 65. **In Deo sunt 4 relationes reales: paternitas, filiatio, spiratio activa et passiva, a divina essentia non realiter sed virtualiter distinctae.**

Est *de fide* ex conc. Florent.: „Omnia in Deo sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio."

Cum Deus unus in tribus subsistat personis distinctis, necessario esse debet, quo una persona ab alia distinguatur, quatenus hoc uni tantum, non alteri convenit. Quod non potest esse aliquid absoluti sed nonnisi relativum, et nomine relationum et proprietatum venit.

Relatio generatim est modus duarum rerum se ad invicem habendi et potest esse vel realis, si invenitur

[1] 1, q. 27, a. 5. [2] Hom. 16 n. 3. [3] De Trinit. L. 15, c. 27, n. 50.

in ipsis rebus independenter a mente, vel logica, si nonnisi mentaliter concipitur.

Relatio divinarum personarum est modus se ad invicem habendi, prouti ex processione oritur.

Probatur:

Ex SS. Litteris. quae nomina relativa trium personarum exhibent: Pater, Filius, Spiritus procedens. Relationes certe sunt reales, cum processiones divinarum personarum independenter a mente sint in Deo, et sunt quatuor, cum duplex sit processio per generationem: paternitas et filiatio, et duplex etiam illa per spirationem: spiratio activa et passiva. Generare a generari et spirare a spirari certe realiter distinguitur. Hae relationes nonnisi virtualiter a divina substantia distinguuntur, cum prorsus nil sit in Deo, quod realiter ab eius substantia distinguatur.

Nr. 66. Quodsi perpendimus divinas personas debere per aliquid constitui, quod nonnisi singulis personis sit proprium et nihilominus non involvat oppositionem, cum omnia in Deo unum sint, ubi non obviat relationis oppositio, dicendum nobis est: **divinae personae relationibus realibus originis: paternitatis filiationis et spirationis passivae constituuntur.**

Spiratio activa non constituit personam, sed cum paternitate et filiatione quasi identificatur, quatenus pater unus est generans et spirans et filius a Patre simul procedit per generationem et spirat Spiritum sanctum.

Sententia supradicta **patet** quoque ex sequenti consideratione: Deus in tribus personis subsistit. Hinc quodsi cogitamus vel loquimur de personalitate Dei, non cogitamus de natura divina in se spectata cum attribus divinis absolutis, sed de divina natura, quatenus est communis et in relatione cum tribus personis, i. e. quatenus simul attributa relativa, relationes reales paternitatis, filiationis et spirationis passivae exhibet. Unde sequitur personas divinas ipsis his relationibus constitui.

Nr. 67. **Deo ergo** in tribus personis subsistenti attributa relativa **adhuc** seu **proprietates competunt.**

Proprietas vero est divina nota, quae characterem

divinae personae propriam exprimit seu est id, quod propria ratio personae divinae est. Si enim tres personae sunt realiter distinctae, necesse est singulas personas aliquid proprium habere, quo a reliquis distinguantur, ut „in personis proprietas, in essentia unitas et in majestate adoretur aequalitas.“ [1]

In quaestione autem, quot sint proprietates, sensus latissimus, strictior et strictissimus distingui debet:

Sensu latissimo, quatenus proprium opponitur communi, sunt *quinque:* innascibilitas, paternitas, filiatio, communis spiratio et processio.

Sensu strictiore, quatenus proprietas est determinatio uni tantum personae conveniens, sunt *quatuor:* innascibilitas, paternitas, filiatio et processio.

Sensu strictissimo scilicet proprietates constituentes personas sunt *tres:* paternitas, filiatio et processio, quae tres jam *proprietates personales* audiunt, eo quod ceu causa formalis personas divinas, uti dictum est, constituunt.

Nr. 68. Adjungemus hicce pauca, quae ex doctrina tractata per se fluunt: de circumsessione vel circuminsessione, de coaeternitate et coaequalitate. Valent desuper hae duae propositiones:

1° Licet una persona ab alia procedat, tamen una non exit ab alia, sed omnes inseparabiliter sibi insunt.

Haec mutua personarum inexistentia audit circumsessio (*περιχώρησις*) vel **circuminsessio** et sequitur iam ex simplicitate Dei. Insuper Christus expresse dicit: [2] *Ego in Patre, et Pater in me est.* SS. Patres ideo vocant SS. Trinitatem individuam.

S. Thomas circumsessionem tripliceem adstruit [3] secundum essentiam, originem et relationem: α) Secundum *essentiam*, quia persona divina realiter identificatur cum divinitate, ac proinde tam necessario una persona aliis inest, sicut ipsa divinitas. β) Secundum *originem;* nam Filius procedit ut Verbum, Spiritus s. ut amor, sed verbum est in dicente et amor in amante et vicissim. γ) Secundum *relationem:* termini relativi

[1] Praefatio de Trinit. [2] Joan. 14, 10. [3] P. 1, q. 42, a. 5.

enim tam necessario nectuntur, ut unus sine alio cogitari nequeat: sic dexterum sine sinistro, pater sine filio cogitari non potest. Quare divinae personae omnino inseparabiles sunt; „nec enim Pater absque Filio cognoscitur, nec sine Patre Filius invenitur.“ [1]

2° Licet Pater sit origine prima persona, Filius secunda, Spiritus s. tertia, tamen in SS. Trinitate nil prius aut posterius nil maius aut minus, sed tres personae coaeternae sibi sunt et coaequales.

In SS. Trinitate esse ordinem personarum patet α) ex SS. Litteris, quae Patrem primo, Filium secundo, Spiritum s. tertio loco exhibent,[2] et β) juxta s. Patres ex eo, quod Filius per intellectum procedit, quatenus „est imago genitoris, totum in se genitorem ostendens,“ et Spiritus s. per voluntatem, aliquantulum apparet, cur secunda persona Filius vocetur. S. Thomas deinde dicit:[3] „Ubicumque est pluralitas sine ordine, ibi est confusio; sed in divinis personis non est confusio. Ergo est ibi ordo.“ Hic ordo autem non est inde, quia una persona est prior altera aut melior, sed ratione *originis*, qua una est ex altera.

Coaeternitatem et coaequalitatem confitemur Symb. Athanasiano: „Et in hac Trinitate nihil prius aut posterius, nihil maius aut minus, sed totae tres personae coaeternae sibi sunt et coaequales.“ Concil. Florentinum in decreto pro Jacob. dixit: „Nullus aliam praecedit aeternitate, aut excedit magnitudine aut superat potestate.“

De relatione SS. Trinitatis ad extra.

Tria hic consideranda veniunt: α) relatio SS. Trinitatis ad rationem naturalem, β) missio divinarum personarum in mundum, γ) appropriatio operum et attributorum communium, facta uni personae divinae prae alia.

Nr. 69. **SS. Trinitas est mysterium stricte tale,** quod naempe ratione nec ante revelationem reperiri, nec post revelationem plene et perfecte intelligi potuit et potest.

[1] Synod. Tolet. XI. in confessione fidei. [2] Cf. Matth. 28, 19 et 1 Joan. 5, 7. [3] q. 42, a. 3.

Sententia haec est *de fide* ex conc. Vaticano sess. 3, can. 1: „Si quis dixerit, in revelatione divina nulla vera et proprie dicta mysteria contineri, anath. sit."

Non deerant prioribus temporibus, qui autumarent rationem absque fide vel saltem praeeunte fide trinitatem personarum demonstrare posse. Novissime vero Güntherus contendit Trinitatem posse cognosci a ratione excepto modo processionis unius personae ab alia.

Contra hos jam concilium canonem suum statuens simul ad probanda mysteria affert locum Matth. 11. 27: *Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare.*

Idem haud obscure colligitur:

1° ex 1 Cor. 2, 7 sqq.: *Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quae abscondita est, quam praedestinavit Deus in gloriam nostram, quam nemo principum huius saeculi cognovit; si enim cognovissent, numquam Dominum gloriae crucifixissent. Sed sicut scriptum est: Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus illis, qui diligunt illum, nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum: Spiritus enim scrutatur omnia, etiam profunda Dei. Quis enim hominum scit, quae sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? Ita et, quae Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei.*

2° idem sentiunt etiam Patres, juxta quos Trinitas sic excedit omne, quod cogitare vel sapere possumus, sicut superat omne, quod sumus.[1]

3° Patet ex ratione quoque: Deus ab homine e creaturis tantum naturaliter potest cognosci et quidem eatenus, quatenus elucent in hisce perfectiones divinae: sempiterna virtus et divinitas, minime autem profunda Dei, ratio interna, ex effectibus in mundo deduci possunt. Haecce intellectui humano prorsus impervia sunt, et nonnisi Spiritus Dei, qui omnia scrutatur, desuper nos potest edocere.

Nr. 70. **Datur tamen aliqua et quidem fructuosissima Trinitatis investigatio et cognitio.**

Ita expresse conc. Vaticanum cap. 4 docet:

---

[1] S. Fulgentius, *ad Trasimund.* l. 2, c. 1. Cf. etiam *s. Ambros.* de fide ad Grat. L. 1, c. 10.

„Ratio quidem fide illustrata, cum sedulo, pie et sobrie quaerit, aliquam Deo dante mysteriorum intelligentiam eamque fructuosissimam assequitur, tum ex eorum, quae naturaliter cognoscit analogia, tum mysteriorum nexu inter se et cum fine hominis ultimo."

Licet ergo ex dictis mysteria nec invenire nec intelligere valeamus, tamen intellectus fide formatus potest:

1° convenientiam existentiae Trinitatis probare, hujusmodi fere argumentis: Paternitas est perfectio, ergo in Deo habetur: infinita bonitas Dei exigit infinitam sui communicationem, et nullius boni sine consortio potest esse jucunda possessio, ergo beatitudo divina postulat consortium personarum.

2° ipsam essentiam mysterii aliqualiter intelligere et quidem juxta Vaticanum dupliciter:

α) ex analogia rationis, cum etenim in toto mundo reperiatur quoddam vestigium seu Trinitatis *umbra:* omnis quippe res est ens, verum et bonum; item ignis, splendor, calor; spatium cum tribus dimensionibus; radix, truncus et rami; iris cum triplici arcu etc. In creatura rationali autem, quae est imago Dei, etiam *imago* Trinitatis, licet imperfecta reperitur. Una quippe est substantia animae, triplex autem potentia distincta: memoria, intellectus et voluntas; duplex quoque est processio: verbi a mente et amoris a voluntate.

β) Ex analogia fidei, scilicet ex nexu mysteriorum tum inter se tum cum fine ultimo. Sic distinctio, consubstantialitas, processio, missio divinarum personarum mire elucet ex dogmate incarnationis; item ex dogmate de gratia et beatitudine nostra, quae consistit in filiatione adoptiva divina et in Spiritus sancti inhabitatione.

Haec Trinitatis *cognitio* est *fructuosissima;* inservit enim *α*) ad majorem reverentiam et amorem Dei, quem, quo magis cognoscimus, eo magis reveremur et amabimus; *β*) ad refellendos incredulos, qui vehementer hoc dogma impugnarunt quique refutari non poterunt, nisi ipsum dogma bene perspectum fuerit.

Nr. 71. **Datur in Deo missio, eaque duplex, visibilis et invisibilis.**

Missio est unius personae per aliam prolatio, quatenus haec ad effectum externum refertur, vel etiam dici potest, quod sit processio personae divinae cum habitudine ad terminum temporalem.

Omnis missio fit vel per imperium vel per consilium vel per originem, ut v. g. sol emittit lucem. In Deo per se missio nonnisi per originem, i. e. processionem, est possibilis et duplex distinguitur: *visibilis* et *invisibilis*, quatenus effectus aut extrinsecus patet vel intrinsecus latet.

Dari missionem in divinis **probatur** ex SS. Litteris. Gal. 4, 4: *Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere*, et versu 6o: *Quoniam estis filii Dei, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra, clamantem: Abba, pater.*

Nr. 72. Quoad missionem divinam sequentia adhuc sunt tenenda:

1. Pater non mittitur, sed mittit Filium et Spiritum sanctum; Filius mittitur a Patre et mittit Spiritum sanctum; Spiritus s. nonnisi mittitur.

Patet ex iisdem s. Scripturae argumentis, nec non ex eo, quod missio fiat per processionem. Pater autem, licet non mittatur, tamen propter *περιχώρησιν* venit cum aliis personis;[1] porro filius Dei, licet non mittatur a Spiritu s. quoad naturam divinam, mittitur tamen quoad humanam assumptam.[2]

2. Missio est temporalis, Processio quidem est aeterna; sed missio simul includit effectum externum, qui utique est temporalis.

3. In missione invisibili, quae fit ad omnes et solos iustos, personae divinae sunt donum animae eamque ut templum inhabitant. Hoc testatur Apostolus scribens ad Rom. 5, 5: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*, et 1 Cor. 3, 16: *Nescitis, quia templum Dei estis et Spiritus Dei habitat in vobis?*

Nr. 73. **Admittenda est appropriatio in divinis,** sub

[1] Cf. Joan. 14, 23: Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus.

[2] Luc. 4, 18. Spiritus Domini super me . . evangelizare pauperibus misit me.

qua ille intelligitur loquendi usus in re fundamentum habens, vi cuius attributa divina absoluta et operationes divinae ad extra uni personae prae reliquis attribuuntur, licet omnibus sint communia.

Probatur:

1° ex SS. Litteris, symbolis et s. Patribus, qui licet omnia attributa et opera externa divinis personis communia esse doceant, nihilominus singulis personis quaedam attributa et opera speciali modo tribuunt.

Exempla: Credo in Deum Patrem omnipotentem creatorem; ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia; Patri appropriatur potentia, Filio sapientia, Spiritui s. bonitas; Pater dicitur Deus, Filius Dominus etc.

2° ex ratione théologica, quatenus unum attributum vel opus divinum quandam similitudinem habet cum proprietate personali. Sic Patri ingenito, qui est principium sine principio, creatio attribuitur, Filio opera sapientiae, Spiritui s. bonitas et amor. Sic explicatur phrasis: ex Patre per Filium in Spiritu sancto, in quantum „ex" fontem, „per" causam mediam, „in" vero unionem praecedentium significat.

Quatenus unum idemque opus divinum sub diversu venit respectu, diversis attribuitur personis. Hinc fit, ut idem opus, ex gr. creatio, aliquando Patri, aliquando Filio aut Spiritui s. approprietur, ut verbi gratia in Psalmo 103, 30: *Emittes Spiritum tuum et creabuntur.*

Tractatus tertius.

De operibus Dei in genere.

Res existentes omnes prae se ferunt naturam vel spiritualem vel physicam vel humanam, synthesin praecedentium. A SS. Patribus jam apte distinguuntur in visibiles et invisibiles. Complexio utriusque rerum finitarum generis **mundus** est, qui minime existeret, si Deus illum non creasset, nec conservaret in quolibet momento, nec gubernaret ad finem.

Agimus propterea principaliter de Deo *Creatore*, dein vero de Deo Conservatore et Gubernatore mundi seu de *divina providentia*, uti conservatio ac gubernatio mundi vocari solet.

De Deo creatore.

Nr. 74. Vox **creare** sumi potest in sensu proprio vel vero in sensu improprio.

In hoc ulteriore sensu improprio denotat producere aliquid e materia aliqua praejacente, e. gr. domum fabricare; in sensu proprio autem et quidem *lato* denotat ex materia praejacente sola voluntate aliquid producere, e. gr. Christus vinum ex aqua in Cana Galilaeae; in sensu vero *stricto* = ex nihilo sola voluntate.

Scholastici verbum creare in sensu proprio sic explicabant: est aliquid producere ex nihilo sui et sui subjecti. Res materiales enim constant ex materia et forma; materia est elementum determinabile, forma elementum determinans. Si materia vel subjectum adest et tantum nova forma inducitur, tunc dicitur: res fit ex nihilo sui, e. gr. statua et lapis; si etiam materia non existit, sed demum producitur, tunc res fit ex nihilo sui et sui subjecti, quia nec subjectum nec forma prius erat.

Distinguitur creatio *prima* et *secunda*. Est autem secundum quosdam creatio prima productio terrae indigestae ex nihilo; creatio secunda vero ulterior formatio materiae indigestae; secundum alios iterum prima est creatio ex nihilo, secunda vero mundi conservatio, secundum alios denique prima esse dicitur creatio mundi cum toto ornatu ex nihilo, secunda mundi collapsi restitutio.

Nr. 75. Priusquam singulas de creatione veritates exponamus, praemittimus conspectum tum errorum tum doctrinae catholicae circa mundi originem.

Errores praecipui sunt sequentes:

1° Materialismus, statuens materiam esse inproductam et aeternam. Hoc errore plus minusve infecti fuerunt Aristoteles et Peripatetici, Epicurei, Pla

tonici, inter haereticos Hermogenes Stoicus, et recentiores fere omnes increduli.

2° Pantheismus, statuens mundum esse emanationem vel manifestationem vel evolutionem divinae substantiae, cui errori fuerunt addicti Indorum brahmani, Persarum et Aegyptiorum sapientes, Stoici et Pythagorici, aevo autem christiano Scotus Eriga et Jordanus Bruno et recentiores pseudo-philosophi, qui materialismum cum pantheismo conjungere vel vero Monismi studiosi esse solent.

3° Manichaeismus, qui duplex mundi principium, bonum et malum statuit.

4° Gnosticismus, qui demiurgo creationem mundi tribuit.

5° Denique errores circa libertatem Dei in creando, quam Abaelard, Wicleff, Leibnitz, Hermes et Günther negarunt.

Doctrina catholica contra hos errores antiquos et recentes proponitur in capite *Firmiter* conc. Later. IVti, quod docet „Deum unum universorum principium creatorem omnium visibilium et invisibilium spiritualium et corporalium, qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam, ac deinde humanam tamquam communem ex spiritu et corpore constitutam."

Quam doctrinam novo anathemate sancivit concil. Vaticanum constitutione *Dei filius* tresque sequentes explicatius demonstrant theses: 1. Deus mundum creavit; 2. Deus mundum libere creavit; 3. Deus mundum cum tempore creavit.

Nr. 76. **Deus mundum creavit.**

Probatur:

1° ex SS. Litteris. Gen. 1, 1: *In principio creavit*[1] *Deus coelum et terram*, vel Apoc. 4, 11: *Tu Deus*

[1] Creare (hebr.: barah) etiam in Genesi occurrit in sensu lato et stricto, attamen hoc in loco in sensu stricto sumendum est: nam 1. materiae praejacentis nulla fit mentio; 2. in subsequentibus, ubi de ulteriore formatione terrae sermo est, „barah" in oppositione ad primam adhibetur; cum vero nulla esset oppositionis ratio, si pariter primam creationem ex materia quadam praefacente significaret, hinc sermo de creatione ex nihilo est.

creasti omnia, et propter voluntatem tuam erant et creata sunt.

2° ex SS. Patribus. Jam Hermas pastor ut articulum fundamentalem proponit.[1] „Primum omnium credo, quod unus est Deus, qui omnia creavit et consummavit et ex nihilo omnia fecit."

3° ex Symbolis omnibus confitentibus: Credo in Deum Patrem, factorem coeli et terrae.

4° ex ratione, quae, moraliter quidem insufficiens ad reperiendam hanc veritatem, revelatione tamen supposita eam sic demonstrare valet: Mundus est contingens, ergo est temporalis et proinde quoque a Deo ex nihilo creatus.

Objiciunt quidem: „Ex nihilo fit nihil"; ast hocce axioma verum tantum est hoc triplici sensu: α sine omni causa nihil fit; β) nihilum non potest esse materia, ex qua aliquid fit; γ) nulla causa finita ex nihilo aliquid facere potest. Falsum autem est axioma sensu absoluto intellectum, ac si creatio ex nihilo absolute repugnet; neque enim a philosophis antiquis neque a recentioribus incredulis ullum solidum argumentum contra creationem mundi proferri potuit.

Nr. 77. **Deus mundum libere creavit.**

Sensus est: Deus erat immunis ab omni coactione et necessitate in electione hujus mundi, gaudebat libertate contradictionis et specificationis, poterat ergo eligere aut non eligere et hunc mundum creare aut alium specie distinctum.

Propositio est *de fide* quoad utramque partem ex Vaticano: „Si quis dixerit, Deum non voluntate ab omni necessitate libera, sed tam necessario creasse, quam necessario amat seipsum: anathema sit."

Probatur:

1° ex SS. Litteris. Ps. 134, 6: *Omnia quaecumque voluit, fecit in coelo et in terra.*

2° ex SS. Patribus. Augustinus:[2] „Nulla necessitate sed sola bonitate fecit Deus, quod factum est."

3° ex ratione. Si Deus mundum non libere creavit, tunc mundus est necessarius aut a se aut Deo;

---

[1] L. 2. [2] In civit. Dei L. 11, c. 24.

ast mundus est contingens, Deus vero sibi sufficientissimus.

Nr. 78. Ex dictis jam aliae veritates ceu **corollaria** sequuntur, et quidem:

1. Cum Deus mundum libere creaverit, electio vero cognitionem eligendorum supponat, Deus mundum cognovit, hoc est: secundum sapientiam suam eum creavit. Est doctrina certa, licet formaliter non definita, quam ex SS. Patribus Augustinus his indicat verbis:[1] „Quidquid Deus facturus erat in creatura, jam in Verbo erat, nec esset in rebus, nisi esset in Verbo."

2. Quia secundum sapientiam suam infinitam creavit, sapientia autem est ipsa substantia divina, haec substantia est causa exemplaris mundi, seu in Deo est idea mundi. Omnes res sunt imitationes essentiae divinae, quae est plenitudo essendi; res omnes habent tantum aliquem gradum essendi.

Nr. 79. **Deus mundum cum tempore creavit.**

Est *de fide* divina catholica cum mundo demum creato tempus incepisse.

Probatur:

1° ex SS. Litteris. Gen. 1, 1: *In principio creavit Deus coelum et terram;* Joan. 17, 5: *Clarifica me, tu Pater, claritate quam habui prius, quam mundus esset, apud te.*

2° ex unanimi sensu SS. Patrum; e. gr. s. Basilius, qui docet[2] ideo Moysen dixisse: in principio creavit, ut tollatur error mundi aeterni,

3° ex anathemate Joannis XXII. in Eccardi sententiam: „Quam cito Deus fuit, tam cito mundum creavit."

Nr. 80. S. Thomas quidem sententiam tenet: mundum aeternum esse possibilem, reliqui vero theologi non immerito eam negant, sic ratiocinantes: Productio ex nihilo jam est initium temporis seu successionis rerum finitarum; unde plane repugnat, ut creatio possit esse aeterna.

Quaeritur an in unico momento an in temporis

[1] Enarr. in Ps. 44, n. 5. [2] Hom. 1 in Hex. n. 4.

successu mundus creatus fuerit? Desuper dogmatice nil est definitum.

Exstant autem **de creationis modo a Moyse** in Genesis libro **narrato** variae sententiae theologorum.

Omnes in his quatuor conveniunt: Moysen narrare 1. Deum creatorem esse universi ex nihilo; 2. seriem vel ordinem certum rerum creatarum; 3. principalem creaturam fuisse hominem factum ad imaginem Dei; 4. totum hunc mundi ornatum Deum in sex momentis creasse, ut inculcetur homini officium septimo die colendi Deum.

Caeteroquin cosmogoniae mosaicae triplex datur interpretatio: litteralis, allegorica, mythica.

Nr. 81. Cosmogoniae mosaicae **mythica** expositio omnino est rejicienda: nam

1. Moyses legislator ac historiographus, nomine Dei ad confirmandum vulgus in cultu divino narrationem hanc in capite operis sui ponit; fabula ad finem nequaquam profuisset, eo minus, quia lex Sabbati totaque Theocratiae constitutio nititur in hac narratione: cum reliqua, eodem narrationis stylo exarata, historica sint, ergo et haec.

2. Ecclesia licet interpretationem authenticam non dederit, tamen a mythica expositione abhorret declarando: „Si quis omnes libros sacros cum omnibus suis partibus, prout in Vulgata recensione habentur, pro inspiratis et canonicis suscipere noluerit: anath. sit.“

3. Divisio hebdomadis exinde est orta et traditiones populorum antiquorum cum Genesis narratione conveniunt, quod

4. doctissimi geologi quoque, e. gr. Buckland, Humboldt, testantur docentes, narrationem Moysis cum observationibus geologicis optime convenire.

Nr. 82. Expositionis **allegoricae** sectatores putant omnia uno eodemque momento creata esse ac propterea sex dies a Moyse recensitos vel allegorice exponendos esse, vel Moysen nonnisi elaborandi causa per partes descripsisse, quae simul sunt facta.

Pro hac sententia provocant ad Gen. 2, 1: *Istae sunt generationes coeli et terrae, quando creata sunt in die, quo fecit Deus coelum et terram*, nec non ad

Eccli. 18, 1: *Qui vivit in aeternum, creavit omnia simul.*[1]

Inter allegoricas expositiones, quae ab aliis forte melius *ideales* appellantur, eminet celebris illa, quam Augustinus[2] proposuit. Is per sex dies intelligit cognitionem Angelorum, quatenus illa terminatur ad sex rerum genera, quae sex diebus dicuntur esse creata, ita ut cognitio angelorum, quatenus terminata est ad res, quae primo die narrantur creatae, dicatur prima dies, et sic deinceps. Porro, quia unaquaeque dies, juxta narrationem mosaicam, habet mane et vespere, ideo distinguit cognitionem angelorum in *matutinam* et *vespertinam*. Illa est, qua Angeli res creatas in Verbo, in cujus luce incommutabili sunt aeternae rerum faciendarum rationes, vident; haec, qua eas in se ipsis considerant, ita tamen ut pulchritudini earum non inhaerentes eam in laudem Dei referant, et sic a rerum in seipsis consideratione ad Veritatem et ipsam Sapientiam Dei sese convertentes angeli, eorum cognitio illucescit et recurrit in mane.

Nr. 83. Expositio demum **litteralis** iterum in tres abit sententias, cum alii sub diebus intelligant dies naturales 24 horarum, alii minime dies naturales, sed longiora indeterminata temporis spatia, quidam denique totum non de mundo primordiali, sed de mundi collapsi restitutione intelligant.

Quod hos postremos attinet, provocant hi ad locum: „*Terra autem erat inanis et vacua*" et dicunt „erat" ponitur pro „facta est", nosque delegant ad animalia herbasque, quae in montibus in saxa conversa inveniuntur. Sed nil probant: ibi enim dicitur „erat", non autem „facta est", alterum vero ex diluvio explicatur. Ergo sententia haec rejicienda est.

Quoad priores vero expositiones antiquiores interpretes primam sequuntur, dum recentiores ad inquisitiones geologiae provocantes sub diebus longiora

[1] Haec vero ultimo vox „simul", graece κοινῇ, non vult dicere uno instanti, sed potius omnia omnino, prior autem terminus „in die" saepe non diem naturalem sed longius tempus indeterminatum, nonnunquam singularem pro plurali, quod et hic obtinet, quum prius de 6 diebus sermo sit. [2] De gen ad litt. L. 4, c. 33 **aliisque locis saepe.**

spatia intelligunt; mundus enim jam millia millium annorum existit; respondet sapientiae Dei; nulla revera causa est, quare longiora spatia reprobemus; Ecclesia permittit; chronologia per Moysen indicat tantum aetatem humanam.

Nr. 84. **Deus mundum propter seipsum creavit,** non quidem ad acquirendam vel augendam suam beatitudinem, sed **ad manifestandam suam bonitatem.**

Agitur ergo hic de mundi causa finali.

Finis generatim est id, cujus gratia aliquid fit, et distinguitur in finem operis et operantis, quorum uterque iterum esse potest vel *primarius*, qui primum ex sese intenditur, vel *secundarius*, qui cum primario cohaeret et ad primarium dirigitur.

Finis *operis* est id, ad quod opus ex dispositione formaque, quam accepit, tendit et inservit; finis *operantis* autem est id, quod operans producendo opus principaliter intendit.

Probatur:

1° ex SS. Litteris, Prov. 16, 4: *Universa propter semetipsum operatus est Dominus.*

2° ex Patribus. S. Irenaeus:[1] Non quasi indigens Deus hominis plasmavit Adam, sed ut haberet, in quem collocaret sua beneficia.

3° ex Catechismo Rom.: Neque alia fuit causa, quae illum ad opus creationis impelleret, nisi ut rebus, quae ab ipso effectae essent, bonitatem suam impertiretur.

4° ex ratione sic argumentante: Finis est prima inter omnes causas, quia ipse etiam causam efficientem ad agendum movet. Deus autem non potest dependere ab ulla re extra se. Ergo nequit alium finem habere praeter se. Et quoniam Deus nihil sibi desiderare vel acquirere potest, relinquitur, ut ad communicandam et manifestandam suam bonitatem operetur.

Nr. 85. Huic fini operantis etiam **finis operis** conveniens esse debet, qui primarie gloria Dei externa, demumque secundarie felicitas creaturae est.

[1] Adv. haer. L. 4, c. 14, n. 1; cf. Hieron. in Epl. 1, 14

Finis ultimus vel primarius a Deo semper obtinetur; nam:

α) mundus visibilis ob naturalem suam pulchritudinem et ordinem suum Dei gloriam objectivam manifestat.

β) Deus a creatura rationali laudem, amorem et obedientiam exigit — gloriam formalem.

γ) Totus mundus homini inservire debet ad consequendam felicitatem, ita ut ex intentione Dei gloria sua et felicitas creaturae coincidere debeat.

δ) Quodsi vero homo non glorificat misericordiam sponte obediendo, glorificabit justitiam coacte poenas luendo — *universa enim propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum.*[1]

Nr. 86. Quaeri solet, utrum mundus iste, quo divina gloria extrinseca comparatur, optimus dici possit et debeat, ad quae respondendum: **Mundum a Deo secundum quid, non autem absolute optimum factum esse.**

Duo hac in re sunt errores e diametro oppositi: *Optimismus* Leibnitzii, et *Pessimismus* quorundam recentiorum (Schopenhauer, Hartmann). Prior dicit mundum hunc realem esse omnium possibilium optimum; posterior autem mundum istum nedum bonum sed pessimum esse.

Veritas autem in medio, videlicet mundus est bonus, imo valde bonus et secundum quid optimus, non vero absolute omnium possibilium perfectissimus.

Pars positiva **probatur** tum ex s. Scriptura Gen. 1, 31: *Vidit Deus cuncta quae fecerat, et erant valde bona*, tum ex condemnatione Gnosticorum et Manichaeorum contrariae doctrinae;

pars negativa iterum tum ex libertate divina, cum qua Optimismus consistere nequit, tum ex perfectione divina, quae novos semper ac meliores mundos excogitare ac efficere potest, nec praesenti hoc mundo exhausta est; tum demum ex natura entis finiti, quod nunquam absolute optimum esse potest.

Secundum s. Thomam[2] tria tantum dantur optima: 1. Objectum beatitudinis hominis — ipse Deus, quo

---

[1] Proverb 16, 4. [2] P. 1, q. 25, a. 6, ad 4.

melius esse nequit. 2. Unio hypostatica in Christo — major unio esse nequit illà, qua homo ipse Deus est. 3. Maternitas Dei — dignitas maternitatis dependet a filii dignitate: est ipse Deus, ergo maternitas est infinita.

Dei providentia.

Nr. 87. Res mundanae non ideo solum a Deo pendent, quod Deus illas creavit, sed etiam quod cuncta quae condidit, conservat et ita moderatur, ut ad finem praefixum pervenire possint.

Hae quidem actiones in Deo utpote simplicissimo actu unum sunt. Ipsa actio creandi, quae res ex nihilo effert, re ipsa est etiam earundem conservatio atque gubernatio, ast a mente nostra, quae omnia simul cogitatione complecti nequit et notionem temporis ad omnes res creatas applicat, in tres actus divinos resolvitur: in actum, quo facit, ut esse pergant; in actum demum, quo facit, ut ad finem praefixum perveniant.

Duae ultimae operationes divinae uno verbo appellantur **providentia divina**, quae proin, praeeunte Seneca,[1] apte **definitur**: est aeterna ars cuncta temperantis Dei, et a theologis: est actio, qua Deus rerum omnium ac singularum curam gerit, seu qua res creatas omnes et singulas *conservare* et secundum sua consilia sapientissima *gubernare* ab omni aeternitate decernit et statuto tempore revera conservat et ad finem dirigit.

Si autem de cura Dei loquimur, per se patet, nos more hominum loqui, neque in Deo curam esse, qualis in nobis esse solet, cum labore, exercitatione et defatigatione junctam, id quod notioni entis perfectissimi repugnaret. Sicut Deus solo voluntatis nutu absque labore aut virium defatigatione universa condidit, ita simplicissimo voluntatis nutu etiam opus suum tuetur; et quidem

α) **conservatione** mundi, quae est: libera Dei omnipotentis actio, immanens quidem ast transeuntibus actibus aequivalens, qua fit, ut res creatae omnes et singulae sive in se sive in suo nexu cosmico suntae

[1] Epist. 71, 13.

tam quoad substantiam, quam quoad facultates et agendi vires esse pergant, quamdiu consiliis sapientiae divinae conveniens sit;

β) **gubernatione** mundi, quae est: actio Dei libera, qua Deus unamquamque rem mediis opportunis adhibitis ad finem partialem assequendum dirigit atque ita dirigit, ut quaelibet earum pro suae naturae diversitate ad ultimum finem, naempe ad Dei gloriam conspiret.

Gubernatio saepe mutuo usurpatur cum providentia divina, sed rectius, uti etiam hic a nobis fit, ea ab hac sicut pars a toto distinguitur. Gubernatio porro a providentia passim quoque distinguitur sicut effectus a causa sua: providentia secundum etymon (a providere) est ratio ordinis rerum in finem mente divina concepta et voluntate divina sancita; gubernatio est divinae providentiae executio seu actualis rerum ad finem per Deum directio.[1]

Providentiam *negant* Epicurei et Fatalistae; item ex recentioribus philosophis ii, qui ita in omnibus vident causarum secundarum effectionem, ut nullibi Dei operationem agnoscant; aut qui providentiae actionem libertati humanae repugnare existimantes, ideo providentiam rejiciendam putant, vel cum Socinianis eam in hoc solum consistere dicunt, quod Deus mundum non destruit.

Nr. 88. **Deus res creatas, ut esse pergant, conservat.**

Est *de fide* ex conc. Vaticano:[2] „Universa vero, quae condidit Deus, providentia sua tuetur."

Probatur:

1° ex s. Scriptura, quae saepe numero asserit, omnia creata ipsius Dei conservatione egere et revera a Deo contineri, sustentari, in Deo constare. Ex. gr. Sap. 11, 26: *Quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses?* Christus ipse[3] apertissime docet, Deum omnia conservare, volatilibus coeli et liliis agri et in specie hominibus ea, quae ad vitam necessaria sunt,

[1] Cf. ceterum de providentiae divinae notione s. Thomam, Summ. Theol. p. 1, q. 22, art. 1. [2] Sess. 3, c. 1: de Deo rerum omnium creatore. [3] Matth. 6, 25 sqq.

bonitate sua suppeditare; similiter etiam Apostolus scribens:[1] *Omnia per ipsum et in ipso creata sunt; et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant*, vel iterum:[2] *portans omnia verbo virtutis suae.*

2° ex SS. Patribus, qui tum explicando haec et similia sacrae Scripturae effata tum data alia occasione palam enuntiant, Deum mundum conservare, et cessante virtute conservatrice divina futurum esse, ut mundus brevi ad nihilum redigatur. E. gr. Chrysostomus:[3] „Non solum creaturam produxit Deus, sed productam etiam fovet et conservat, et si creaturae ejus efficientia destituantur, abeunt, diffluunt et pereunt."

3° ex ratione, quae idem colligit tum ex absoluto dominio Dei, a quo omnia quovis momento pendere debent, tum ex contingentia omnium rerum mundanarum, quae ergo numquam in se ipsis, sed solum in ente necessario, Deo scilicet, rationem sufficientem existentiae suae habent; unde sicut existendi initium, ita etiam earum continuatio ad Deum tamquam principium necessario referenda est.

Nr. 89. Ut modus conservationis sat bene intelligi possit, prius conservationis notio explicari necnon concursus divinus in cujuslibet creaturae actiones considerari debet.

α) **Conservare** generatim est efficere, ut aliquid perseveret in esse vel saltem in certo statu essendi. Hoc autem multiplicitер concipi potest: 1. negative, quatenus aliquis rem, quam destruere posset, non destruit; 2. positive et per accidens, cum aliquis per influxum suum removet id, quod rem corrumpere posset, puta si quis puerum custodiat, ne cadat in ignem; 3. positive et per se, quando influxus fit in ipsam rem conservandam, ita ut sine hoc influxu res salva consistere nequeat, quod autem iterum dupliciter fieri potest: mediate vel immediate. Conservatio *mediata* consistit in influxu aliquarum dispositionum vel qualitatum, quae necessariae sunt, ut res conservetur in esse, quemadmodum ex. gr. sol viventia conservat, fovendo calorem naturalem eorum; conservatio *im-*

[1] Coloss. 1, 16. [2] Hebr. 1, 3. [3] Homil. de paralyt.

mediata seu principalis ut s. Thomas[1] eam appellat, consistit in continuata communicatione ipsius esse, quod ab initio productum fuit.

β) **Concursus** divinus est influxus Dei in actionem causae secundae. Dum igitur conservatio *esse* rerum respicit, concursus ad *operationem* earum pertinet.

Concursus dividitur in moralem et physicum: *ille* in influxu morali, nempe in suasione, exhortatione, jussione etc.; *hic* in motione physica consistit et subdividitur in *mediatum* et *immediatum*: mediate ad agendum concurrit, qui vires agendi tribuit et conservat; immediate vero, qui ad ipsum exercitium virium cooperatur.

Hunc concursum immediatum denique iterum in praevium et simultaneum dividunt, quatenus nimirum motio concipitur vel ut praecedens vel ut concomitans actionem causae secundae.

Nr. 90. Cum omnis Dei actus utpote absolutus finito intellectui incomprehensibilis existat, neque Ecclesia hunc mundi per Dei conservationis modum accuratius delineaverit: **modus, quo Deus mundum conservat,** a ratione nostra accurate definiri non potest, neque propterea una est theologorum de hac re sententia.

Per se liquet, creaturas indigere conservatione negativa, siquidem Deus pro absoluto suo dominio certe omnes res annihilare posset. Liquet etiam ad nostram conservationem omnino necessarium esse, ut noxia a nobis removeat atque omnia necessaria nobis suppeditet. Deus autem mundum conservat non tam negative et per accidens, removendo scilicet a corruptibilibus rebus ea, quibus destrui possent, quam potius positive, eo quod operatione sua continua in creaturas influit, ne ad nihilum redigantur, sed ut esse pergant, influit in omnes et singulas creaturas virtute sua attingendo non solum creaturarum substantias, sed et earum facultates et agendi vires, imo concursu suo etiam earum actiones.

Ne intelligas hoc loco concursum divinum supernaturalem in collatione gratiae supernaturalis, de quo

[1] P. I. q. 104, c. aa. 1 et 2.

concursu loco suo sermo erit, sed intellige concursum naturalem; item ne intelligas concursum moralem, cum evidens sit, Deum moraliter non concurrere ad omnes actiones creaturarum, sed tantummodo ad actiones moraliter bonas, sed concursum physicum, quo Deus ad cujuslibet[1] creaturae actionem virtute sua physice concurrit; item ne intelligas mediatum tantum Dei concursum, quo Deus creaturis facultatem operandi dedit atque eam conservat, concursum quo proin, ut theologi dicunt, Deus causas secundas creavit et conservat, sed intellige concursum immediatum; non prout *Occasionalistae* (Cartesius, Nicol. Malebranche) putarunt, ac si voluntas divina unica actionum creaturae causa esset, creatura autem nihil ageret mereque passive se haberet vel mutationibus in ea occurrentibus ad summum id efficeret, ut divinae efficientiae occasionem agendi praeberet; item non sensu *Pantheistarum*, ac si mundus cum Deo confusus et consequenter cujuslibet rei actio tamquam actio divina esset: sed ita, ut creatura ipsa suppositum agens sit et maneat, ut ipsa operando in effectum tendat, et ut simul quoque occultissima virtus divina cuilibet creaturae intime praesens ad actum materialem ponendum, ad eundem effectum physicum immediate tendat, ita ut effectus oriatur tum a Deo tum a creatura, a Deo tamquam a causa prima et independente, a creatura ut a causa secunda et dependente.

Praescindendo caeterum a quaestione, quomodo concipiendus sit hic concursus, num ut praevius seu praedeterminatio, quemadmodum Thomistae volunt, an ut simultaneus, quemadmodum Molinistae aliique docent, defendimus jam exinde thesin:

Nr. 91. **Deus ad omnes creaturarum actiones virtute sua phisice et immediate concurrit.** Est catholica et *communis* doctrina, a Scholasticis excepto solo Durando omnibus defensa.

Probatur:

1° ex s. Scriptura, quae ipsos effectus causarum

[1] Quamobrem hic concursus, cum ad omnes creaturas extendatur, *generalis* nominatur, ut discernatur a morali, qui ad rationales creaturas tantum pertinet ideoque *specialis* vocatur.

secundarum passim immediate et physice Deo tribuit, e. gr. Psalm. 118, 73: *Manus tuae fecerunt me et plasmaverunt me;* Job. 10, 10: *Nonne sicut lac mulsisti me et sicut caseum me coagulasti? Pelle et carnibus vestisti me, ossibus et nervis compegisti me;* praesertim Act. 17, 28: *In ipso vivimus, movemur et sumus*, quo in textu Deus exhibetur non solum ut auctor continuus nostri esse (per conservationem), sed etiam ut causa vitae et motus (per concursum).

2° ex Patribus. S. Hieronymus:[1] „Sciamus, nos nihil esse, nisi quod donavit, in nobis ipse servaverit . . . Velle et currere meum est, sed ipsum meum, sine Dei semper auxilio, non erit meum . . . Deus semper largitor semperque donator est. Non mihi sufficit, quod semel donavit, nisi semper donaverit." Similiter s. Augustinus aliique Patres, praesertim cum verba Christi[2] exponunt: „Pater usque modo operatur."

3° ex ratione, quae theseos veritatem colligit α) ex indole effectuum finitorum productorum: effectus enim a creatura productus sine Dei conservatione existentiam continuare non potest. Si effectus jam productus in sua existentia dependet a Deo, eo magis in hoc momento dependet, quo producitur. Tunc effectus non solum per vires naturae, sed imprimis et a Deo producitur; est ergo immediatus influxus a Deo; β) ex indole causae agentis finitae: causa finita est in potentia ad actum; certo minus est in potentia esse quam in actu. Ut causa finita a potentia transeat in actum, requiritur auxilium aliquod, quod debet esse in actu, non in potentia. Hoc auxilium est extra creaturas, debet esse a Deo estque ergo concursus immediatus.

Nr. 92. **Deus omnes creaturas, maxime rationales, immediate et per se sapientissime et suavissime gubernat.**

Est *de fide* ex conc. Vatican. sess. 3. cap. 1: „Universa vero, quae condidit, Deus providentia sua tuetur atque gubernat, attingens a fine usque ad finem fortiter et disponens omnia suaviter."

---

[1] Ep. 133 ad Ctesiph. n. 6. [2] Joan. 5, 17.

Probatur:

1° ex s. Scriptura. Sap. 14, 3: *Tua autem, Pater, providentia gubernat;* Matth. 10, 29: *Nonne duo passeres asse veneunt, et unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro? Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt.* — Idipsum SS. Litterae etiam indirecte docent, multas promissiones et comminationes divinas exhibendo, quarum nulla esset vis, si Deus rector universi non existeret.

2° ex Patribus, qui integros de providentia et gubernatione divina composuerunt libros, ut hanc gravissimam religionis Christianae veritatem contra adversarios (Epicuraeos, Stoicos, Gnosticos, Manichaeos) defenderent et asseclis suis inculcarent, v. gr. s. Basilius:[1] „Nullibi deest providentia, nullibi gubernatio Dei. Ab oculo, qui nunquam clauditur, omnia conspiciuntur. Ubique Deus praesens est et unicuique viam ostendit ad prosperum finem ducentem."

3° ex Ecclesiae orationibus, v. gr.: *α)* in *dominica* tertia post Pentecosten: „Ut te rectore, te duce sic transeamus per bona temporalia, ut non amittamus aeterna;" *β)* in hora prima *Breviarii:* „Dirigere et sanctificare, regere et gubernare dignare, Domine Deus, rex coeli et terrae, hodie corda et corpora nostra, sensus, sermones et actus nostros in lege tua, et in operibus mandatorum tuorum" etc.

4° ex consensu populorum, qui communem de gubernatione divina persuasionem manifestaverunt tum universo *cultu religioso,* qui in hac maxima fide de Deo supremo rerum mundanarum rectore suam radicem habet, tum singulis religionis partibus, quippe *sacrificiis, votis, precibus,* apud omnes populos usitatis, quibus bona a numine divino efflagitare, mala autem per illud numen divinum avertere studuerunt.

5° ex ratione. Si enim Deus, ut jam Plato argumentatur,[2] curam non habet de omnibus, hoc ideo fit, vel quia non *novit,* vel quia non *vult,* vel quia non *potest* omnibus prospicere, quae autem omnia Deo optimo repugnarent, cum quavis tali assertione vel

[1] Hom. 7 in Hexaëm. n. 5. [2] L. 10 de Legib.

scientia vel potentia vel bonitas divina vel imo Deus ipse negetur.

Nr. 93. **Modus, quo Deus universum mundum gubernat,** quia actus divinus est, a nobis penitus perspici non potest.

Ut autem nihilominus dilucident Dei gubernationem eamque aliquatenus saltem explicent, distinguunt Theologi, cum Deus sapiens haud dubie se accomodat naturae ac indoli rerum, gubernationem physicam et moralem, vel potius gubernationem mundi physici et mundi moralis: in illo influxus Dei est necessitans, in hoc vero salva manet creaturarum rationalium libertas.

Gubernatio haec moralis complectitur tria. Deus ita gubernat entia moralia, 1° ut finem assequi possint; 2° ut illa, quae velint, finem revera assequantur; 3° ut correspondens retributio fiat pro dignitate morali, aut praemium aut poena. — Porro gubernatio moralis, prout aut ad totum genus humanum, aut speciatim ad regnum Dei in mundo visibile seu ad Ecclesiam, aut vero ad singulum quemvis hominem refertur, generalis vel specialis vel specialissima audit.

Quod autem ad ulteriorem modum gubernationis mundi divinae attinet: ipsa, uti rerum conservatio, partim mediata, partim immediata est. Si enim per omnia immediata esset, destrueretur efficacia rerum; si vero per omnia esset mediata, tunc homo abutendo libertate etiam hoc, quod Deus vult, posset avertere.

Gubernat itaque Deus mediate mundum *physicum* per certas leges physicas, quibus vires rerum creatarum omnium adstrinxit, mundum *moralem* autem per legem moralem, quam homini indidit per rationem et revelationem; illic Dei influxus est necessitans, hic vero non item.

Gubernat Deus immediate mundum *physicum* 1. per concursum physicum universalem; 2. quando creatura abutendo libertate effectum decreto Dei repugnantem producere velit, impedit hunc effectum: aut auferendo vires naturae, aut occasionem peccati removendo, aut maiorem potentiam opponendo; 3. in fine saeculi, in quo clarificabitur mundus physicus, qui propter peccatum Adami deterioratus et maledictioni subjectus ad clarificationem futuram praeparatur

per benedictiones et exorcismos Ecclesiae Christi; mundum *moralem* autem, dum hominem lapsum, sola misericordia motus, in ordinem gratiae inseruit et gubernat α) per revelationem, β) per gratiam et γ) per concursum in vita supernaturali.

Nr. 94. Praecipuae difficultates contra providentiam petuntur ex mali moralis et physici existentia nec non ex inaequali bonorum distributione, quarum difficultatum solutio **Theodicaea** vocari solet, quae vox prima vice usurpata invenitur a philosopho Leibnitz, qui suorum librorum unum speciatim de providentia divina tractantem illo vocabulo inscripsit.

Solvuntur autem dictae illae difficultates, dummodo recta habetur providentiae notio. Quod jam

1° ad existentiam mali moralis attinet seu peccati, constat Deum illud nullatenus intendere, sed tamen posse permittere. Deus vult, ut omnes creaturae rationales peccatum vitent. Deus quam maxime odio habet peccatum, legibus et comminationibus severrimis vetat illud et prohibet; ast permittit, ut creatura libera viribus suis donisque divinis abutatur et sic peccatum sibi contrahat. Permittere autem potest α) quia haec permissio perfectionibus ejus non repugnat, β) quia etiam peccatum in bonum vertere, et sic γ) etiam permittens peccatum gloriam suam externam amplificare et finem creationis ultimum obtinere valet.

Permissio peccati non repugnat justitiae divinae; nam Deus creaturae nil debet, nisi quod ei promisit vel quod in eam, ut finem assequi possit, convenit; atqui hoc Deus creaturis rationalibus, gratias sufficientes eis tribuens, abundanter praestitit atque praestat; non sanctitati, cui sane eo jam satisfit, quod Deus peccatum odio habet; non omnipotentiae et benignitati: cum liber sit in eligendo bonitatis gradu, quem creaturis tribuere vult, non est opus, ut homines sine possibilitate peccandi condiderit, aut gratiis ita firmaverit, ut actu numquam a recto itinere deflecterent, sed sufficit, ut eis facultatem eligendi bonum dederit; non sapientiae divinae, quia Deus etiam peccatum ultimo ad finem bonum, ad gloriam Dei externam vertere potest, qui vero finis a Deo intentus non est fors ratio, ob quam Deus peccatum

permittit, ut exinde peccatum sit medium ad finem et mala facienda sint, ut eveniant bona: sed est conditio sine qua non ejusdem permissionis; non enim, quae est ejus bonitas, tantum malum permitteret, etsi posset, nisi sciret ex illo aliud bonum elicere. Imprimis:

Malum bene ordinatum et suo loco positum eminentius commendat bona, ut magis placeant et laudabiliora sint, dum comparantur malis;[1] praeterea Adami culpa occasio exstitit redemptionis qua tantopere Deus glorificatur, crudelitas tyrannorum constantiae martyrum, persecutiones patientiae sanctorum; denique peccata permittens patientiam suam et longanimitatem mirabiliter prodit et unum aut alterum infallibiliter assequitur, ut vel in parcendo Patris misericordiam et clementiam vel in puniendo supremi judicis justitiam manifestet.

2° mala physica, quae in mundo sunt, semper conducunt ad aliquod ponum physicum altiori ordinis, cujusmodi est vel bonum naturae superioris, vel legum physicarum constantia et universalitas; vel etiam frequentissime ad bonum morale, ut est exercitium plurium virtutum, vel in altera vita ad violati ordinis reparationem divinaeque justitiae satisfactionem. Ergo bonum universale, cui bonus provisor prospicere debet, hujusmodi mala exigit.

Ceterum mala quaedam, quae nos excruciant, nonnisi simulata sunt, aut saltem in defectu bonorum fictorum consistunt. Adde insuper, quod quaevis mala in praesenti ordine sunt *sequela* peccati originalis, plerumque *poena* peccatorum actualium adeoque non Deo, sed nobis adscribenda sunt.

3° quoad denique inaequalem bonorum distributionem haec sunt animadvertenda:

α) Judicium nostrum de bonitate morali ac de malitia hominum valde dubium est et ab externa rerum specie plurimum pendens saepeque falsum.

β) Judicium nostrum de vera hominum felicitate aut infelicitate saepissime fallitur, et qui infelicissimi videntur, interna tranquillitate et conscientiae approbatione jucundissima gaudent; dum e contra, qui rerum

---

[1] Augustinus, *Enchirid.* c. 2.

terrenarum affluentia fruuntur, conscientiae angore affectuumque perturbatione cruciantur, et intus infernum in sinu suo gerunt.

γ) Neque pii ab omni labe immunes sunt, nec mali sine ulla affectatione bona; congruum est, ut justus judex illos felicitate perpetua donandos purget in hac vita, hos in perpetuum cruciandos remuneretur felicitate temporali.

δ) Proborum virtutem Deus adversitatibus roborare ejusque meritum augere, improbos e contrario clementiae suae beneficiis a via iniquitatis ad meliorem frugem revocare potest.

ε) Cum vita terrestris nonnisi stadium praeparationis pro vita aeterna sit, nemo mirabitur, si perfecta retributio ad alteram vitam reservatur, ne sensim sola terrena felicitas virtutis sectandae scelerisque fugiendi impulsus evadat.

Tractatus quartus.

De creaturis ratione praeditis.

Creatura est veluti antetypon Dei. Deus est unus in natura, trinus in subsistentia; creatura est una in subsistentia, triplex in natura, nempe spiritualis, corporalis et humana.

Inter omnia autem Dei opera praestantissimae sunt creaturae rationis lumine exornatae, quae jam sunt angeli et homines. Ex quo in hoc tractatu primum de illis, dein de his nobis sermo erit.

De angelis.

Ex usu biblico et ecclesiastico ad designandas substantias spirituales vox *angelus* translata est, quae etymologice *nuntium* significat. Ideo Augustinus:[1]

[1] Enar. in Ps. 103, *Serm.* 1, n. 15.

„Spiritus autem Angeli sunt, et cum spiritus sunt, non sunt angeli; cum mittuntur, fiunt angeli; angelus enim officii nomen est, non naturae.“ Angelum definire possumus: substantiam intelligentem materiae atque corporis expertem.

Nr. 95. **Existunt angeli innumeri, a Deo creati.**

Est *de fide* ex Lateran. IV: „Simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam . . . angelicam videlicet ac mundanam etc.“

Constat ex tot locis Scripturae, ut s. Gregorius[1] merito dicat: Angelos et Archangelos omnes fere s. scripturae paginae loquuntur.

Quod rationem attinet, ea angelorum existentiam certe demonstrare quidem non potest; tamen convenire cernit ornatui et perfectioni universi, ut quemadmodum corporales et corporeo-spirituales creaturae, ita quoque mere spirituales, seu angeli in rerum universitate collocati existant.

Licet angelorum **numerus** determinate non sit cognitus, certe tamen maximus censendus est, estque sat recepta sententia, numerum angelorum excedere numerum hominum, quotquot usque ad finem mundi sunt constituti.

Nr. 96. Distinguuntur communiter novem ordines seu **chori** angelorum in tres hierarchias[2] seu sacros principatus distributi.

In hierarchia **suprema** sunt: Seraphim, Cherubim, Throni; in **media** Dominationes, Virtutes, Potestates; in **infima** Principatus, Archangeli, Angeli. Diversa haec nomina sortiuntur ex diversis, quibus funguntur, ministeriis et officiis. — Distinguuntur angeli porro in *assistentes* et *ministrantes*, quia licet omnes sint administratorii spiritus omnesque Domini concinant gloriam, quidam tamen ministeriis, quidam vero glorificando Deo specialius deputantur.

---

[1] Hom. 34 in Evang. [2] Hae tres hierarchiae a D. Dionysio (in libr. de coelesti Hierarchia cap. 6) recensentur, ita ut **suprema** sit, quae immediate a Deo recipit illuminationes easque transmittit Angelis secundae Hierarchiae; **media**, quae divinas illuminationes immediate recipit ab Angelis primae Hierarchiae easque transmittit Hierarchiae tertiae, naempe **infimae**, quae sic acceptas illuminationes hominibus transmittit.

In Scriptura tria tantum reperiuntur angelorum **nomina**: Michaël, Gabriel et Raphael. Omnium autem angelorum supremum esse Michaëlem nonnulli existimant, quod Scriptura insinuare videtur Apoc. 12, 7: *Michael et angeli ejus proeliabantur cum dracone.*

Nr. 97. **Angeli sunt meri spiritus, omnis corporis expertes.**

Est *de fide* ex Lateran. IV, ante quod concilium angelorum pura spiritualitas inter ipsos Catholicos in dubium vocabatur. Sic Justinus, Origenes, Tertullianus, Ambrosius putabant, angelos praeditos esse subtilibus corporibus; Augustinus et Bernardus dubii haeserunt.

Ex dictis sequitur, angelos in aliquo sensu esse *naturaliter* immortales et incorruptibiles, quippe qui nullum habent corruptionis principium, nec ab ullo agente creato corrumpi possint, cum partibus careant ideoque partium dissolubilitate, nec pendeant a subjecto sustentante. — In aliquo tamen vero sensu non sunt *naturaliter* immortales, quia cum sint creaturae, per se et ex natura sua non exigunt infrustrabiliter existere, sed possunt annihilari a Deo, secluso scilicet praesente libero decreto eos in aeternum conservandi.

Nr. 98. **Angeli in sua natura sunt hominibus superiores**, quod jam ex pura illorum spiritualitate consequitur et expresse in SS. litteris traditur. Psalm 8, 6: *Minuisti eum* (hominem) *paulo minus ab angelis.* — Consistit autem haec superioritas: 1. in majore perspicuitate intellectus; 2. in validiore voluntate et 3. in majore potentia agendi.

Theologi communiter docent: 1. Pro sua natura spirituali celerrime ex uno loco in alterum corpora aliasque res et se ipsos transferre possunt; 2. possunt assumere corpus sive aërem conflando sive vapores, possunt inhabitare corpora viva etiam humana; tunc vero spiritus non est quasi principium vitae, sed veluti motor corporis; 3. perfectissime cognoscunt vires naturae, vires activas et passivas, quibus generationes oriuntur, conjungendo mira quaedam efficiunt, non autem miracula propria, quae sunt supra vires naturae.

Nr. 99. **Angeli statim ab initio in gratia sanctificante fuerunt constituti.**

Probatur:

1° ex SS. Litteris. Joan. 8, 44: *Diabolus in veritate non stetit;* si ergo non mansit, prius erat in veritate.[1]

2° ex Patribus; v. gr. s. Augustinus:[2] „Cum bona voluntate, id est cum amore casto, quo illi adhaererent, angelos creavit; simul in eis et contendens naturam et largiens gratiam." Quare s. Thomas[3] ita concludit: „Probabilius videtur tenendum et magis dictis Sanctorum consonum est, quod angeli fuerint creati in gratia gratum faciente."

3° ex ratione theologica. Protoparentes in statu supernaturali constituti sunt; congruum videtur, ut eo magis angeli, hominibus superiores, in statu gratiae constituantur.

Nr. 100. **Multi angeli peccaverunt et aeternis poenis addicti sunt.** *De fide* ex Lateran. IV: Diabolus et alii daemones natura creati sunt boni, sed ipsi per se facti sunt mali.

Gratia et sanctitate, quam ab origine sua receperant angeli, excidere poterant, donec probata sua erga Creatorem fidelitate ad gloriam ac visionem Dei evecti, in gratia feliciter confirmarentur. Hinc duplex fuit angelorum status, *viae* et *termini*, in quibus distingui possunt eorum creatio et perseverantia vel defectio, poena vel praemium.

Nr. 101. Patrum et Theologorum communis est sententia **ingentem fuisse numerum praevaricatorum** ex omnibus fere ordinibus, minorem tamen numero eorum, qui in bono perstiterunt.

Censent etiam Theologi principem rebellionis fuisse Luciferum ordine Seraphinum eumque aliis angelis causam ruinae exstitisse. Ipse inter daemones quemdam principatum obtinet: quare in SS. Litteris vocatur „Diabolus" antonomastice, vel Satanas, vel Draco, e. gr. Apocal. 12, 7: *Draco pugnabat et angeli ejus,*

---

[1] Cf Catechism. Rom.: P. I, art. 1; q. 21. [2] *De civit.* L. 13, c. 9. [3] P. 1, q. 62, art. 3.

vel Luc. 11, 18: *Si Satanas in seipsum divisus est, quomodo stabit regnum ejus?*

Graves auctores, ut Augustinus, Anselmus, Isidorus,[1] asserunt, **ad instaurandam ruinam angelorum homines assumptos esse**, quasi tot ex hominum genere ad aeternam vitam sint praedestinati, quot angeli fuere dejecti: unde multo major hominum quam daemonum numerus censendus foret. Auctoritates tamen aliae obstant ea gravitate, ut res in incerto remaneat.

Illud magis certum est, homines ad angelorum gradus assumi posse, secundum ordinem videlicet gloriae, non naturae; imo ad Luciferi locum, qui putatur fuisse omnium princeps, posse pertingere. Quin, B. Virginem longe sublimius, super omnes angelorum choros exaltatam esse novimus. Non tamen animae beatae omnes assumi ad aliquem angelorum ordinem sunt dicendae, v. gr. infantes, peccatores, tarde et vix resipiscentes, qui vel novum ordinem constituent, vel infimo angelorum ordini aggregabuntur.[2]

Nr. 102. **Elapso probationis tempore, qui fideles permanserunt, ad gloriam et visionem Dei sunt evecti; qui vero infideles peccando exstiterunt, aeternis poenis addicti sunt; est itaque dogma catholicum, quod existunt daemones.**

Constat ex testimoniis sacris, cum de illis Matth. 18, 10 dicatur, quod *semper vident faciem Patris mei*, de his autem Matth. 25, 41: *Discedite a me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus.*

In epist. 2da Petr. 2, 4 dictum est: *Deus angelis non pepercit*, imo eis denegavit tempus et gratiam ad poenitentiam agendam. Cur autem Deus hominibus, non vero angelis peccantibus fecerit reparationis locum, varias afferunt Patres rationes. Prima est, quia homo peccavit alio suadente et decipiente: angelus vero sua sponte; secunda: homo peccavit ex fragilitate, angelus ex malitia; tertia: peccante uno homine periit tota humana natura, peccante angelo non tota periit natura angelica. Ultima tamen ratio est voluntas Dei.

Nr. 103. Ex communi sententia, **peccatum an-**

[1] Cf. *Petav.* li. 1, c. 11. [2] Cf. *Suar.* tom. 2, lib. 2, c. 14.

gelorum fuit superbia, qua aequalitatem cum Deo desideraverunt, in eo desiderio mirum in modum sibi complacentes; nam Isaj. 14 de diabolo, sub nomine regis Babylonis, dicitur: *Detracta est ad inferos superbia tua . . . quomodo cecidisti de coelo, lucifer, qui mane oriebaris? qui dicebas in corde tuo: in coelum conscendam . . . similis ero Altissimo.*

Praeter superbiam commiserunt etiam peccatum invidiae, ut eruitur ex Sap. 2, 24: *Invidia diaboli mors intravit in mundum;* verum hoc non fuit primum eorum peccatum, sed per superbiam gratiis supernaturalibus jam perditis, ideo etiam hominem ad imaginem Dei factum indigne tulerunt.

Fuerunt inter antiquos nonnulli, qui verba Gen. 6, 2: *Videntes filii Dei filias hominum, quod essent pulchrae, acceperunt sibi uxores,* intelligentes de angelis, arbitrati sunt peccatum angelorum fuisse peccatum luxuriae. Verum nomine *filii Dei* intelligendi sunt filii Seth in oppositione ad posteros Caini, qui ob morum corruptionem filii hominum vocantur. Non enim possunt intelligi angeli boni, quia hi[1] neque nubunt neque nubuntur; non mali, quia hi non vocantur filii Dei.

Nr. 104. Bonorum **angelorum officium** est: Deum laudare, ejus voluntatem facere eique in gubernatione mundi ministrare, ac praesertim hominum curam et custodiam gerere.

Quoad hanc *dogma* est revelatum: angelos bonos in hominum generatim deputari custodiam; certum quoque est singulos homines praesertim fideles suos habere angelos custodes; nec improbabile est, regnis, provinciis ecclesiisque suos praeesse angelos.

Existere angelorum custodiam patet ex Psalm. 90, 11: *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.*

Singulos homines singularem habere angelum custodem, insinuare videntur Christi verba:[2] *Angeli eorum* (pusillorum) *in coelis semper vident faciem Patris mei.* Unde Theologi unanimiter conspirant in celebre illud s. Hieronymi[3] effatum: „Magna dignitas

[1] Matth. 22, 30. [2] Matth. 18, 10. [3] Comment. in Matth. 18, 10, L. 3.

animarum, ut unaquaeque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui angelum delegatum."

Singula quoque regna habere angelos custodes affirmare licet; nam in Danielis cap. 10mo fit mentio Angeli, qui praeerat regno Persarum, et alterius Angeli, qui praeerat regno Graecorum.

Denique communis est fidelium sensus, s. Michaelem esse custodem Ecclesiae catholicae, sicut ante fuerat Synagogae juxta illud Danielis: *Nemo est adjutor meus in omnibus his, nisi Michael princeps vester.*[1]

Obsequia angelorum erga homines in specie haec sunt: 1. liberant homines a periculis imminentibus; 2. impediunt ne daemones eis noceant; 3. pias cogitationes suggerunt et ad bonum excitant, unde Deus Moysen hortatur,[2] ut audiat Angelum: *Observa eum et audi vocem ejus, nec contemnendum putes etc.*; 4. preces nostras Deo offerunt suasque nostris conjungunt; 5. Clientum suorum animas in purgatorio consolantur easque plene purgatas ad coelum deducunt.

Nr. 105. Sicut boni angeli nos tuentur, ita daemones pro odio, quo in Deum flagrant, hominibus ad imaginem Dei creatis vehementer insidiantur idque: 1. tentatione, 2. infestatione, 3. possessione, 4. magia.

Tentatio est instigatio seu sollicitatio ad peccatum suggestione cogitationum malarum a diabolo effectarum, quibus ad peccatum allicimur. Hoc diabolus vel visibiliter facit, e. gr. sub specie serpentis in paradiso, vel invisibiliter; immediate per se ipsum vel mediate per homines perversos, mox intrinsecus excitando phantasiam, commovendo corpus, inflammando appetitum, excoecando intellectum; mox extrinsecus utendo rebus externis vel prosperis vel adversis, ut nos extollat aut dejiciat.

Infestatio est influxus noxius diaboli in bona externa aut in ipsum corpus hominis.

Obsessio est potestas vexandi hominem daemoni concessa et cum actuali vel habituali vexatione conjuncta, et dividitur in obsessionem et insessionem. *Obsessio* est actio daemoniaca in hominem, sine dae-

[1] C. 10, v. 21. [2] Exod. 13.

monis inhabitatione; *insessio* dicit inhabitationem daemonis, ita ut hic in hominis corpus ingrediatur, in eo habitet ejusque membris ut propriis utatur.

Magia generatim est commercium superstitiosum cum daemone.[1] Pertinent autem ad magiam:

1° divinatio seu inquisitio occultorum ope daemonum (oracula, necromantia, sortilegium, auguria);

2° vana observantia, qua media improportionata et a Deo non instituta adhibentur ad certum effectum obtinendum (ars sanandi variis signis vel rebus sacris);

3° maleficium seu ars nocendi ope daemonis;

4° magia stricte dicta seu ars faciendi mira ope daemonis;

5° daemonolatria, i. e. cultus daemonis;

6° hodiernus magnetismus et spiritismus, quorum phoenomena in quantum non sunt merae deceptiones vel artificiosae applicationes virium naturalium, neque Deo aut bonis angelis, sed necessario daemonum interventui adscribi debent.[2]

Nr. 106. **Daemones hominum saluti insidiantur, eos variis modis tentantes.**

Est *de fide*, ut patet ex manifestis Scripturae Patrumque testimoniis nec non ex Ecclesiae precibus.

Probatur:

1° ex ipso nomine Satan, i. e. adversarius et Diabolus, i. e. calumniator, impostor, qui per mendacia et fallacias nocere conatur.

2° ex s. scriptura Matth. 4, 3: *Accedens tentator dixit*; 1 Petr. 5, 8: *Sobrii estote et vigilate, quia*

---

[1] Est hic sermo de magia diabolica seu sic dicta nigra, cui opponitur magia alba, artificialis vel quoque naturalis, quo nomine miri eventus vocantur, qui ope virium naturalium aliis occultarum, vel ope artis et dexteritatis producuntur.

[2] Talia phaenomena enumerat Encyclica s. Rom. Inquisit. 30. Juli 1866: „Invisibilia conspicere, animas mortuorum evocare, responsa accipere, ignota ac longinqua detegere . . . In hisce omnibus, quacumque demum utatur arte vel illusione, cum ordinentur media physica ad effectus non naturales, reperitur deceptio omnino illicita et haereticalis et scandalosa contra honestatem morum.

adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit quaerens, quem devoret.

3° Ecclesia in orationibus et Litaniis oo. Sanctorum orat: „Ab insidiis diaboli libera nos Domine."

Adnot. Communiter receptum est, juxta Suarez, angelum malum, Deo permittente, cuilibet homini a Lucifero deputari; cum id fundetur in Scriptura et a pluribus Patribus expresse asseratur.

Nr. 107. **Admittenda est quoque proprie dicta daemonis possessio.**

Assertio statuitur contra recentiores quosdam Protestantes, neotericos Biblicos et Rationalistas, quibus accessit ex Catholicis Jahn autumans daemoniacorum nomine in Scriptura nonnisi aegrotos designari.[1]

Probatur assertio:

1° Evangelica historia nos dubitare non sinit, plures exstitisse a daemone correptos, qui cum infirmis confundi nequaquam possint. Marc. 1, 34: *Curavit multos, qui vexabantur variis languoribus, et daemonia multa ejiciebat et non sinebat eloqui, quoniam sciebant eum.*

2° ab ipsa aetate apostolica institutus est in Ecclesia ordo Exoreistatus, et regulae atque orationes ad exoreismos peragendos praescriptae.

3° ratio vero in hac doctrina non solum nullam patitur difficultatem, sed eam valde probabilem cognoscit α) ex parte daemonum, qui propter suam spiritualitatem multa possunt efficere, quae vires nostras excedunt; β) ex parte hominis, qui propter naturalem suam imbecillitatem ac vehementes suas passiones saepe daemonum assaltibus aditum aperit; γ) ex parte Dei, qui haec omnia permittere potest, sive ad peccati punitionem, sive ad peccantis correctionem, sive ad nostram eruditionem.

De homine.

Inter creaturas visibiles homo locum occupat principem, constitutus quasi Rex mundi ab ipso Creatore, dicente: *Faciamus hominem ad imaginem nostram et praesit . . . universae terrae.*

[1] Vide § 194 Archaeologiae suae biblicae.

Nr. 108. **Deus ab initio duos homines, Adamum et Evam, immediate creavit, a quibus dein omnes gentes originem ducunt.**

Adam ex limo terrae formatus fuit a Deo, qui *inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae*,[1] i. e. animam. Corpus ergo ex praesupposito subjecto productum est, anima e contra ex nihilo creata est. Corpus Evae formatum est ex Adami costa, quam Deus extraxit et spatium, quod occupabat, replevit carne. Hac s. scripturae narratione indicatur: 1. feminam viro esse subjectam non veluti servam sed veluti sociam; 2. firmitas matrimonii et sanctitas institutionis hujus.

Cum ex Adamo et Eva omnes gentes originem ducant, **non existunt nec Praeadamitae nec Coadamitae.**

Propositio haec *de fide* est utpote connexa cum dogmate universalitatis peccati originalis, quod, nisi omnes habeant ex Adamo originem, explicari non potest.

Probatur:

1° ex SS. Litteris. Moyses post narrationem creationis coeli et terrae dicit: *Et homo non erat, qui operaretur terram* — non ergo existunt Praeadamitae; et paulo postea, ubi Adamum omnibus animalibus nomina imponentem inducit, ait: *Adae vero non inveniebatur adjutor similis ejus*, et iterum: *Non est bonum hominem esse solum; faciamus ei adjutorium similem sibi* — non ergo existunt Coadamitae. Expresse desuper loquitur s. Paulus:[2] *Fecitque ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terrae.*

2° accedit unanimis Judaeorum et Christianorum traditio;

3° confirmatur ex omnibus anthropogoniis et historiis, quae antiquarum gentium transmigrationes ex Asia profectas referunt; ex philologia, quae omnes linguas ad communem originem revocandas esse testatur seu ad linguam primitivam, cujus adhuc vestigia perspicua cernuntur.

Nr. 109. **Homo constat ex corpore et anima,** quae in unam naturam et personam uniuntur ita, ut

[1] Gen. 2. 7. [2] Act 17, 26.

simul anima rationalis vere, per se, essentialiter et immediate sit forma corporis.

Forma in ente est illud, quod determinat ens ad certum „esse". **Distinguitur**: 1. substantialis; est illud, quod determinat ens ad certum esse substantiale; 2. accidentalis; est illud in ente, quod ens jam substantialiter determinatum determinat ad certum esse accidentale.

Forma substantialis subdistinguitur: 1. subsistens; est illa, quae habet propriam subsistentiam et etiam sine materia existit, e. gr. anima humana; 2. inhaerens; est illa, quae non habet propriam subsistentiam et sine materia non existit, e. gr. anima animalis.

Forma **subsistens** iterum est: α) receptibilis vel informans ratione subjecti, quo recipitur; est illa, quae sua natura destinata est ad unionem cum materia, quacum constituit compositum substantiale: sic anima nostra natura sua destinata est ad unionem cum corpore, cum quo constituit naturam humanam; β) separata seu illa, quae sua natura non est destinata ad unionem cum materia, e. gr. anima angelica vel Deus ipse.

Thesis, ut patet, de forma substantiali loquitur, ac veritatem enunciat definitam a concilio Viennensi. Est autem forma substantialis ea, quae subjecto per suam unionem largitur perfectionem substantialem non accidentalem. Atqui vita est perfectio substantialis viventium. Unde animae relatio ad corpus ea est, ut sit principium vitae corporis seu ut vivificet corpus. Si etenim corpus non vivificaretur anima rationali, tunc, quia aliae partes praeter duas has non enumerantur, deberet habere vitam propriam, eam quae est corporis, quia corpus est; proinde corpus omne eo, quod esset corpus, viveret, quod falsum est. Cum ergo corpus per animam rationalem vivat, eo ipso anima rationalis est forma substantialis corporis.

Nr. 110. Sententia, quae praeter animam rationalem aliam substantialiter diversam ponit, nempe animam somaticam ($\psi\upsilon\chi\acute{\eta}$), a qua vita animalis et vegetativa derivatur, **Trichotomia** audit.

In hunc errorem inter veteres inciderunt Mani-

chei et praesertim Apollinaris, inter recentiores Günther cum aliqua tamen modificatione. Hic quippe praeter spiritum ponit aliam animam in homine, quae tamen non sit diversa a corpore, sed potius unam cum corpore substantiam et individualitatem constituat.

Trichotomia sub omni forma **erronea est,** ut constat:

1° indirecte ex declarationibus contra Apollinarim in concilio Ephesino verbis Cyrilli Alexandrini: „Asserimus Verbum unità sibi secundum hypostasin carne animata anima rationali (*σάρκα ἐμψυχωμένην ψυχῇ λογικῇ*) hominem factum," nec non ex verbis concilii Chalcedonensis, quod contra ejusdem Apollinaris doctrinam: esse quidem animam in homine Christo, sed non rationalem intelligentem sed sensitivam, profitebatur: „Unum eundemque Filium et Dominum Jesum Christum, eundem perfectum in deitate et eundem perfectum in humanitate, Deum vere et hominem vere, eundem ex anima rationali et corpore" — quod autem de Christo valet, valet etiam de omnibus hominibus, nam Christus erat homo perfectus.

2° ex scriptura. quae docet hominem compositum esse ex duobus tantum principiis. Cf. Eccle. 12, 7: *Et revertatur pulvis in terram suam unde erat, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.*

3° idem confirmat ratio: tum ex conscientia, quae actus vitae animalis aeque ac spiritualis ad idem subjectum refert: tum ex unitate naturae, quae in hypothesi duarum animarum explicari nequit; tum demum ex evidente nexu inter facultates sensitivas et intellectuales. Lucta autem inter hominem animalem et spiritualem, quam Güntheriani maxime urgent, facile explicatur ex diversis inclinationibus ejusdem animae, minime vero intelligitur inter duas diversas animas.

Nr. 111. De indole animae humanae duo sunt dogmatice definita: 1. Anima est simplex et spiritualis; 2. anima est immortalis.

Anima nostra, quamvis simplex, tamen non omnis compositionis expers est; deest enim tantum physica compositio, adest autem metaphysica ex potentia et actu.

Animae **simplicitas,** quam SS. Litterae ubique locorum affirmant, Ecclesia vero in Conc. Later. IV. definivit, **ex ratione demonstrari potest.**

1. si consideramus actus spirituales seu intellectus et voluntatis in se, compertum habemus. in eâdem anima plures esse conceptus simul, e. gr. in quolibet judicio formando saltem quatuor conceptus animae inesse debent: conceptus subjecti, praedicati, convenientiae et disconvenientiae subjecti cum praedicato. Conceptus illi debent inesse uni subjecto; si enim in duobus essent, judicium formari nequiret; anima illa una, in qua plures conceptus simul insunt, est aut composita aut simplex. Non potest esse composita, quod etenim si esset, tunc conceptus illi deberent: α) aut alii in una, alii in alia parte animae esse: β) aut in singulis partibus omnes: γ) aut per totam materiam diffusi; δ) aut in una parte materiae omnes, quae omnia judicium formare haud sinerent.

2. si anima esset composita, haberet proprietates materiae compositae, essetque extensa, divisibilis, iners, sine propria intrinseca efficacia etc.: operationes animae vero nil aliud essent quam mutationes materiae in figura aut in quantitate, et in formando judicio, ubi plures adsunt conceptus diversi, deberent eodem momento in eadem materia plures figurae vel quantitates adesse, quod jam legibus physicis repugnat.

3. si anima esset materialis, tunc tales tantum habere posset conceptus, qui per sensuum externas impressiones ei subministrantur, dum nos conceptus veri, pulchri et boni habere constat, qui per sensus non subministrantur.

4. anima materialis compositionis sibi conscia esse deberet, quod vero haud obtinet.

Nr. 112. Quoad animae **immortalitatem** bene distinguendi sunt conceptus: incorruptibilitas et immortalitas: haec omnem excludit interitum etiam per annihilationem ex parte Dei, cessationem vitae, mortem etc., illa vero interitum per solutionem partium.

Anima est incorruptibilis, quia est simplex, est autem simul immortalis seu habet vitam aeternam sine fine. *De fide* ex Lateran. IV: „Damnamus et reprobamus omnes asserentes, animam intellectivam mortalem esse.“

Doctrina s. Scripturae ac unanime SS. Patrum

desuper testimonium corroboratur quoque argumentis rite excultae rationis, et quidem

1° ex analogia: cum Deus quoad totum mundum sensibilem nil annihilat, concludere nobis licet, eum etiam animam non annihilare, quae, cum sit simplex, incorruptibilis quoque est.

2° ex Dei perfectionibus; α) pro sua bonitate Deus animae nostrae indidit inexstinguibile desiderium beatitatis et perfectionis: cum in hac vita desiderium non adimpleatur, anima adhuc post corporis mortem vivere debet, ut naturale illud desiderium adimpleatur; β) pro sua sapientia Deus nil agit sine fine et ratione: nisi necesse sit dicere, Deum desiderium hoc hominibus frustra indidisse, oportet, ut anima vivat post corporis mortem; γ) pro sua infinita justitia Deus pro peccato, quod culpam habet conjunctam infinitam, poenam infinitam postulare debet. Atqui peccatum est malum infinitum, quia est offensio Dei boni infiniti et mensura offensionis dependet a dignitate offensi; ex altera parte in hoc mundo peccatores non semper puniuntur vel tantum malis temporalibus puniri possunt.

3° ex absurdis consectariis sententiae oppositae: studium virtutis, quae saepe in hac vita praemium suum non adipiscitur, frustraretur; homo esset infelicior reliquis animantibus, quia frustra exspectaret adimpletionem desiderii ardentissimi felicitatis; homo posset quoque Deo dominium vitae eripere ac morte voluntaria poenas divinas effugere.

4° ex consensu populorum, qui omnes veluti effatum naturae immortalitatem animae profitentur.

Nr. 113. De animae **origine** est sententia theologorum communis nunc certa, quod anima creando infunditur et infundendo creatur, quae nunc exinde **Creatianismus** vocatur.

Antiquiores asserunt, infusionem animae non fieri statim in conceptione activa, sed tunc, quando corpus sufficienter evolutum aptum sit ad recipiendam animam, ergo in generatione passiva; recentiores in ipsa generatione activa foetum vitam habere dicunt. Secundum antiquiores foetus ante generationem passivam habet vitam vegetativam; si corpus sufficienter evolutum est, destruitur vegetativa et sensitiva substituitur vita et

tunc demum Deus infundit animam. Secundum antiquiores foetus 40—80 dies post generationem satis evolutus est.

Innititur autem Creatianismus verbis libri Genesis: *Formavit Deus corpus de limo terrae et inspiravit spiraculum vitae.* Sicut enim in primo homine ita et in reliquis. Corpus generatur per parentes et anima infunditur per Deum. Hinc Hebr. 12, 9 parentes dicuntur *patres carnis*, Deus autem *Pater spirituum.*

Nr. 114. Exstant insuper hac de re aliae, sed **falsae sententiae,** nempe:

α) Emanatianismus Gnosticorum, Manichaeorum et Stoicorum, qui contendebant singulas animas e divina substantia emanare.

β) Praeexistentianismus, quem tenuit *Origenes* et Priscillianistae. Ille docuerat: Deus ab initio tantum Angelos creasse et dein demum in poenam illorum, qui peccaverunt, adhuc mundum sensibilem, ita ut angeli peccantes detruderentur pro culpa sua diversa in corpora diversa. Recentiori tempore *Leibnitz* aliique docuerunt: omnes animas humanas simul a Deo creatas esse cum Adamo et per Adamum propagatas esse. — Utraque sententia rejicienda est; etenim 1° anima in poenam peccati detrusa in corpus deberet conscientiam culpae habere, quam autem non habet; 2° unio animae rationalis cum corpore tunc non esset naturalis et substantialis, sed potius violenta et accidentalis, et homo mortem timere non posset, quia anima liberaretur a captivitatis poena; 3° negaretur resuscitatio corporis, quia esset nova poena animae; 4° pugnat cum SS. Litteris et Patrum doctrina: Paulus de Jacobo et Esau loquens ait: *Nil boni et mali quid fecerunt antequam nascerentur;* Leo M. hanc sententiam vocat[1] „fabulam impietatis", s. Hieronymus „absurdam", s. **Augustinus** „haeresin".

γ) Traducianismus, qui asserit, animam liberorum ab anima parentum traduci generatione sicut corpus.

Dum ex antiquis scriptoribus plures occidentales hanc sententiam ut dubiam proponunt, nemo vero ve-

[1] In epistola dogm. ad Turbium

luti certam, eam Scholastici rejecerunt, s. Thomas vero haeresin vocat — non immerito; nam 1° si anima traduceretur, generatio nil aliud esset, quam emanatio ex substantia animae generantis; ubi autem emanatio, ibi compositio et animae simplicitas negaretur; 2° si omnes animae generantur a parentibus, omnes animae essent ab Adamo totumque genus humanum ratione animae unum constitueret Adamum, quod explicite damnavit concilium Lateranense V. verbis: „Damnamus et reprobamus omnes asserentes animam intellectivam esse mortalem et unicam in cunctis hominibus."

Quoad modum nonnulli animam ex semine *corporali* parentum generari dicunt, alii ab anima parentum ipsi animae quoddam *spirituale* semen tribuentes. Hunc traducianismum spiritualem aliqui vocant Generatianismum, secundum quem anima liberorum generatur a parentibus generatione secunda, i. e. Deus parentibus dedit virtutem generandi vel creandi animas.

Generatianismus pariter est rejiciendus. Nam anima creari debet, quia deest subjectum aliquod praejacens; ad actum creationis autem requiritur omnipotentia, quae soli Deo competit.

Nr. 115. In quaestione, quem in finem creatus sit homo a Deo, distingui debet finis absolutus et secundarius.

Finis absolutus totius universi est gloria Dei, proinde etiam principalis finis hominis est gloria Dei; finis secundarius isque **proximus finis hominis** est beatitudo et perfectio ipsius.

Beatitudo seu objectum illud hominem beatificans, **distinguitur:** 1. objectiva, quae est solus Deus, cum aliae res in mundo, homine inferiores, hunc satiare nequeant ac solus Deus in se contineat omnia bona possibilia; 2. formalis, quae iterum est adeptio vel possessio hujus beatitudinis α) per *cognitionem* ex intellectu, β) per *amorem* ex voluntate et γ) per *gaudium* exinde redundans.

Nr. 116. Finis hic proximus, cognitio et amor Dei ac gaudium exinde redundans, **consistit** in statu *viae* in fide, spe. et charitate, in statu *termini* autem in visione, charitate et possessione Dei.

Naturae humanae status est certa conditio totius

humani generis, seu modus se habendi in ordine ad finem ultimum et ad media eo spectantia.

Status ille, in quo homo tendit ad finem nondum obtentum, **status viae** nuncupatur estque **triplex:** 1. status justitiae originalis seu naturae integrae; 2. status naturae lapsae; 3. status naturae reparatae.

Haec tria nil aliud sunt quam status hominis supernaturalis seu status *naturae elevatae* secundum tria ejus stadia historica, in quibus humana natura vere fuit vel actu est.

Distinguitur enim praeter hunc statum naturae elevatae adhuc dum status hominis naturalis seu status *naturae purae*, in quo natura humana ea tantum bona possidet, quae ad consequendum finem naturalem exiguntur et nihil amplius. Hic status naturae purae, licet per se possibilis, de facto ac historice numquam exstitit. Homo enim statim ab exordio ad finem supernaturalem elevatus, neque etiam per peccatum originale ad statum naturalem relapsus est, cum Deus statim Salvatorem promitteret et per fidem in hunc Messiam homines salvare decerneret.

Nr. 117. Ecclesia cath. de **statu originali** docet: Natura humana ab origine sua triplici gratia erat ornata: animae, corporis ac loci.

Gratia animae erat triplex: gratia sanctificans, scientia infusa donumque integritatis seu immunitas a concupiscentia.

Gratia corporis erat duplex; immortalitas et impassibilitas.

Gratia loci: homo erat in paradiso collocatus perfectumque dominium exercebat in reliquia animantia ac supra omnem terram,

Totus hic status erat **supernaturalis,** et quidem gratia sanctificans erat donum *absolute supernaturale*, quia excedit vires non tantum naturae humanae sed omnis naturae creatae et creabilis; reliqua autem dona, quia, non supra omnem naturam creatam et creabilem, vires et exigentias naturae humanae tantum excedunt, *praeternaturalia* erant. Praeternaturale enim id est, quod licet a natura non exigatur, tamen naturam intra suos limites perficit.

Nr. 118. **Primi parentes in statu sanctitatis et justitiae constituti fuerunt.**

Est *de fide* ex Tridentino sess. 5, can. 1: „Si quis non confitetur primum hominem Adamum, cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem et justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse, anath. sit."

Probatur:

Gens. 1, 26: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*, cujus loci communis Patrum expositio est, ut nomen imaginis ad naturam, similitudinis ad sanctitatem et justitiam referant. — Eph. 4, 23: *Renovamini spiritu mentis vestrae et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis* — quod renovatur, aliquando erat novum, idque vero idem, ait s. Augustinus,[1] quod perdidit Adam per peccatum.

Nr. 119. **Gratiae sanctificanti adnexa** erant duo dona, unum ad intellectum, alterum ad voluntatem pertinens, naempe: perfectio quaedam cognitionis donumque integritatis.

α) **Perfectio** quaedam **cognitionis** erat perfectio potentiae intellectus, vi cujus in exercitio suo negative immunis erat ab errore et positive magna facilitate sese exercebat; in specie habebat protoparens scientiam infusam, i. e. notiones rerum tum naturalium tum supernaturalium a Deo ipso immediate inditas menti protoparentum. Hoc, formaliter quidem non definitum, est *certa doctrina* catholica. Cf. Eccli. 17, 6: *Creavit illis scientiam spiritus, sensu implevit cor illorum et bona et mala ostendit illis.*

Quoad ambitum hujus scientiae communiter dicunt theologi: certo se extendebat ad omnia, quae ratione inveniri possunt, in qua quidem perfectione quemvis eruditum superabat eratque immunis ab errore et dubio, sed erat etiam limitata: non enim comprehendebat Deum nec cognovit futura contingentia libera, quorum causae et praemissae non adsunt, nec cogitationes hominum. Deinde se extendebat quoque ad

[1] De Gen. ad litt. L. 6, c. 26.

supernaturalia: probabiliter cognovit mysterium incarnationis et SS. Trinitatis. Praeterea protoparentes habebant donum linguae, statim enim post creationem loquentes producuntur; ex altera parte vero, si hoc dono fuissent destituti, non perfecti sed immo valde imperfecti fuissent.

β) **Donum integritatis** ratione voluntatis efficiebat, ut immunis esset a concupiscentia, i. e. a dispositione ad motus sensitivos contra ordinem rationis. Conc. Tridentinum de concupiscentia can. 5 dicit: „Ex peccato est et ad peccatum inclinat" — ante peccatum ergo non erat.

Probatur:

1° ex SS. Litteris. Genes. 2, 25: *Erant ambo nudi et non erubescebant* — motus sensitivos ergo non sentiebant.

2° s. Augustinus:[1] Gratia magna ibi erat, ubi terrenum et animale corpus bestialem libidinem non habebat.

3°. Catechismus Romanus:[2] Omnes praeterea motus animi atque appetitiones in eo temperavit, ut rationis imperio nunquam non parerent.

Nr. 120. Protoparentes gaudebant singulari felicitate. Hoc jam ex prioribus consequitur et constat insuper ex dono immortalitatis eis concesso et paradisi loco, in quo erant positi.

Quoad **immortalitatem** dicit s. Augustinus:[3] „Aliud est non-posse mori et aliud posse non-mori." Non posse mori — hanc immortalitatem corpus accipiet in consummatione saeculi, in clarificatione; posse non mori in potentia habet et mori et non mori, prout mandatum Dei observaverit nec ne. Si observasset, Deus vigorem corporis continuo conservasset omniaque removisset, quae homini mortem afferre potuissent. Exinde vero non sequitur, hominem tum in aeternum remansurum fuisse in terra, sed Deus potuisset eum transferre e statu viae in statum termini, etsi translatio illa alio modo esset facta quam morte — quo momento Deus voluisset, corpus fuisset clarificatum.

[1] De civit. Dei. L. 14, c. 26. [2] P. 1, c. 2, q. 19.
[3] De Gen. ad litt. L. 6, c. 20.

Sequitur ex immortalitate, quod protoparens etiam **donum impassibilitatis** habuerit, vi cuius passionibus, aerumnis, doloribus, vexationibus, quae sunt signa mortis, non erat subjectus.

Paradisus denique erat locus corporeus in terra et limitatus; legitur enim Adam cum Eva expulsum fuisse ex illo. Hic paradisi locus amoenus probatur ex traditione omnium populorum de aetate quadam aurea,[1] de statu felici humani generis, quae omnia supponunt fontem communem, ex quo hausta sint.

Nr. 121. Omnia haec dona non fuerunt collata Adamo ut erat singularis persona, sed ut erat totius generis humani caput et naturae humanae principium, in quam transire debebant sub conditione, si protoparens mandatum, quod Deus ei dederat, observaret. Verum protoparentes legem a Deo latam transgressi sunt, suoque peccato, quod in omnes posteros transit, omne genus humanum in cumulum miseriarum dejecerunt.

Hoc est illud ineffabiliter grave **peccatum,** quod **originale** dicitur. Prout fuit in Adamo, appellari solet originale *originans*, quatenus autem simul in posteros transfunditur, originale *originatum:* illud est causa, istud effectus, quae tamen non sunt duo peccata, sed unum peccatum sub diverso respectu consideratum.

De **peccato Adami personali** tria sunt de fide: 1. Deus Adamo dedit mandatum sub mortis poena observandum; 2. homo transgressus est hoc mandatum; 3. sollicitante diabolo homo peccavit, quod definitum est a conc. Lateran. IV: „Homo autem suggestione diaboli peccavit," duo vero priora in concilio Tridentino sess. 5, cap. 1: „Si quis non confitetur primum hominem Adamum, cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem et justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse etc. anath. sit."

In hoc transgressu mandati plura insunt peccata:

α) Interna: 1. peccatum superbiae: voluit etenim protoparens esse similis Deo ratione cognitionis et operationis; 2. peccatum infedilitatis: mulier enim

[1] Cf. *Ovid.* qui Metamorph. L 1, v. 89 canit:
Aurea prima sata est aetas, quae vindice nullo
Sponte sua sine lege fidem rectumque colebat.

credidit serpenti dicenti Deum mendacium comisisse; 3. peccatum gulae: vidit mulier, quod fructus bonus esset.

β) Externa: 4. peccatum inobedientiae per actum externum „tulit"; 5. peccatum scandali et seductionis: deditque viro; 6. Deo quaerente excusare se volebant.

Adamus haec peccata commisit omnia, excepto peccato seductionis; loco hujus in Adamo erat inordinatus amor ad mulierem;

Eva omnibus sensibus peccavit: lingua, colloquendo cum diabolo; pedibus, accedendo ad arborem; visu, aspiciendo fructum vetitum; manibus, corripiendo fructum vetitum; voluntate, credendo verbis diaboli.

Peccatum Adae fuit gravissimum. Id tum ex circumstantiis externis patet, nempe ex statu peccantium, ex facilitate et scopo praecepti, ex sanctione et poenis peccati; tum ex natura illius peccati, quae fuit superbia et inobedientia gravissima, cui accedebant gula, inordinatus appetitus sciendi et quaedam infidelitas. Unde s. Augustinus illud vocat[1] „ineffabiliter grande peccatum".

Nr. 122. **Peccati hujus originalis sequelas** quod attinet, ut in protoparentibus sic quoque in posteris eorum spectentur opus est.

In protoparentibus peccati sequelae sicut dona referendae sunt: spoliati sunt protoparentes supernaturalibus et vulnerati in naturalibus, quin tamen aliquid ad essentiam naturae pertinens speciatim indolem rationalem et moralem amiserint, ita ut hominis lapsi liberum arbitrium attenuatum quidem, non vero exstinctum dici debeat.

Id colligitur ex doctrina conc. Trident. sess. 5. can. 1: „Si quis non confitetur, primum hominem Adam, cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem et justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse incurrisseque per offensam praevaricationis hujusmodi iram et indignationem Dei atque ideo mortem, quam antea illi comminatus fuerat Deus, et cum morte

[1] L. 1, c. Julian., c. 105.

captivitatem sub ejus potestate, qui mortis deinde habuit imperium, hoc est, diaboli, totumque Adam per illam praevaricationis offensam secundum corpus et animam in deterius commutatum fuisse, anath. sit."

Sequelae, quas peccatum primum pro protoparentibus habebat, ad naturam humanam ipsam pertinent hincque pro Adami posteris peccato primo sunt contractae. Attamen non merae peccati primi sequelae ex Adamo in posteros transeunt sed peccatum ipsum hocque ita, ut iidem tamquam veri peccatores nascantur.

Nr. 123. **Existit** ergo **peccatum originale.**

Est *dogma fidei*, definitum in Conc. Milevitano 2do contra Pelagianos, qui dicebant, Adamum posteris non nisi pravo exemplo nocuisse; et iterum in Trident. sess. 5. can. 2, ubi statuitur: „Si quis asserit Adamum . . . mortem et poenas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem et peccatum, quod mors est animae: anath. sit."

Probatur:

1° ex SS. Litteris. Psalm. 50, 7: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum et in peccatis concepit me mater mea;* Rom. 5, 12: *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit et per peccatum mors: et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.*

2° s. Irenaeus:[1] Deum in primo Adam offendimus, non facientes ejus praeceptum: in secundo autem Adam reconciliati sumus, obedientes usque ad mortem facti.

3° argumento praescriptionis: doctrina de originali peccato antiquitus in Ecclesia vigebat, ut Augustinus testatur[2] dicens: Non ego finxi originale peccatum, quod catholica fides credit antiquitus.

4° ex rationibus theologicis, quae praecipuae sunt: α) necessitas baptismi ad salutem, etiam in parvulis; β) exorcismi in baptismi caeremoniis; γ) redemptio omnium per J. Chr. salvatorem: δ) mors et miseriae humanae, quatenus supponuntur poenales.

5° Ratio quidem existentiam peccati originalis

[1] Adv. haer. L. 1, c. 16. [2] De nupt. et concup. L. 2, c. 12.

demonstrare nequit: afferunt nihilominus theologi argumentum congruentiae asserentes: α) Nobilissima hominis facultas est intellectus et voluntas rationalis; congruum ergo esset, ut ignobilior pars sensitiva subjecta sit nobiliori vel ut adsit donum integritatis: β) Suppositum humanum constat ex anima et corpore; nobilior pars, anima, est immortalis; congruum ergo esset, ut animam sequeretur pars minus nobilis in immortalitate. — Ex altera parte a Dei benignitate exspectandum esset, ut hominem sic conderet cum dono integritatis et immortalitatis. Attamen adest concupiscentia et mors, quae nisi sint poena cujusdam culpae, explicari non possunt; cumque poena haec universalis sit, tunc etiam culpa debet esse universalis: congruum propterea est colligere, existere peccatum originale.

Nr. 124. **Mysterium peccati originalis** consistit in eo, quod nascimur vere ac proprie rei culpae, quam nostra physica et personali voluntate non commisimus.

Hoc autem mysterium in triplicem quaestionem resolvi potest, hac ratione: 1. quomodo in Adamo peccaverunt ejus posteri? 2. in quo peccati originalis essentia sita est? 3. quomodo peccatum originale traducitur ad posteros? - Quae quaestiones totidem sunt mysteria a revelatione nobis minime aperta, sed solummodo a Theologis rationibus plus minusve probabilibus dilucidata.

α) Quoad primam quaestionem duplex datur sententia. *Una* statuit omnes homines in Adamo peccasse eo, quod in ipso peccante continerentur, non solum in capite physico, sed etiam ut in morali: quatenus virtute decreti seu „pacti divini" omnes posterorum voluntates, in ordine ad observationem aut violationem praecepti de non edendo pomo vetito, in ipsius Adami voluntate erant constitutae. Hinc fiebat, ut observatio aut violatio istius praecepti eo ipso, quod esset Adamo physice voluntaria, etiam censeretur ejus posteris voluntaria non solum physice voluntate aliena primi parentis, sed etiam moraliter et interpretative, voluntatibus propriis. — *Altera* sententia statuit, homines peccasse in Adamo per hoc simpliciter, quod is esset

eorum caput naturale. Haec est Thomistarum sententia, qui existimant eam esse Angelici doctoris.[1]

β) De secunda quaestione, in quo sita sit peccati originalis essentia, pariter duplex datur sententia. *Prior* statuit, peccatum originale formaliter esse ipsum peccatum in Adamo commissum, prout in reatu seu debito sustinendi odium Dei moraliter perseverat in ejus posteris; *altera* sententia et quidem iterum Thomistarum statuit, essentiam consistere in privatione justitiae originalis, nobis voluntaria voluntate capitis.[2]

γ) Quomodo autem peccatum orig. propagatur? Desuper *prima* opinio erronea est quorundam antiquorum, qui, cum Tertulliano, animas filiorum ex anima parentum per traducem derivari censentes, infectam animam ex infecta anima propagari putabant. — *Secunda* opinio probabilis est eorum, qui peccatum originale hac ratione transfundi censent, ut, supposito pacto explicito vel implicito aut decreto Dei, homines via ordinaria generationis ex Adamo descendant gratia destituti. — *Tertia* item probabilis est Thomistarum, qui statuunt animam justitia originali non donari adeoque contaminari, quia connaturaliter unitur corpori formato ex semine, quod corruptum est, quod s. Augustinus jam docuerat[3] dicens: animam corpori infusam in vase vitiato corrumpi.

Nr. 125. **Peccatum originale est universale.**

Est *de fide*, quam conc. Trident. sess. 5, cap. 4, contra Calvinum sic pronuntiat: „Si quis parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, etiam si fuerint a baptizatis parentibus orti; aut dicit, in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro necesse sit expiari ad vitam aeternam consequendam; unde fit consequens, ut in eis forma Baptismatis in remissionem peccatorum non vera sed falsa intelligatur, anath. sit."

Probatur:

1° Christus Dominus diserte,[4] docet, *cuique*, ut regnum divinum intrare possit necessarium esse, ut

[1] 1, 2, q. 81, art. 1. [2] Cf. Summa 1. 2, q 82, art. 3
[3] Cont. Jul. 5, 3. [4] Joan. 3, 3.

denuo ἄνωθεν, ex aqua et Spiritu s. renascatur, atque Paulus tradit,[1] in *omnes* homines mortem pertransisse per unum hominem, in quo omnes peccaverunt.

2° inter Patres s. Hieronymus:[2] Christiani non nascuntur, sed fiunt.

3° ex ratione: Existit enim peccatum originale, i. e. status peccati non deleti propter originem ex Adamo contractus: omnes vero homines ex Adamo originem ducunt, ergo et omnes habent peccatum originale.

Nr. 126. **Immunes a** peccato orig. autem **sunt Christus** Dominus et beatissima virgo **Maria.**

Distinguenda sunt contractio peccati et debitum illud contrahendi. Contractio fit ipso momento conceptionis, quo anima, simul ac corpori jungitur, inquinatur; debitum autem est necessitas contrahendi peccatum orig. orta ex lege universalitatis, vi cujus omnes, qui originem habent ex Adamo, contrahunt peccatum. — Tempore et natura debitum praecedit contractioni. Debitum enim in Adamo omnes omnino ex Adamo orituri habent, contractionem vero non habent, qui nondum habent originem ex Adamo.

Christus immunis est a peccati contractione, idque eo magis, quo jam immunis est a debito peccati originalis, cum non habeat originem ex Adamo, sed sit supernaturaliter de Spiritu s. conceptus: humana etenim Christi natura subsistit in Verbi divina persona, in quam nec peccatum nec debitum peccati cadere potest. Unde s. Joannes dicit: *Et scitis, quia ille apparuit, ut peccata nostra tolleret et peccatum in eo non est.*

Immunitas B. V. **Mariae** differt ab illa Christi: Deipara enim immunis est tantum a contractione, quae fit momento conceptionis passivae.

Duo praeterea homines sine peccato originali sunt nati: Jeremias propheta et s. Joannes Bapt., uterque in utero sanctificatus itaque ante nativitatem a peccato originali liberatus. Contraxerunt ergo peccatum in conceptione passiva, non sunt a peccato praeservati, sed liberati, licet prius quam nos in baptismate et modo

[1] Rom. 5. 12. [2] Ep. 85, al. 158, n. 5.

extraordinario. Ab horum quoque immunitate differt ea Mariae, quae nullo momento sub peccato erat.

Nr. 127. Beata Virgo **Maria immunis est a peccato originali.**

Est *de fide*, ex bulla Ineffabilis Deus, 8. Dec. 1854, qua immaculatae conceptionis dogma a Pio IX. definitur his verbis: „Auctoritate Domini N. J. Chr., BB. Apostolorum Petri et Pauli ac nostra declaramus, pronuntiamus et definimus, doctrinam, quae tenet beatissimam virginem Mariam, in primo instanti suae conceptionis fuisse singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Jesu salvatoris humani generis, ab omni originalis culpae labe praeservatam immunem, esse a Deo revelatam, atque idcirco ab omnibus fidelibus firmiter constanterque credendam."

Propositio duo complectitur: exemptionem a peccato et exemtionis causam. Quoad exemtionem dicitur α) ab omni originalis culpae labe praeservata immunis atque ideo, quum peccatum originale sit mors animae, gratiae sanctificantis vita ornata. Dicitur β) in primo instanti suae conceptionis, quae verba intelligenda sunt de conceptione passiva et quidem non de passiva *inchoata*, quae sit corporis efformatio, sed de passiva *adaequata*, quae est ipsa animae infusio et vocari solet animatio. Ne unum ergo momentum B. Virgo vel ejus anima in peccato et absque gratia fuit.

Quoad hujus exemptionis causam et rationem dicitur *a)* singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio praeservata, quibus significatur Mariam non jure proprio et virtute sua sicuti Christus, sed Dei gratia a peccato fuisse exemptam, et quidem β) non lege providentiae ordinariae sed singulari privilegio. Hoc vero factum γ) esse dicitur intuitu meritorum Christi, qui propterea sicut universi generis humani ita et matris suae exstitit salvator, sed eminentiori modo eam scilicet non sicut ceteros reparando sed praeservando. Unde intelligitur debitum quoddam saltem remotum contrahendi originale peccatum in Maria fuisse.

Probatur:

1° ex s. Scriptura, tum e. gr. Gen. 3. 15, ubi

inter Mariam et diabolum plane „*singularis*“ inimicitia et perfecta Virginis victoria exprimitur, tum Luc 1, 28, ubi Maria simpliciter et sine restrictione „*gratia plena*“ dicitur, quod non dici posset, si aliquo momento infecta fuisset peccato.

2° ex Patribus, qui licet expresse hoc dogma nondum proponant, tamen implicite et virtualiter illud docent; nam *α)* eam appellant immaculatam, purissimam, sanctissimam etc.; *β)* Maria vocatur: „Virgo ab omni integra labe peccati“ et s. Augustinus[1] scribit: „De s. virgine Maria autem propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, haberi volo quaestionem;“ *γ)* Patres antiquissimi[2] jam urgent oppositionem inter *Evam* et *Mariam*, eo quod illa maledicta esset et maledictionis causa, ista omni ex parte benedicta et benedictionis causa, quae omnia profecto immaculatam conceptionem b. Virginis vel supponunt vel includunt et maxime illustrant.

3° ex festo conceptionis, quod in Ecclesia graeca jam saec. 5° celebratum fuit, in Hispania saeculo 7° celebrari coepit et sic paulatim per totam Ecclesiam propagatum est cujusque objectum non fuit generatim sanctificatio Mariae in utero, quemadmodum nativitas praecursoris celebratur, sed praecise sanctificatio Mariae in ipsa creatione et infusione animae.

4° historia dogmatis, quod primo ab Ecclesia in dogmate maternitatis et omnimodae Mariae puritatis implicite credebatur; deinde exorta controversia[3] difficultatibus aliquamdiu obnubilata; tandem solis instar ex nubibus prodiens in dies magis inclaruit, donec solemni definitione decretorie pronunciaretur.

---

[1] De nat. et grat c. 36, n. 42. [2] Cf. *Tertull.* De carne Chr. c. 17; *Ephraem.* Op. syr. II, 327; s. *Irenaeus*, Or. in s. Deip, n. 11; *Theodot.* ancyr. Haer 78, n. 18 et alii.
[3] Controversia cum s. Bernardo incipit, cum hic literis ad canonicos Lugdunenses conscriptis reprobaret festi institutionem ut propria auctoritate factam, saeculo vero XIII° circa ipsam immaculatam Virginis conceptionem agitari coepit: Primum, ob auctoritatem praesertim s. Bernardi et Magistri sententiarum, opinio privilegio Virginis contraria, inter Scholasticos praevaluit: deinde vero, propugnante perinsigni Doctore Joan. Duns Scoto pia sententia in scholis catholicis paulatim invalescendo obtinuit et festum immac. concept. longe lateque in Ecclesia propagatum est.

5° ex ratione. quae quidem a priori non potest dogma nostrum demonstrare. attamen nullam impossibilitatem potest statuere, potius congruentiam agnoscit, ob quam Dei matri hoc privilegium tribuendum sit. Horum convenientiae argumentorum pleraque reducuntur ad Dei genitricis dignitatem, quae fuit 1. Patris filia, filii mater ac Spiritus s. sponsa; 2. immunis ab omni peccato actuali, estque 3. Regina Angelorum. Quam ob rem totus orbis uno ore semper de Maria Psalmistae verba[1] cecinit: *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.*

Tractatus quintus.

De Verbo incarnato.

Humanum genus peccato corruptum a Deo non penitus abjectum fuit, sed una cum sententia poenae promissionem accepit venturi Redemptoris, quod nobis constat ex Genes. 3. 15: *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius; ipsa conteret caput tuum et tu insidiaberis calcaneo ejus.* Hic autem Redemptor non alius est quam ipse filius Dei, qui, ineffabili mysterio pro nobis incarnatus et homo factus, damna nobis illata reparare et vulnera inflicta per sanctissimam doctrinam, vitam et mortem suam sanare dignatus est.

Quare tractatus hicce in duas dividi potest sectiones, quarum prima de persona Redemptoris, altera de ejus opere, vel quod idem: illa de incarnatione, haec vero de Redemptione agit.

De incarnatione.

Nr. 128. **Incarnatio** intelligitur unio Verbi cum carne seu assumptio naturae humanae a Verbo facta

[1] Psalm. 45, v. 5.

in unitatem personae divinae eum in finem, ut genus humanum redimeret.

Adversarios in hacce doctrina praeter infideles et gentiles habemus complures haereticos: Cerinthianos, Ebionitas, Arianos, Socinianos divinitatem Christi negantes; Doketas et Appollinaristas de veritate naturae humanae detrahentes; Nestorianos et Monophysitas sinistre de unione naturarum duarum cogitantes; Adoptianos et Monotheletas circa filiationem et duplicem in Christo voluntatem errantes.

Est autem *fides recta*, ut credamus et confiteamur, quia Dominus noster Jesus Christus Dei filius Deus et homo est. Deus est ex substantia Patris ante saecula genitus, et homo est ex substantia matris in saeculo natus. Perfectus Deus, perfectus homo ex anima rationali et humana carne subsistens. Aequalis Patri secundum divinitatem, minor Patre secundum humanitatem. Qui licet Deus sit et homo, non duo tamen sed unus est Christus. Unus autem non conversione divinitatis in carnem sed assumptione humanitatis in Deum. Unus omnino non confusione substantiae sed unitate personae. Nam sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus.

Nr. 129. **Jesus Christus, qui in carne apparuit et in terris ut homo conversatus est, verus est Deus.**

Est dogma fundamentale religionis Christianae jam a conc. Nicaeno Io contra Arianos propositum: „Credimus in unum Dom. J. Chr. filium Dei genitum ex Patre unigenitum . . . ex substantia Patris, Deum de Deo, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, consubstantialem Patri."

Probatur:

1° ex SS. Litteris. Isaj. 7, 14: *Ecce virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel;* Isaj. 9, 6: *Parvulus enim natus est nobis et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum eius et vocabitur nomen eius: Admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri saeculi, princeps pacis.* Quoad N. T. valent loci et testimonia allata pro divinitate Jesu Christi in tractatu de SS. Trinitate. Christus ipse se declaravit esse Deum et propter hoc

necatus est: „Nos legem habemus et secundum legem debet mori, quia filium Dei se facit.“ Apostoli illum Deum venerantur et praedicant cultumque divinum illi competere docent;

2° ex unanimi SS. Patrum testimonio sat erit afferre, quae Justinus M. dicit:[1] „Filius, qui proprie filius dicatur, Verbum antequam mundus crearetur, quod una cum eo aderat, et genitum est, cum per illud initio omnia condidit et creavit; hic inquam filius . . . Christus vocatur.“

3° Testantur idipsum actus martyrum, doxologiae et cultus Ecclesiae Christo exhibitus.

Nr. 130. **Jesus Christus, qui est verus Deus, in tempore in mundo apparens, est verus et perfectus homo.**

Est *de fide* ex Symbolis Ecclesiae nec non ex conc. Chalcedon. act. 5: „Sequentes igitur s. Patres constanter omnes docemus, eundem Jesum Christum perfectum in deitate et eundem perfectum in humanitate. Deum vere et hominem vere, eundem ex anima rationali et corpore, consubstantialem Patri secundum divinitatem. et consubstantialem nobis secundum humanitatem per omnia nobis similem absque peccato.“

Sicuti fuerunt, qui Jesum Christum solum hominem esse contenderent, ita e contra surrexerunt, qui Christi veram humanitatem negabant. 1. Doketae, qui Christi corpus non verum sed fictum, phantasticum sumpserunt: Phantasiastae, Manichaei, omnem materiam malam esse praedicantes: 2. alii corpus Christi aethereum fuisse contendebant, quod per Mariam quasi per canalem transierit: Valentiniani, Apollinaristae, Anabaptistae, Quakeri; 3. alii animam intellectivam in Christo negabant: Ariani, Apollinaristae; 4. Monotheletae voluntatem humanam reprimentes; 5. Incorrupticulae, qui Julianum Halicarnassensem sequuti, Christi corpus impassibile fuisse dicebant. Contra hos jam propositio nostra

Probatur:

1° in SS. Litteris vocatur Christus expresse homo.

[1] Apolog. 2, n. 6.

filius hominis et talia ei adscribuntur, quae nonnisi de vero et perfecto homine dici possunt. *α)* Verum habuit corpus humanum, cf. Isaj. 7, 14: *Ecce virgo concipiet et pariet filium;* Gal. 4, 4: *Misit Deus filium suum factum ex muliere;* Luc. 24, 39: *Videte manus meas et pedes meos, quia ego sum: palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet sicuti me videtis habere.* — *β)* Christus habuit animam rationalem; cf. Luc. 23, 46: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum;* Matth. 26, 38: *Tristis est anima mea usque ad mortem:* Luc. 28, 46: *Proficiebat sapientia et gratia apud Deum et homines.* — *γ)* Christus est nobis prorsus consubstantialis, cf. Phil. 2, 7: *Semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo.*

2° 88. Patres variis argumentis hanece veritatem contra diversos haereticos defendunt; s. Augustinus dicit:[1] „Videte absurditatem et insaniam non ferendam: animam irrationalem eum habuisse voluerunt, rationalem negarunt; dederunt ei animum pecoris, subtraxere hominis."

Rationes s. Patrum fere sunt sequentes: *α)* Christus expresse homo dicitur; ad hominem vero pertinet et verum corpus et anima rationalis; *β)* Christus debuit esse mediator inter Deum et hominem; hinc non minus perfectus Deus ac perfectus homo esse debuit; *γ)* diabolus vicit naturam humanam; hinc iterum naturâ humana perfecta superari debuit, ergo Christus perfectus homo esse debuit quoad corpus et animam; *δ)* valet axioma: „Quod non est assumptum in Christo et a Christo, non est sanatum; ergo si aut corpus vere humanum aut anima vere rationalis humana in Christo defuisset, natura humana ex hac vel illa parte non fuisset redempta.

3° accedit rationis argumentum: quod nisi Christum perfectum hominem credamus, omne meritum redemptionis evaneseit. Christus vices hominum gessit pro hominibus Deo satisfecit. Sicuti demeritum peccati a libera pendebat voluntate humana, ita meritum quoque Christi tunc tantum valet, si eu homo libera eum

[1] In Joan. tract. 47, n. 9.

voluntate passus est. Voluntas ergo vere humana, hincque anima humana rationalis in Christo adesse debuit.

Nr. 131. Qua homo perfectus **Christus omnibus affectionibus corporis humani,** quae naturae sunt propriae et communes, uti fames, sitis, defatigatio, mors, **obnoxius erat,** prouti revera SS. Litterae exhibent.

Ab hisce affectionibus communibus distinguendi sunt particulares, morbi, defectus corporales; has Christus non assumpsit. Huiusmodi defectus in Christo erant naturales et non per miraculum, quatenus nempe Christus sine peccato modo supernaturali fuit conceptus et hinc etiam aerumnis et defectibus naturae, quae ex peccato sunt, naturaliter non potuisset esse obnoxius.

Defectus porro, licet sint natura necessarii, tamen aliquo modo a Christo Domino voluntarie sunt suscepti et quidem α) quoad voluntatem divinam, quatenus eos, cum ipse eos peccato non contraxerit, impedire potuisset. Porro impassibilitas, si respicimus statum gloriae animae Christi et rem in se spectamus, necessario humanitati Christi fiusset connaturalis, in quantum nempe gloria animae redundasset in corpus. Ast „beneplacito divinae voluntatis permittebatur carni pati et operari, quae propria“ (Damascen.) ut Christus assumeret plenum statum viatoris sicque carne passibili genus humanum redimere posset, et sub hoc respectu erat passibilitas quam maxime naturae conveniens; β) quoad voluntatem humanam erant voluntarii, in quantum Christus omnia, quae passus est et faciebat, lubentissime acceptavit; aerumnas et labores ex parte libera voluntate appetiit, uti ieiunium quadragenarium, et ipsam passionem libere suscepit se inimicis tradens; denique quatenus, quae divina voluntate et potentia arcere potuit, non arcuit.

Quod affectiones animae attinet, erant in Christo passiones sed nonnisi tales, quae ab omni vitio prorsus erant liberae, quae non sunt ex peccato nec inducunt ad illud. Numquam orta est pugna illa, quam in nobis decertant caro et spiritus.

Nr. 132. **Jesus Christus de Spiritu s. conceptus et ex Maria virgine natus est.**

Spiritus s. immediata operatione conceptionem in utero b. Virginis effecit formans corpus humanum et creans animam Christi eamque infundens. Cum opera SS. Trinitatis externa sint indivisa, *conceptio* Christi non nisi per appropriationem Spiritui s. adscribitur. Incarnatio efficienter toti SS. Trinitati est tribuenda, terminative tantum ad secundam personam divinam spectat, in quantum haecce carnem ex Maria assumpsit. Christus porro natus est ex Maria salva omnino eius integritate virginali. *Virginitas* haec non est intelligenda mentalis sed materialis, in quantum nec sigillum virginitatis materiale in conceptione est laesum seu violatum nec uterus in partu est apertus sed mansit clausus per miraculum. Habuit tum corpus Christi tum corpus b. Virginis proprietates corporis glorificati.

Propositio est *de fide* ex Symbolo Apost.: „Qui conceptus est de Spiritu s., natus ex Maria Virgine," nec non ex conc. Chalced. act. 2 et 5: „Conceptus est de Spiritu s. intra uterum matris Virginis, quae illum salva virginitate edidit, quemadmodum salva virginitate concepit."

Probatur:

1° ex SS. Litteris Isaj. 7. 14: *Ecce virgo concipiet et pariet filium.* Evangel. Matthaeus narrata mirabili conceptione subdit: *Hoc autem factum est, ut adimpleretur, quod dictum est per prophetam dicentem: Ecce virgo in utero habebit et pariet filium et vocabunt nomen eius Emmanuel;* Lucas autem habet: *Inventa est in utero habens de Spiritu sancto. Quod in ea natum est, de Spiritu s. est.*

2° SS. Patres virginitatem b. Mariae tum ante tum post partum defendunt; varie rem illustrant, e. gr. radiis solis, qui per cristallum penetrant; comparant Mariam cum rubo ardente et non combusto; dicunt eam esse portam Ezechielis non aperiendam; vocant eam semper Virginem. S. Leo dicit: „B. virgo filium suum salva virginitate edidit, quemadmodum salva virginitate conceperat."

3° ratio theologica est duplex: α) Christus naturaliter non potuit concipi fuitque quam maxime conveniens, ut salvaretur et conservaretur virginitas b

Mariae; nam Christus est redemptor generis humani, et cum venisset redimere a peccato, non potuit ipse inquinare peccato vel etiam mero reatu peccati per conceptionem naturalem ex semine Adae; — β) Christus venit in mundum, ut auferret corruptionem ex eo. Congruum ergo, ut per incarnationem virginitas b. virginis non laederetur. Insuper honor et decor b. Mariae exposcit, ne Christi nativitate virginale decus auferatur.

Nr. 133. **Beata Maria etiam post partum virgo permansit.**

Est *de fide* ex conc. Lateran. I: „Si quis secundum s. Patres non confitetur proprie et secundum veritatem, Dei genitricem absque semine concepisse ex Spiritu sancto et incorruptibiliter eum genuisse indissolubili permanente et post partum eius virginitate, condemnatus sit."

Probatur:

1° ex SS. Litteris. Maria, cum angelus ei maternitatem Christi annuntiaret, dicit: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Haec verba, nisi ea interpretemur de firmo proposito seu voto numquam viri cognoscendi seu perpetuae virginalis castitatis, non habent sensum. Non obstat matrimonium cum b. Josepho initum, quod de jure omnino erat ratum, licet non fuerit unquam consummatum. Immo hoc matrimonium fuit ex hac parte necessarium, ut honor b. Virginis coram hominibus salvaretur.

2° s. Augustinus dicit:[1] „Quem virgo concepit, quem virgo peperit et virgo permansit."

Si **objiciunt** adversarii s. Litteris commemorari „fratres" Christi, dicendum hosce, ut patet ex ipsis SS. Litteris et traditione s. Patrum, fuisse consanguineos.

Si apud Matth. legimus: „Non cognovit eam, donec peperit filium suum primogenitum," non sequitur exinde, postea Josephum b. Mariam cognovisse; nam particula „donec" tantum significat, aliquid non fuisse factum usque ad terminum temporis, non habito respectu, utrum postea factum fuerit nec ne.

Si Christus vocatur „primogenitus" Mariae,

[1] Serm. 231, n. 3.

primogenitus intelligendus est uti alias unigenitus. Si Maria vocatur mulier, hocce verbo tantum sexus indicatur sine speciali conditione eiusdem.

Nr. 134. Cum supra esset probatum Christum esse verum Deum et verum hominem, quaeritur nunc **de modo unionis duarum naturarum.**

1. Duo sunt praecipui *errores:* Nestorianismus et Monophysitismus.

Nestorius contendit in Christo fuisse duas personas, divinam et humanam; unionem harum quidem esse inseparabilem sed nonnisi per inhabitationem vel assumptionem et indutionem; porro secundum affectum et inoperationem negavit omnem unionem substantialem seu *καθ' ὑπόστασιν* et nonnisi unam personam moralem admisit non physicam. Exinde sequitur eius doctrina Mariam non dicendam esse proprie *Θεότοκον* sed potius *Χριστότοκον;* non filium virginis adorari sed cum filio Dei coadorari, veluti honoratur pallium regium propter regem.

Eutyches pater Monophysitismi in oppositum aberravit, post unionem nonnisi unicam naturam in Christo statuens. Hanc unionem intelligunt alii uti absorptionem humanae naturae per divinam: alii per mixtionem et confusionem ex utraque; alii sumunt divinitatem ceu formam humanitatis; alii affirmant exstinctionem utriusque naturae et originem novae tertiae.

Ad Nestorium accessit Güntherus, qui item non unionem numericam et realem sed dynamicam et formalem in Christo admisit. Ex mutua conscientia duarum personarum divinae et humanae, quae se sciunt ad invicem coniunctas, exsurgit una persona formalis, relativa. Quoad voluntatem Christi admisit quidem immunitatem ab omni labe peccati sed non impeccabilitatem, cum *τὸ* posse peccare pertineat ad liberam hominis voluntatem.

Sureuli praedictorum errorum sunt: Adoptianismus episcoporum Felicis et Elipandi, qui docuerunt: Christum ceu hominem esse solum filium Dei adoptivum; et Monotheletismus, cuius sectatores unam tantum voluntatem et unicam operationem in Christo credebant.

2. Priusquam doctrinam catholicam exponamus, breviter de diversis generibus unionis loquamur.

Unio spectari potest ratione partium componentium et ratione compositi.

Compositio fieri potest *α*) ex rebus integris, quae post unionem integrae manent; *β*) ex integris, quae transmutantur sive per conversionem sive per mixtionem; *γ*) ex imperfectis, quae non mutantur, sed per unionem complementum suum accipiunt.

Ratione compositi est unio *α*) physica vel moralis; *β*) substantialis vel accidentalis.

Phgsica est, si partes compositum physicum constituunt; et haec potest esse extrinseca, si partes externe tantum sunt conjunctae; intrinseca, si partes in se influunt seque invicem compenetrant vel unum totum substantiale efficiunt. *Moralis* est unio, quae locum habet in entibus moralibus et morali relatione nititur. Per unionem substantialem fit unum ens substantiale; in altera, *accidentali* scil. unione, compositum, etsi substantialiter non sit unum, per accidens tamen uti unum considerari potest, v. gr. instrumentum et manus.

Unio substantialis est quadruplex: 1. integralis, qua partes integrantes coalescunt ad unum totum; 2. naturalis inter formam substantialem et materiam; 3. subsistentialis inter naturam et subsistentiam; 4. hypostatica (personalis), qua sola natura ex una parte cum natura subsistente ex altera parte coniungitur ita, ut utriusque naturae fiat una subsistentia. Duae substantiae quoad naturam completae et completae manentes post unionem coniunguntur seu conveniunt sub una subsistentia ita, ut unum constituant suppositum, unam personam. Talis est unio naturarum in Christo. Est nempe doctrina catholica de fide:

Nr. 135. **Jesus Christus, Deus et homo, una est persona eaque divina, unum subiectum physicum.**

Est *de fide* ex omnibus symbolis, quae habent: „Credo in unum Dominum Jesum Christum filium Dei unigenitum," nec non ex conc. Chalcedonensi, quod contra Nestorium expresse sancivit acta concil. Ephesini confirmantis: „Confiteri docemus unum eundemque Christum filium Dei, Dominum unigenitum in duabus naturis inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter

agnoscendum, numquam sublata differentia naturarum propter unionem, magisque salva proprietate utriusque naturae et in unam personam atque subsistentiam concurrente, non in duas personas partitum aut divisum, sed unum eundemque filium et unigenitum Deum Verbum Dominum Jesum Christum."

Probatur:

1° ex SS. Litteris, quae loquuntur de Jesu Christo Deo-homine stricte qua de uno subiecto; e. gr. Joan. 3, 13: *Nemo ascendit in coelum, nisi qui descendit de coelo, filius hominis, qui est in coelo;* Joan. 1, 14: *Et verbum caro factum est et habitavit in nobis, et vidimus gloriam eius gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis;* Phil. 2, 5: *Hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo Jesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, et habitu inventus ut homo.*

2° Clemens Rom. dicit:[1] „Deus noster Jesus in utero gestatus est a Maria."

3° ex ratione: si in Christo Jesu, qui est Deus simul verus et perfectus homo, nonnisi unica est persona, haecce iam necessario divina est ex eo, quod Verbum suam personalitatem, quam habuit ab aeterno, non potuit dimittere.

Nr. 136. **In Jesu Christo sunt duae naturae integrae, inconfusae, impermixtae.**

1° Supra evictum est, Jesum Christum esse verum et perfectum Deum nec non verum et perfectum hominem. Deus esse non potest sine natura divina, non homo sine perfecta ac integra natura humana. Si in unione hypostatica humana natura transiisset in divinam, non esset amplius verus homo, et vice versa non verus Deus. Si autem natura humana et divina transiissent in novam tertiam, Christus nec Deus nec homo esset.

2° Patres concilii acclamantes susceperunt Leonis P. epistolam, in qua scriptum erat: „Salva igitur proprietate utriusque naturae et substantiae et in unam coëunte personam suscepta est a maiestate humilitas . .

[1] Ep. 1 ad Cor. c. 2.

In integra ergo veri hominis perfectaque natura verus natus est Deus, totus in suis, totus in nostris."

Nr. 137. Demonstrata unione hypostatica duarum naturarum integrarum et inconfusarum pauca **de modo et tempore unionis sunt dicenda:**

1. Unio non est accidentalis sed substantialis. Duae enim substantiae integrae uniuntur in aliquid substantialiter et simpliciter unum.

2. Naturae nonnisi mediante hypostasi uniuntur. In sententia contraria fundamentaliter consistebat error Monophysitarum. In unione naturarum immediata necessario una natura in alteram transire debuisset et tota s. Trinitas incarnata fuisset.

3. Non uniuntur duae hypostases divina et humana, sed est unio naturae humanae propria personalitate carentis ad personam divinam. S. Patres docent naturam humanam numquam pro se propria personalitate substitisse, sed statim ab initio factam esse propriam divinae personalitatis Verbi.

Et sane si humanitas propriam habuerat personalitatem, haec post incarnationem aut mansit aut cessavit. Si prius, duae in Christo sunt personae, quod est contra fidem; si alterum, revera nonnisi natura humana ad personam divinam uniebatur.

4. Non detractat quidquam de veritate vel dignitate naturae humanae, quod non habet propriam personalitatem. Subsistentia non est pars essentialis naturae humanae sed perfectio, qua fit tantummodo propria alicuius et per se subsistens. Humana natura in Christo utique capax esset propriae subsistentiae, et si a Verbo dimitteretur, certe iuxta s. Patres inciperet propria subsistere personalitate. Quoad dignitatem naturae humanae in Christo observat s. Thomas: „Dignius est alicui, quod existat in aliquo se digniore quam quod existat per se."

5. Unio hypostatica primo instanti conceptionis facta numquam dissoluta fuit et permanet indissolubilis in aeternum.

Licet per se fuerit possibile Verbum hominem iam existentem sibi proprium assumpsisse destructa eius personalitate, SS. Litterae nihilominus non obscure indicant, naturam humanam in ipsa conceptione Verbo

fuisse unitam. Isaj. 7. 14: *Ecce virgo concipiet et pariet filium et vocabitur nomen eius Emmanuel;* Luc. 1. 35: *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei;* Gal. 4, 4: *Misit Deus filium suum factum ex muliere.* Leo M. dicit:[1] „Natura nostra non sic assumpta est, ut prius creata post assumeretur, sed ut ipsa assumptione crearetur." Patet quoque ex symbolis.

6. Unio tempore passionis et mortis non fuit dissoluta; secus non Deus-homo passus esset et mortuus et valor redemptionis evanesceret. Sanguis quoque Christi Verbo hypostatice fuit unitus, post mortem in unione mansit et resurrexit.[2]

7. Unionem semper perdurare in aeternum est *de fide* ex Concil. Calcedonensi et Apostolo, qui ad Hebr. 13, 8 scribens dicit: *Jesus Christus heri et hodie ipse et in saecula:* non enim Christus amplius idem, si unio solveretur.

Ex duabus veritatibus fundamentalibus de incarnatione, in Christo esse unam personam, duas autem naturas integras, fluunt tres aliae, quae sunt pariter de fide, et quidem:

Nr. 138. **Christus etiam uti homo est filius Dei naturalis, non adoptivus.**

Probatur:

1° ex SS. Litteris. Rom. 8. 32: *Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Christus ut homo est passus et mortuus: hinc ut homo hicce vocatur filius Dei proprius.

2° nomen filii spectat ad personam, non ad naturam; filiatio est proprietas personalis. Si ergo duplicem filiationem naturalem et adoptivam assumimus, duplicem personam credere debemus. Adoptio est assumptio personae extraneae in filiationem. Christus autem uti homo non est persona aliena a Verbo: hinc de adoptione sermo esse nequit.

[1] Ep. 25 ad Julian. c. 3.

[2] Magno aestu olim disputatum est Dominicanos inter et Franciscanos num triduo mortis Verbum unitum remanserit sanguini in cruce effuso: *Pius II* decretum edidit 1461 ne hac de re disputarent donec quaestio a S. Sede dirimita fuisset: numquam vero dirimita fuit. Probabilius videtur Verbum unitum remansisse sanguini, qui resurrectionis tempore resumendus erat. Cf. Denz.-Bann. n. 718.

3° veritas continetur symbolis: „Credo ... in unum Dominum nostrum Jesum Christum, qui ... incarnatus est de Spiritu s. ex Maria Virgine et homo factus est.“ Synodus Francoford. anno 794 decrevit Christum in utraque subsistentem natura filium Dei proprium et naturalem esse, non adoptivum.

Nr. 139. **Duplex est in Christo voluntas et duplex operatio.**

Est *de fide* ex conc. Constantinop. III.: „Duas naturales voluntates in eo (Jesu Christo) et duas naturales operationes indivise, inconvertibiliter, inseparabiliter, inconfuse secundum SS. Patrum doctrinam aeque praedicamus.“

Probatur:

1° ex SS. Litteris actiones duplicis generis in Christo nobis exhibentibus. Legimus eum nutu aegros sanasse, daemones ejecisse, ventis imperasse. Statim iuxta haec videmus Christum sitientem, patientem, morientem, tristitia affectum. Priores *actiones* certe ad naturam divinam pertinent, alterae ad humanam. De humana *voluntate* porro cogitandum est, quando legimus Christum satisfecisse, obediisse, meruisse, quae omnia nonnisi voluntate humana elici possunt. Insuper SS. Litterae expresse duplicem voluntatem in Christo ostendunt. Joan. 5, 30: *Non quaero voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me;* Luc. 22, 42: *Pater, si vis, transfer calicem istum a me; verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat.*

2° SS. Patres ubique duplicem voluntatem et operationem in Christo praedicant. S. Ambrosius:[1] „Numquid una operatio potest esse, ubi diversa substantia?“ S. Joannes Damasc.:[2] „Cum duae in Christo naturae sint, duas quoque in Christo actiones dicere necesse est.“

3° ex ratione: natura est principium quo, suppositum principium quod actionis. Actiones tribuuntur suppositis, eliciuntur naturis. Cum in Christo sint duae naturae, duplex in illo est operatio, duplex principium quo; cum autem Jesus Christus Deus-homo nonnisi

[1] Ad Grat. 3, c. 2. [2] De fide Orthod. L. 3, c. 13.

unica sit persona, unum est tantum principium quod, unus est operans, Jesus Christus Deus-homo, qui modo divino operatur secundum et per naturam divinam, modo humano secundum et per naturam humanam. Ex integritate naturae humanae sequitur, voluntatem humanam plane fuisse liberam, et in Christo fuisse etiam appetitum sensitivum.

In duplicitate voluntatis minime aderat aliqua contrarietas. Synodus VI. definivit: „Praedicamus duas naturales voluntates non contrarias sed sequentem eius humanam voluntatem et non resistentem vel reluctantem, sed potius subjectam divinae eius atque omnipotenti voluntati."

Licet duplex sit operatio, artissima connexio propter unitatem personae statuenda est. Triplex genus operationum distinguitur: 1. operationes divinae; 2. operationes humanae; 3. operationes, quae per naturam humanam divina voluntate perficiebantur. Quia unus est operans Deus-homo, operationes *θεανδρικαί* Dei-viriles nominari possunt, praeprimis operationes tertii generis, quia in hisce natura humana concurrit ad operationes divinas.

Nr. 140. **B. V. Maria vere et proprie est Dei genitrix.**

Est *de fide* ex Concil. Ephesin. Act. 5: „Si quis non confitetur Emmanuelem vere Deum esse et ob id s. Virginem Deiparam, anathema sit."

Probatur:

1° SS. Litterae expresse vocant Mariam matrem Domini, i. e. Dei, v. gr. Luc. 1. 43: *Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me?*

2° SS. Patres numquam non huncce supremum titulum honoris b. Virgini tribuerunt. S. Gregorius Naz.: „Si quis sanctam Mariam Deiparam non credit, extra divinitatem est." Teste s. Cyrillo Alexdr. Julianus Apostata exprobravit Christianis: „At vos Mariam *θεότοκον* vocare non cessatis."

3° ex ratione: terminus generationis non est natura, sed persona seu natura pro se existens. Cum autem in Christo unica sit persona eaque divina, B. V. Maria, licet divinitatem non pepererit, tamen, quia

Christus Deus-homo secundum naturam humanam ex ea sumpsit originem, vere et proprie est Deipara.

Nr. 141. Expositis veritatibus essentialibus incarnationis D. n. Jesu Christi consectaria quaedam sunt tractanda: communicatio idiomatum, cultus et adoratio Christi humanitatis et SS. cordis, animae Christi sanctitas et scientia.

Quid in specie **communicatio idiomatum** sit, explicatur ex vocabulorum sensu.

Idioma significat proprietatem; communicatio est veluti transfusio seu translatio proprietatum unius naturae in alteram propter unionem hypostaticam. Singulae ergo naturae habent proprietates: 1. proprias et naturales; 2. translatas.

Communicatio idiomatum **distinguitur:**

1. verbalis, quae fit quoad verbum tantum, tropice, in quantum proprietates unius naturae praedicantur de altera ob unionem accidentalem, moralem et externam; 2. realis, i. e. translatio vera propter unionem substantialem.

Realis iterum duplex est: α) in abstracto, si natura praescindendo a persona spectatur, v. g. humanitas est aeterna; β) in concreto, si directe consideratur hypostasis, indirecte natura, v. g. homo Jesus est aeternus.

Errabant praeter Nestorium, qui communicationem nonnisi verbalem admisit, Monophysitae realem in abstracto praedicantes. Lutherani tribuebant humanitati in se spectatae omnipotentiam, omniscientiam et omnipraesentiam ad explicandam praesentiam corporis Christi in omnibus hostiis consecratis. Ecclesia catholica admittit communicationem idiomatum realem in concreto.

Nr. 142. **Admittenda est in Christo idiomatum communicatio in concreto, non vero in abstracto.**

Doctrina haecce Symbolis continetur: „Credo in Jesum Christum unicum Dei filium ... qui natus est ex Maria virgine, passus, crucifixus, mortuus."

Probatur:

1° ex SS. Litteris, quae ipsae talem communicationem ostendunt. Act. Apost. 3, 15: *Auctorem vitae*

interfecistis; Joan. 3, 16: *Deus animam suam posuit pro nobis.*

2° ex Patribus e gr. Gregorius Nyss. dicit:[1] „Propter exactam assumptae carnis assumentisque divinitatis unitatem mutuo nomina permutantur, ut quod humanum est, divino, quod divinum est, humano nuncupetur."

3° ex ratione, breviter sic: α) sive Deus sive homo vocetur Christus, semper intelligimus unam eandemque personam in duobus naturis subsistentem. Hinc de ipso homine ceu persona simul habente naturam divinam, quae sunt naturae divinae, et de ipso Deo ceu persona simul habente naturam humanam, quae sunt naturae humanae, praedicari possunt; β) communicatio in abstracto non potest adhiberi, quia tunc praedicatum non est idem ac subiectum ideoque, quae enuntiantur, sunt falsa, e. g. humanitas est aeterna. Humanitas enim et divinitas sunt formae separatae et se habent ad concretum veluti partes ad totum saltem sensu metaphysico. SS. Litterae ipsae hanc excludunt, e. g. humanitati Christi omnipraesentiam abnegantes, ex. gr. Joan. 11, 14: *Lazarus mortuus est, et gaudeo propter vos, quoniam non eram ibi, sed eamus ad eum;* vel Luc. 24, 51: *Et factum est, dum benedicit illis, recessit ab eis et ferebatur in coelum.*

Insuper praedicata infinitatis: omnipotens, omniscius, omnipraesens, non possunt praedicari in abstracto de humanitate, quia nullomodo nec per gratiam finitum infiniti est capax, et ipsum infinitum sit ipsa divinitas.

Nr. 143. **Homo Jesus Christus adorandus est cultu latriae.**

Propositio, cujus est sensus, quod ipsa Christi humanitas, quatenus est natura Verbi, eadem adoratione latriae absoluta est adoranda cum Verbo, est *de fide* ex Nicaeno II° act. 5: „Cum Christus adoratur, non separatur humanitas a divinitate, sed utraque ut unum adoratur."

Contra Wicleffitas, qui cum Nestorianis humanitati relativam tribuunt adorationem; nec non contra

[1] Ep. ad Theoph.

Socinianos Christum uti legatum divinum venerantes, veritas propositionis Christianae-Catholicae

probatur:

1° ex SS. Litteris. Matth. 28, 17: *Ed videntes eum adoraverunt;* Philip. 2, 6 sq.: *Propter quod et dedit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur coelestium, terrestrium et infernorum et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus est in gloria Dei Patris;* Apoc. 5, 12: *Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem et divinitatem.*

2° s. Athanasius dicit:[1] „Neque corpus a Verbo dividentes seorsum adoramus, neque Verbum adorare volentes ipsum longe a carne disiungimus: sed cum sciamus, Verbum carnem factum esse, hoc ipsum etiam in carne positum Deum agnoscimus. Quis igitur ita desipit, ut Domino dicat: Recede a corpore tuo, ut te adorem."

3° ex ratione: cultus enim, qui Christo defertur, ad personam spectat cum omnibus, quae in ea sunt et ad eam pertinent. Ad personam Verbi pertinet quoque humanitas, ergo humanitas quoque est adoranda.

Nr. 144. Si differentiam cultus divinitatis et humanitatis respicimus:

1° non est discrimen ratione actus; uterque cultus est absolutus et directus; nam cultus humanitati in se spectatae defertur, licet non adoretur propter se. Christus unice tantum cultu latriae potest coli et non simul cultu inferiore hyperduliae propter sanctitatem specialem.

2° non est discrimen quoad formale objectum cultus; divinitas colitur propter excellentiam divinam, humanitas propter personam divinam.

3° est vero discrimen quoad objectum materiale: divinitas est objectum primarium cultus latriae et adoratur propter se; humanitas est objectum secundarium et adoratur propter unionem cum Verbo.

Annexe ad haecce loquendum est breviter de cultu SS. Cordis Jesu et valet:

[1] Ep. ad Adelph.

Nr. 145. **Cultus SS. Cordis Jesu, sicuti apostolica gaudet approbatione, non solum est probandus, sed omnibus quam maxime commendari debet.**

Cultus est minime superstitiosus: cor est pars humanitatis et sicut haec absolute adorandum cultu latriae.

Propositio est *certa*, ut patet ex censura duplici[1] lata a Pio VI° in Constitutione Auctorem fidei ad propos. 62am et 63am Synodi Pistoriensis, simulque ex decreto s. Congregationis rituum, dato 6. Febr. 1765 ad Episcopos Poloniae, et ex ipso officio SS. Cordis.

Cultus enim sanctissimi Cordis Jesu, cujus adversarii exstiterunt praecipue Jansenistae calumniantes, ac si catholici Cor Jesu veluti avulsum a persona Verbi ac proinde puram creaturam adorarent, **objectum** *materiale*, seu id quod colitur, est ipsum Cor Jesu verum et carneum, quod actu in pectore Dei-hominis palpitat, cor proinde personae Verbi incarnati, a qua nequaquam separatur aut separari potest.

Objectum *formale*, seu motivum speciale, propter quod colitur, est multiplex. Colitur enim Cor Jesu ab Ecclesia:

1° quia est sedes affectionum, quas Dominus nos ab ipso vult mutuari, dicens:[2] *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.*

2° cor ex mente omnium symbolum est infiniti amoris redemptoris, qui dilexit nos omnes usque in mortem.

3° cor Jesu Christi certe aptissimum est, ut in nobis mutuum inflammet amorem: „Equis enim tam durus et ferreus sit, quin moveatur ad redamandum cor illud suavissimum ideo transfixum et vulneratum lancea, ut animus ibi noster quoddam quasi latibulum ac perfugium habeat, quo se ab hostium incursione insidiisque recipiat ac tueatur? Equis non provocetur ad prosequendum omni observantiae studio cor illud

[1] Prior his verbis concepta est: „Doctrina, quae devotionem erga sacratissimum Cor Jesu rejicit inter devotiones, quas notat synodus velut novas erroneas aut saltem periculosas: intellecta de hac devotione, qualis est ab apostolica Sede probata: falsa, temeraria, perniciosa, piarum aurium offensiva, in apostolicam Sedem injuriosa." [2] Matth. 11, 29.

sacratissimum, cuius ex vulnere aqua et sanguis fons scilicet nostrae vitae et salutis influxit?“ [1]

Cultus hic publicus et solemnis B. Margarithae **Alacoque** († 1690) originem debet, ut in Brevi ejus beatificationis declarat Summus Pontifex Pius IX. Quoad rem etenim et privatim inde jam a prioribus saeculis non defuerunt hujus cultus vestigia in Sanctis, uti sunt Joannes Evangelista, Augustinus, Bernardus, Bonaventura, Franciscus, tum Assisiensis tum Salesius, et SS. virgines Catharina Senensis, Theresia, Maria Magd. de Pazzis, Gertrudis Islebensis, Mechtildis Magdeb. aliaeque.[2]

Nr. 146. Juxta doctrinam catholicam duae naturae in Christo manent inconfusae, Attamen humanitas Christi salva eius integritate vi hypostaticae unionis specialibus et excellentibus donis fuit exornata, quae praeprimis ad eius sanctitatem, scientiam et potentiam spectant.

Christus immunis fuit ab omni peccato tum originali tum actuali et absolute fuit impeccabilis.

Est *de fide* iuxta Concil. Ephesinum: „Qui dicit, quod pro se obtulisset semetipsum oblationem et non potius pro nobis — non enim eguit oblatione, qui peccatum omnino nescivit, anath. sit,“ et Concilii VI^ti Act. 8. definitionem: „Humanam impeccabilem voluntatem assumpsisse Dominum nostrum Jesum Christum.“

Probatur:

1° ex SS. Litteris. Joan. 8, 46: *Quis ex vobis arguet me de peccato;* Hebr. 7, 26; *Talis enim decebat ut nobis esset pontifex: sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus et excelsior coelis factus;* 2 Cor. 5, 21: *Qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fuit*, quibus locis certe omne peccatum vel umbra peccati sive originalis sive actualis excluditur.

2° SS. Patres passim utramque veritatem enuntiant. S. Augustinus dicit:[3] „Quisquis credit, carnem Christi contra spiritum concupivisse, anath. sit.“ Cyrillus Alexdr. scribit, Christum sortitum fuisse ex-

[1] *Pius* IX. in Brevi 19. August 1864. [2] Cf. Die Herz-Jesu-Verehrung des deutschen Mittelalters von K. Richtstätter S. J., Verlag Kösel-Pustet. [3] Op. imp L. 4 c. 47.

imiam naturae divinae praerogativam, nimirum non posse peccare.[1]

3° ex ratione theologica. Immunitas peccati originalis insuper inde sequitur, quod Christus modo supernaturali generi humano insertus est, ut ne remotum quidem reatum peccati Adae contraxerit.

Impeccabilitas Christi sequitur ex unione hypostatica. Actiones sunt suppositorum; hincque si in Christo homine fuisset possibilitas peccandi, peccatum in Verbum redundasset. Impossibilitas peccandi non repugnat liberae Christi voluntati humanae. „Malum velle nec est libertas, nec pars libertatis, quamvis sit quoddam signum libertatis.[2] Cum fomes peccati nonnisi sit ex peccato, ab hocce quoque Christus immunis est credendus. Si in SS. Litteris legimus Christum fuisse tentatum a diabolo, minime hoc repugnat. Omnis enim tentatio triplici modo potest fieri: simplici suggestione diabolica, vel simultanea delectatione, vel ipso consensu ex parte hominis. Primo modo Christus tentatus est."

Cum per unionem hypostaticam substantialis perfectio ad naturam humanam accederet, **consequitur** quod ipsa Christi humanitas sanctissima est praedicanda, immo est substantialis sanctitas, cum propria facta sit Verbi, quod est substantialiter sanctum. Cf. Luc. 1, 35: *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.*

Nr. 147. **Praeter gratiam infinitam et increatam in Christo utique erat gratia quoque creata accidentalis, habitualis et dona gratiae Spiritus S. una cum virtutibus infusis et gratiis gratis datis.**

Probatur:

1° ex SS. Litteris. Joan. 1, 14: *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti a Patre plenum gratiae et veritatis;* Isaj. 11, 2: *Requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis et replebit eum Spiritus timoris Domini.* In Christo fuisse gratias gratis datas sequitur ex munere eius prophetico, et hoc ipsa historia evangelica exhibet.

2° est doctrina SS. Patrum. S. Chrysostomus

[1] In Joan. S. 29. [2] S. Thom. de verit. q. 22. a. 6.

v. gr. dicit:[1] „Omnis gratia effusa est in illud templum . . . illic quidem est integra et universa gratia."

3o ex ratione theologica, quam s. Bonaventura[2] hisce assignat verbis: „Non decebat Verbum increatum uniri animae perfectissima unione, qualis est unio in unitatem personae, quin anima esset deiformis, secundum quod erat possibile. Et ideo non tantum deiformitatem habuit gratiae et gloriae, sed etiam super omnem gratiam et gloriam." Decebat Verbum, ut animam, quae propria fieri debebat, illis charismatibus ornaret.

Quodsi dicimus in Christo fuisse quoque virtutes infusas, illas omittere debemus, quae de Christo praedicari nequeunt: fidem, quia Christus habuit visionem beatificam; spem, in quantum obiectum est vita aeterna, non vero in quantum Christus alia speravit, v. g. gloriam corporis; poenitentiam, cum non haberet peccatum. Timor Dei fuit in Christo, non acsi separationem a Deo timuisset, sed quatenus reverentia quaedam erga divinam eminentiam animum Christi adimplevit. Cum gratiae in iustis sint causa formalis iustificationis, in Christo fuerunt effectus filiationis naturalis. Plenitudo gratiae fuit porro absoluta in summo gradu, quem Deus elargiri vult. Si de aliis sanctis praedicatur plenitudo gratiae, haec relativa est inteiligenda, quatenus habuerunt summam gratiam secundum id, ad quod a Deo fuerunt electi. Plenitudinem gratiae Christus habuit a primo instanti unionis hypostaticae, i. e. conceptionis. Proficiebat gratia eo sensu, quatenus eam magis magisque manifestavit et opera virtuosiora peregit.

Quaeritur adhuc: an Christus fuerit viator et comprehensor?

Viator est ille, qui est in via ad beatitudinem, quae consistit in visione Dei et glorificatione corporis.

Comprehensor est, qui iam obtinet illam beatitudinem. His praemissis dicendum erit: Quoad animam erat Christus comprehensor, cum gauderet visione beatifica Dei, quoad corpus autem viator. Per dispensationem divinae omnipotentiae factum est, ne gloria ani-

[1] In Ps. 44, n. 23. [2] Breviloq. p. 4, c. 5.

mae transiret in corpus, sicque non excludebantur passiones, affectus et dolores.

Nr. 148. **In Christo homine fuit triplex scientia: visionis, infusa et acquisita.**

1. Scientia *visionis*, intuitiva, qua anima Christi immediate videt divinam essentiam eamque ut causam exemplarem et efficientem omnium entium, fontem omnis veritatis cognoscit, et in hac simul omnes res existentes.

Est sententia communis, Christum hanc habuisse et probatur: α) Quo magis quis accedit ad Deum, eo magis participat de bonitate divina. Christi anima per unionem hypostaticam quam maxime accessit ad Deum hincque visione intuitiva carere nequivit. β) Christus habuit plenitudinem gratiae; gratia consummata est gloria; haec principaliter in visione Dei consistit; ergo Christus hanc habuit. Haec visio autem et scientia erat finita; nam etsi in divina essentia omnia existentia cognoscit, non videt tamen possibilia omnia, quae sunt infinita; in specie non comprehendit Deum.

2. Erat in Christo scientia *infusa*, quam Deus producit infundendo menti humanae species vel notiones rerum, per quas res in se ipsis cognoscuntur. Hac scientia cognovit Christus naturalia et deinde supernaturalia quoque, liberos hominum et angelorum actus, cogitationes et mysteria fidei perspicit. Adscribenda est Christo haec perfectio, quia in aliis creaturis, in angelis et protoparentibus invenitur.

3. Christus habuit scientiam experimentalem, *acquisitam*. Habuit nempe naturales facultates et connaturales operationes. Nisi ergo priores inertes fuisse dicere velimus, scientiam experimentalem debemus agnoscere, vi cuius cognovit omnia, quae pro loco et tempore decebat eum scire. Jesus crevit scientia neque infusa neque intuitiva, sed acquisita per intellectus exercitium et quoad manifestationem ad extra.

Cognovit Christus scientia acquisita modo humano, infusa modo angelico, visione modo divino. In quantum Christus fuit plenus veritate et anima eius unita cum Verbo, et quum nil ignorare potuerit, quod ad munus eius pertinuit, Christo uti homini certe relativa quaedam

omniscientia est tribuenda, quam Ecclesia quoque semper admisit.

Nr. 149. Praeter omnipotentiam divinam erat in Christo **potentia** physica et moralis humana, *principalis* in quantum erat propria naturae humanae et *instrumentalis*, in quantum erat instrumentum Verbi; denique potentia quaedam *mirifica* seu omnipotentia relativa, quae vi unionis hypostaticae concessa fuit a Deo ad opera miraculosa efficienda.

Constat ex SS. Litteris; legimus enim Matth. 28, 18: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra;* Luc. 6, 19: *Et omnis turba quaerebat eum tangere, quia virtus de illo exibat et sanabat omnes.*

Controvertitur autem, utrum natura Christi moraliter tantum, aut physice ad miracula concurrerit. Scotistae putabant, verbum ad tactum vel verbum humanitatis miraculum patrasse, Thomistae autem influxum realem, physicum humanitatis ad efficienda miracula assumunt, et hoc videtur probabilius.

De redemptione.

Unus mediator Dei et hominum homo, Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.[1] *Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere.*[2]

Munus Jesu Christi erat mediatoris, qui genus humanum peccato Adae a Deo avulsum iterum cum Deo uniret et reconciliaret in statum pristinum filiorum Dei. *Quoniam quidem,* dicit s. Paulus,[3] *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi.*

Mediatio naturalis inter Deum et hominem iam facta erat incarnatione Verbi. Adhuc agebatur de mediatione morali, quae est principaliter restitutio in libertatem amissam pretio soluto pro hominibus in captivitate diaboli ingemiscentibus. Sed necesse porro erat, ut Christus eos, qui in coecitate mentis et cordis ambulaverant, doctrinâ sua sanctissima illuminaret, debiles novae legis, legis gratiae institutione firmaret.

---

[1] 1. Tim. 2, 5. [2] Ibid. 1, 15. [3] 2. Cor. 5, 19.

Exinde iam sequitur triplex esse **munus redemptoris** nostri: sacerdotis, qui sacrificio Deum nobis placaret; prophetae et regis, in quantum Christus nos docuit, dirigit et gubernat. Quod jam triplex munus explanaturi ut praemittamus pauca de necessitate et convenientia redemptionis, haud inutile erit.

Nr. 150. **Homo propriis viribus a lapsu surgere non potuit.**

Est *de fide* ex conc. Trident. declarante: hominem adeo lapsum esse, „ut non modo gentes per vim naturae sed ne Judaei quidem per ipsam litteram legis Moysis inde liberari aut surgere possent."

Patet ex eo, quod finis, ex quo homo exciderat, erat supernaturalis, ad quem homo viribus naturalibus non potuit denuo ascendere. Insuper homo non potuit condigne satisfacere pro peccato et duplici vulnere ignorantiae et concupiscentiae laboravit.

Nr. 151. **Deus genus humanum reparare non tenebatur.**

Probatur:

1° ex SS. Litteris, ubi redemptio passim vocatur opus divinae charitatis et misericordiae, ergo non ex necessitate provenit. Exod. 33, 19: *Miserebor, cui voluero, et clemens ero, in quem mihi placuerit.* Non expedit dicere Deum totum genus humanum damnare non potuisse: nam Sap. 12, 11: *Semen erat maledictum ab initio, nec timens aliquem, veniam dabas peccatis illorum. Quis enim dicet tibi: Quid fecisti? aut quis stabit contra iudicium tuum? aut quis in conspectu tuo veniet vindex iniquorum hominum? aut quis tibi imputabit, si perierint nationes, quas tu fecisti?* Insuper dicendum est, Deum statim in Adamo genus humanum radicitus evertere aut hominibus media naturalia ad naturalem beatitudinem praestare potuisse.

2° St. Augustinus dicit:[1] „Universa massa poenas debet, et si omnibus debitum damnationis supplicium redderetur, non iniuste procul dubio redderetur... Quis igitur adeo dementissime insaniat, ut non agat ineffabiles gratias, misericordiae quos voluit, libe-

[1] De nat. et grat. c. 5.

rantis, qui recte nullo modo posset culpare iustitiam universos omnino damnantis."

3° Nullum attributum Dei necessitatem redemptionis suadet: non bonitas, quae solum exquirit, ut Deus det homini media sufficientia ad finem statutum, non vero, ut nolentem cogat; non misericordia, quae est eadem cum sanctitate et iustitia, quae supplicium exposcit. Misericors est Deus et potest parcere et non parcere; justus est et potest punire et non punire. Propterea, si SS. Patres quandoque de necessitate redemptionis loquuntur, haec necessitas est relativa intelligenda ceu convenientia.

Nr. 152. **Deus, si reparationem generis humani decrevit, alio modo hanc perficere potuit. Incarnatio et satisfactio filii Dei tunc tantum erat necessaria, si Deus condignam satisfactionem exposcebat.**

Patet ex SS. Patrum doctrina. E. gr. dicit s. Athanasius:[1] „Poterat etsi numquam advenisset Christus, solummodo loqui Deus et maledictionem solvere" vel S. Augustinus:[2] „Sunt autem stulti, qui dicunt: non poterat aliter sapientia Dei hominem liberare, nisi susciperet hominem et nasceretur de femina et a peccatoribus illa omnia pateretur. Quibus dicimus: poterat omnino, sed si aliter faceret, similiter vestrae stultitiae displiceret."

Modi huius reconciliationis sunt: gratuita remissio peccati; aliqualis saltem satisfactio singulorum hominum; satisfactio per hominem justum; satisfactio per angelum.

Secunda pars propositionis patet ex sequentibus: Peccatum, cum sit laesio infinitae maiestatis, infinitatem quandam induit. Hinc si satisfactio de condigno ex rigore iustitiae esse debuit, satisfactio infiniti valoris esse debuit; talem autem creatura finita numquam praestare potuisset.

Nr. 153. **Redemptio generis humani per Verbum incarnatum fuit conveniens, et quidem:**

1. Ex parte Dei, quatenus divinae perfectiones: sapientia, potentia, justitia, bonitas et misericordia effulgent, et Deus, qui contra angelos iustitiam osten-

[1] C. Arian. Or. 2. [2] De agon. Chr. c. 11.

derat, contra homines, qui erant fragiliores, misericordiam ostendit. Insuper, ut dicit S. Augustinus,[1] proprium est summo bono se communicare; hoc autem perfectissime factum est incarnatione, in qua natura creata Verbo increato fuit unita.

2. Ex parte hominis α) ut firmaretur fides, spes et charitas in homine, cum Deus ipse incarnatus illum doceat: cum videat homo excellentiam suae naturae, et impelleretur ad mutuam saltem redamationem; β) ut homo habeat perfectissimum exemplum: γ) ut finem perfectissime consequeretur: nam factus est Deus homo, ut homo fieret Deus;[2] δ) ut daemon vincatur et malum ex homine removeatur.

3. Conveniens fuit, ut secunda persona SS. Trinitatis incarnaretur „ne alius esset filius in Divinitate et alius in humanitate.[3] Sicuti porro per Verbum omnia erant facta, per Verbum omnia erant reparanda.

4. Conveniens erat quoad tempus, ut sc. genus humanum miseriam suamque insufficientiam ad statum salutis reparandum cognosceret tuncque paratius sit ad salutem amplectendam.

5. Conveniens fuit, ut salvator ex muliere nasceretur: α) ut veritas humanitatis appareret; β) ut Christus familiae Adae insereretur sicque pro ea posset satisfacere; γ) ut natura humana in utroque sexu nobilitaretur „nec mares fastidivit, quia marem suscepit, nec feminas, quia de femina natus est;[4] δ) ut Maria nova Eva fieret; ε) ut Verbum incarnatum omni aetati et sexui praelucceret exemplum.

Disputatur adhuc inter theologos, num Verbum incarnatum fuisset, etiamsi non peccasset homo. Respondent affirmative complures dicentes, ipsam incarnationis excellentiam fuisse causam huius; redemptionem nonnisi fuisse causam, ut Verbum assumeret corpus passibile. Non enim decere, ut ordinetur perfectius ad minus perfectum, i. e. incarnationem ad redemptionem. Ast sententia contraria negativa, quae statuit, motivum decisivum seu principale incarnationis fuisse salutem hominum reparandam, est probabilior et iuxta

[1] L. 13 de Trin. c. 17. [2] S. Augustinus, Serm. [illegible]. [3] Petrus Lomb. l. 3. Sent. dist. 1. [4] S. Hegesius, de agon. Chr. c. 22, n. 24.

S. Thomam[1] a parte maiore theologorum defenditur. S. Augustinus dicit:[2] „Nulla causa fuit veniendi Christo Domino nisi peccatores salvos facere.“ Si Deus iam passionem et mortem ad salutem hominum ordinavit, ipsam incarnationem ad hunc finem ordinare fas erat, hocque eo magis, quum licet motivum decisivum incarnationis fuerit salus humana, finis ultimus tamen fuerit Dei ipsius gloria promovenda.

Nr. 154. **Christus veri nominis sacerdos et quidem praestantissimus per ipsam incarnationem statutus est.**

Est *de fide* ex concil. Tridentini definitione sess. 22, c. 1: „Jesum Christum Deum ac Dominum nostrum etsi semel seipsum in ara crucis morte intercedente Deo Patri oblaturus erat, ut aeternum illic redemptionem operetur, in coena novissima . . . corpus et sanguinem obtulisse.“

Sacerdos est mediator inter Deum et homines a Deo ad hoc constitutus, ut homines Deo reconciliet, sacrificium offerat ceteraque mysteria divina dispenset. Sacerdotis est orare pro populo, legem annuntiare, praeprimis autem sacrificare. Christus vocatur sacerdos, quoniam verum obtulit sacrificium piaculare.

Adversarii in hac doctrina sunt Sociniani, qui contendunt, Christum praeconio et consilio et exemplo tantum nos redemisse, non autem opere et efficacia per solutionem pretii. Mortuus est, ut daret exemplum patientiae. Güntheriani dixerunt, Christum obedientia activa non passiva nos redemisse, non patiens et moriens, sed obediens legi divinae.

Probatur:

1° ex SS. Litteris. Hebr. 9, 11: *Christus assistens pontifex futurorum bonorum per proprium sanguinem introivit in sancta aeterna redemptione inventa;* ibid. 7. 26: *Talis enim decebat, ut nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus excelsior coelis factus, qui non habet necessitatem quotidie quemadmodum sacerdotes prius pro suis delictis hostias*

[1] P. 3. gr. 1. a. 3. [2] Serm. 174 al. de verb. Apost. 8.

offerre, deinde pro populo; hoc enim fecit semel seipsum offerendo. S. Paulus porro in Ep. ad. Hebr. passim vocat Christum: sacerdotem magnum, sacerdotem in aeternum secundum ordinem Melchisedech, pontificem confessionis nostrae.

2° S. Gregorius Nyss. dicit:[1] „Se ipsum pro nobis offert et victimam immolat, sacerdos simul existens et agnus Dei, ille qui mundi peccatum tollit."

Nr. 155. De sacerdotio Christi notentur adhuc:

1. ejus **praestantia,** quae patet ex sequentibus: α) ex typo, qui est Melchisedech; sicuti hic praecellebat ipsi Abrahamo, ita Christus omnibus sacerdotibus leviticis; β) ex abrogatione sacerdotii antiqui Testamenti; γ) Christus per iuramentum constitutus est sacerdos;[2] δ) ex aeternitate sacerdotii Christi. *Hic autem eo, quod maneat in aeternum, sempiternum habet sacerdotium*:[3] ε) ex sanctitate Christi. *Talis enim etc. . . .*: ξ) ex efficacia victimae, qua non emundatur caro sed sanctificatur spiritus ed *semel oblata consummavit in aeternum sanctificatos.*

2. Christus **ipsa incarnatione sacerdotium est aggressus,** non post ingressum in coelis, uti Socinians putant. Nam α) sacerdotium tunc incipit, quando quis ad hocce munus constituitur et consecratur ad offerendum sacrificium; hocce autem in Christo factum est in ipsa incarnatione, cum ad hoc carnem assumpserit, ut redemptionem perficeret; β) s. Paulus dicit:[4] *Impossibile est sanguine taurorum et hircorum auferri peccata. Ideo ingrediens mundum dicit: hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi; tunc dixi: ecce venio*; porro:[5] *Christus non semetipsum clarificavit, ut pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te.*

Priore loco confirmatur, Christum, cum corpus ei fuerit aptatum ad hostiam, ipsa incarnatione sacerdotium incepisse; altero probatur, tunc incepisse sacerdotium, quum diceret Pater: Filius meus . . ., quae verba spectant primum incarnationis momentum.

3. Hocce **sacerdotium Christi aeternum est** α) ratione effectus, cum salus in aeternum comparetur;

[1] Orat. 1 de resurr. Chr. [2] Hebr. 7, 20. [3] ibid. v. 24. [4] ibid. 10, 4 sq. [5] Hebr. 5, 5.

β) vi unionis hypostaticae, quae semper perdurat; γ) ratione functionum est aeternum relative, in quantum Christus usque ad consummationem saeculi sicuti in terris nunc in coelis interpellat pro nobis apud Patrem *semper vivens ad interpellandum pro nobis*[1] et per manus sacerdotum jugiter in terris incruento modo semetipsum offert.

Nr. 156. **Christus caput iuridicum totius generis humani est hocque repraesentat.**

Probatur:

1° ex SS. Litteris. Isaj. 53, 4 sq.: *Vere languores nostros ipse tulit et dolores nostros ipse portavit . . . Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra; disciplina pacis nostrae super eum et livore eius sanati sumus . . . et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum;* Joan. 1, 29: *Agnus Dei, qui tollit peccata mundi;* Gal. 3, 13: *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictus.* Ex toto capite 5^to^ Epistolae ad Rom. patet doctrina, Christum secundum esse Adam, repraesentare totum genus humanum in justificationem, sicuti primus Adam illud repraesentaverat in mortem.

2° ex s. Thoma, cui Christus est caput nostrum; scribit enim:[2] „Caput et membra sunt una persona mystica. Et ideo satisfactio Christi ad omnes fideles pertinet sicut ad sua membra ... sicut si homo per aliquod opus meritorium, quod manu exerceret, redimeret se a peccato, quod pedibus commisisset."

Haec substitutio erat α) **voluntaria** ex parte Christi; Isaj. 53, 7: *Oblatus est, quia ipse voluit;* Joann. 10, 18: *Nemo tollit eam (animam) a me, sed ego ponam eam a meipso.* β) Erat simul **acceptata** ex parte Dei: Gal. 4, 4: *Misit Deus filium suum, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus.*

Nr. 157. **Christus in cruce obtulit seipsum in verum ac proprium sacrificium sicque potissimum sacerdotii munus explevit.**

Est doctrina *de fide* ex conc. Ephesino, quod approbaverat anathematismum 10um s. Cyrilli, in quo dicitur: „Pontificem et Apostolum confessionis nostrae

[1] Hebr. 7, 25. [2] P. 3. q. 48. a. 2. et q. 49. a. 1.

factum esse Christum, divina scriptura commemorat. Obtulit enim semetipsum pro nobis in odorem suavitatis Deo et Patri."

Probatur:

1° Juxta s. scripturam sacrificia V. T. erant typi oblationis Christi in cruce. Atqui quodsi typi fuerunt vera ac propria sacrificia, hoc sensu eminentiore de morte Christi in cruce dicendum est.

2° S. Litterae loquuntur de morte Christi verbis, quae non nisi de vero ac proprio sacrificio dici possunt: v. gr. Ephes. 5, 2: *Christus dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis*: vel 1 Cor. 5, 7: *Pascha nostrum immolatus est Christus.*

3° In morte Christi omnia elementa sacrificii reperiuntur. Sacrificium est oblatio rei externae sensibilis loco hominis Deo facta, per eiusdem realem vel moraliter aequivalentem destructionem legitime instituta, ad agnoscendum supremum Dei dominium nostramque subiectionem et conscientiam peccati.

Adest in morte Christi victima: ipse Jesus Christus; porro substitutio pro hominibus; adest destructio et haec quidem fit libera Christi voluntate, qui se ipsum in mortem ceu sacerdos sacrificans obtulit. Christus denique a Deo Patre in hunc finem in mundum erat missus; ergo sacrificium Christi legitime quoque fuit institutum.

4° Leo M. dicit:[1] „Dicant, quo sacrificio reconciliati, dicant quo sanguine sint redempti. Quis est, qui tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis, aut quod unquam sacrificium sacratius fuit, quam quod verus Pontifex altari crucis per immolationem suae carnis imposuit."

Nr. 158. **Christus passione et morte satisfecit nostra vice pro peccatis nostris.**

Est *de fide* ex Trident. sess. 5, can. 2 definiente: „Justificationis nostrae causam meritoriam esse Christi passionem."

Christus autem passione et morte satisfecisse dicitur, non ut excludantur cetera opera vitae Christi: nam

[1] Ep. 124 c. 4.

certe et his satisfecit; sed ut significetur principalem partem operis redemptionis ex ordinatione Christi et acceptatione Dei fuisse sacrificium crucis.

Probatur:

1° ex SS. Litteris. Matth. 20. 28: *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare et dare animam suam redemptionem pro multis;* 1 Joan. 2, 2: *Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi;* 1 Petr. 2, 24: *Qui peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui justitiae vivamus; cuius livore sanati estis.* — Hisce et aliis locis comprobatur Christum peccatum abstulisse, laesum Dei honorem restituisse et reparasse, iram Dei placasse, compensasse iniuriam, paucis: Christum vere pro nobis et pro peccatis nostris satisfecisse.

2° Doctrina SS. Patrum patet ex loco laudato S. Leonis Papae et fides ecclesiae ex supradictis clarescit.

3° ex ratione; aderant enim conditiones satisfactionis vicariae, uti iam supra dictum est, nempe Christus voluntarie se substituit pro genere humano, et substitutio ex parte Dei fuit acceptata.

Nr. 159. **Satisfactio Christi erat adaequata, immo superabundans.**

Satisfactio dicitur *congrua*, si absolute quidem non adaequat iniuriam, laesus autem ea contentus est; audit *condigna* vel etiam plena, perfecta, adaequata, si satisfactio adaequat gravitatem iniuriae; si insuper excedit, est *superabundans*, et *infinita* denique, si immense excedit.

Valor satisfactionis dependet ex dignitate satisfacientis et ex operis satisfactorii pretio intrinseco, sicuti ex adverso iniuria eo maior est, quo maior dignitas laesi et turpitudo actionis. — Quod valet de satisfactione, de merito quoque dicendum est, cum ex parte rei sint unum idemque opus et eatenus tantum differunt, quatenus diversa est intentio et ordinatio operantis. Eadem Christi opera fuerunt satisfactoria simul ac meritoria.

Propositio **probatur:**

1° ex SS. Litteris 1 Cor. 6, 20: *Empti enim estis*

pretio magno; 1 Petr. 1, 18: *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi et incontaminati;* Rom. 5, 20: *Ubi abundavit delictum, superabundavit et gratia.*

2° Cyrillus Hieros.[1] „Non tantum peccavimus, quantum ille justitia excelluit;" S. Chrysostomus[2] „Multo plura, quam debemus, Christus pro nobis solvit; tantoque plura, quanto guttulam exiguam pelagus excedit immensum."

3° ex ratione: valor operis derivatur ab operante: atqui operationes Christi sunt operationes Verbi personae, ergo infiniti sunt valoris secundum valorem moralem, licet secundum valorem physicum sint finitae. Exinde patet opus redemptionis non extrinsece tantum esse infiniti valoris, in quantum Deus id ad hunc gradum acceptaverit, quod etiam in puro homine fieri potuisset: sed intrinsece ceu opus Verbi, quod sibi assumpserat naturam humanam, qua oberabatur.

Nr. 160. **Christus nobis promeruit uberrimas gratias.**

Supra iam diximus opus Christi non tantum satisfactorium sed simul meritorium fuisse et sub utroque respectu infiniti fuisse valoris. Certe iam ex ipso conceptu operis satisfactorii infiniti valoris fluit hoc simul esse meritorium, propter quod et quo homines salventur, justificentur et sanctificentur. Hinc Apostolus redemptionem exhibet ut causam nostrae justificationis meritoriam in epistola sua ad Rom. 3, 24: *Omnes peccaverunt et egent gloria Dei* = sunt iustitia exuti, non habent, unde glorientur coram Deo. *Justificati gratis per gratiam ipsius per redemptionem, quae est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem sanguine ipsius ad ostensionem iustitiae suae propter remissionem praecedentium delictorum.*

Meruit autem nobis Christus:

1. gratiam sanctificantem et remissionem peccatorum;

2. omnia gratiae dona, quae sequuntur primam gratiam sanctificantem, cujusmodi sunt: auxilia gratiae, merita bonorum operum, augmentum gratiae, donum

---

[1] *Catech.* 13 n. 13 [2] Hom. 10 in cap. 5. ad Rom. n. 2.

perseverantiae, remissio peccatorum venialium, remissio poenae temporalis, ut colligitur ex Eph es. 1, 3: *Qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in coelestibus, in Christo;*

3. vitam aeternam, juxta illud Pauli ad Rom. 6, 23: *Gratia Dei vita aeterna in Christo Jesu Domino nostro;*

4. omnia gratiae excitantis et adjuvantis auxilia quae nos disponunt ad justificationem; hinc etiam auxilia gratiae, quae nunc dantur ipsis infidelibus, non dantur nisi ex meritis Christi, uti Apostolus docet:[1] *Vocavit nos vocatione sua sancta non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum et gratiam, quae data est in Christo Jesu.*

Christus omnibus **actionibus humanis,** quas a primo instanti usque ad ultimum exegit, meruit. Per actus humanos tantum potuit mereri. Hi actus erant liberi, boni et grati et a Deo acceptati, cf. Joan. 8, 29: *Ego quae placita sunt ei, facio semper.*

Post mortem non amplius meruit: cf. Joan. 9, 4: *Me oportet operari opera eius, qui misit me, donec dies est; venit nox, quando nemo potest operari.*

Sibimetipsi meruit Christus 1. gloriam corporis; 2. nominis exaltationem; 3. cultum gentium, ut Apostolus docet ad Hebr. 2, 9: *Videmus Jesum propter passionem mortis gloria et honore coronatum;* Philip. 2, 8: *Deus exaltavit illum et dedit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur.*

Non autem Christus gratiam et gloriam animae sibi meruit; nam non potest quis mereri, quod iam habet; ceu debitum ex visione beatifica autem Christus illam plenitudinem gratiae et gloriam animae a primo instanti habuit.

Neque angelis Christus gratiam promeruit; nam non angelorum, sed hominum fuit mediator.

Nr. 161. Satisfactio et meritum Christi est pro omnibus peccatis et pro omnibus hominibus seu **redemptio per Christum est universalis.**

Est *de fide* contra varios errores Praedestinatia-

[1] 2 Tim. 1, 9

norum, Calvinistarum et Jansenistarum. Symbolum sine restrictione habet: „Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de coelis . . . passus et sepultus est.“ Concil. Trident. sess. 6. c. 3: „Verum etsi ille pro omnibus mortuus sit, non omnes tamen mortis eius beneficium recipient.“

Hisce verbis iam exprimitur, redemptionem esse pro omnibus quoad sufficientiam, non autem quoad efficaciam. Omnibus per Christum praeparata sunt sufficientia salutis media: ex parte hominum stat, ut hisce mediis recte et pie utantur.

Propositio **probatur:**

1° ex SS. Litteris. 1 Joan. 1, 7: *Sanguis Jesu Christi emundat nos ab omni peccato;* vel ibid. 2, 2: *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed pro totius mundi*; Joan. 3, 16–17: *Sic dilexit Deus mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. Non enim misit Deus filium suum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum;* 1 Tim. 2, 6: *Dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.*“

2° S. Augustinus dicit:[1] „Iudicabit orbem terrae in aequitate. Non partem iudicabit, quia non partem emit; totum judicare habet, quia pro toto pretium dedit.“

3° ratio ipsa suadet universalitatem redemptionis. Nam si non esset haec universalis, causa aut esset in Deo, in quantum redemptionem non pro omnibus acceptasset, aut in Jesu Christo, in quantum non habuisset intentionem et voluntatem pro omnibus pati et mori. Utrumque est nefas cogitare. Deus enim vult omnes salvos fieri, et infinita charitas redemptoris certe neminem salutem operari volentem et satagentem a fructibus redemptionis excludit.

Nr. 162. **Anima Christi descendit ad inferos, ut animas justorum inde liberaret.**

Est *de fide* ex Symbolo: „Descendit ad inferos“ et Concil. Lateran. IVo. quod habet; „Descendit ad inferos, resurrexit a mortuis, ascendit in coelum. Sed

[1] **Enar. in Ps. 95, n. 5.**

descendit in anima, resurrexit in carne, ascendit pariter in utraque."

Probatur:

1° ex SS. Litteris. 1 Petr. 3, 18 sqq.: *Quia et Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu. In quo et his, qui in carcere (inferno) erant, spiritibus veniens praedicavit: qui increduli fuerant aliquando, quando exspectabant Dei patientiam in diebus Noe . . . Propter hoc enim et mortuis evangelizatum est, ut judicentur quidem secundum homines in carne, vivant autem secundum Deum in spiritu.*

2° SS. Patres docent animam Christi descendisse ad inferos, negantes hoc vocant infideles, et exinde contra Apollinarem deducunt, Christum habuisse animam humanam.

3° sola ratione non potest probari. Certe quidem anima Christi durante sepultura alicubi erat. Conveniens porro erat, per Christum justis, qui ante ipsius mortem obierant et in infernis redemptionem exspectabant, annuntiari, hanc esse factam.

Nr. 163. Exposito Christi munere sacerdotali, in quo principaliter munus redemptoris consistit, superest adhuc, ut pauca de munere prophetico et regio loquamur.

1. Christus est praestantissimus propheta.

Id omnes ferme paginae Evangelii et prophetiae de Christo Messia testantur. Sic Deuteron. 18, 18: *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui et ponam verba mea in ore eius loqueturque ad eos omnia, quae praecepero illi.*

Dum propheta generatim est ille, qui ex divina missione populum docet, patet hujus prophetae excellentia α) ex dignitate personae Christi; β) ex praestantia doctrinae et praedicationis, quae maxima cum prudentia simulque cum libertate dicendi fiebat; γ) ex innumeris miraculis, quae veritatem et ipsam unicam praestantiam doctrinae affirmabant.

Jesus Christus autem non tantum praestantissimus est propheta, sed unicus prorsus et singularis, cum nemo sit post illum, qui non sit eius discipulus. Do-

cebat autem Jesus non solum verbo sed simul exemplo: cf. Act. 1, 1: *Coepit Jesus facere et docere*, et Matth. 11, 29: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.* Hoc autem de tota ejus vita valet, ita ut juxta Patres praesepium sit cathedra nascentis et crux cathedra morientis.

2. **Christus est caput hominum et angelorum.**

α) est caput Ecclesiae: cf. Ephes. 1, 22: *Omnia subjecit sub pedibus eius et ipsum dedit caput supra omnem ecclesiam, quae est corpus ipsius et plenitudo eius.*

β) est caput omnium hominum. Sicuti in Adamo omnes uniuntur ratione naturae, sic in Christo ratione gratiae. Et quidem est caput omnium, sive per gloriam cum eo iam sint uniti, sive per fidem et charitatem cum eo coniuncti sunt aut in possibilitate ad eum perveniendi vivunt et sunt.

γ) est caput angelorum, qui pariter ad mysticum corpus Christi pertinent: cf. Colos. 2, 10: *Qui est caput omnis principatus et potestatis.*

3. **Christus est rex, dominus et legifer.**

Constat ex innumeris s. Scripturae locis. Ex. gr. Psalm. 2, 6: *Ego autem constitutus sum ab eo super Sion montem sanctum eius*, vel Joan. 18, 37: *Tu dicis, quia rex sum ego.*

Hocce munus regium exercuit et exercet Jesus Ecclesiam suam fundans et regimen eius instituens eamque ipse regens et tuens.

Christum esse legiferum est *de fide* ex Trident. sess. 6. c. 21: „Si quis dixerit Christum Jesum a Deo hominibus datum fuisse redemptorem, cui fidant, non etiam ut legislatorem, cui obediant, anath. sit."

4. **Christus est judex** hominum et angelorum, non solum qua Deus sed etiam qua homo.

Constat ex Joan. 5, 27: *Potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est.* Rationem indicat Catechismus Romanus:[1] Decebat enim maxime a Christo hoc judicium exerceri, ut, cum de hominibus decernendum esset, illi corporeis oculis judicem videre et auribus sententiam, quae proferebatur, audire possent

[1] P. 1, c. 8, q. 6. Alias rationes vide apud S. Thomam a. 59, a. 2

et omnino judicium illud sensibus percipere. Ac praeterea acquissimum erat, ut homo ille, qui iniquissimis hominum sententiis condemnatus fuerat, omnium deinde judex sedere ab omnibus conspiceretur.

Quod autem non solum hominum sed angelorum quoque judex est, patet tum ex universali dicto Apostoli Joan. 5, 22: *Pater omne judicium dedit Filio*, tum ex 1 Corinth. 6, 3: *Nescitis, quoniam angelos judicabimus*; sancti enim non judicant nisi auctoritate Christi, ergo multo magis Christus habet judiciariam potestatem supra angelos.

Tractatus sextus.

De Gratia.

In sacris Litteris gratia sumitur in quadruplici sensu, significans 1° pulchritudinem vel venustatem oris, linguae, faciei, styli etc.; 2° benevolentiam conferendi donum aliquod gratuitum; 3° ipsum donum gratuitum; 4° denique gratiarum actionem:

Nr. 164. Usu theologico autem **gratia** in sensu secundo ac tertio tantum accipitur, quae *transiens* vocatur, quatenus est ipsum donum gratuitum; *immanens* vero, quatenus est ipsa benevolentia conferendi illud donum. Haec increata est, cum significet ipsam substantiam divinam; illa creata, cum significet donum a Deo distinctum et creatum.

Gratia **creata**, de qua nobis proxime sermo erit, iterum duplex est: *naturalis*, quae omnibus creaturis datur; *supernaturalis*, quae solis creaturis rationabilibus datur.

Gratia creata naturalis est donum gratuitum naturale, i. e. quod aut est pars naturae aut e natura fluit et a natura exigitur, e. gr. intellectus noster, libertas, anima, corpus etc. Gratia creata supernaturalis est donum gratuitum supernaturale, i. e. quod excedit vires et exigentias naturae ordinatque

ad finem supernaturalem. Nobis proxime de hac sermo erit.

Gratia **supernaturalis** distinguitur: 1° gratia *Conditoris*, quae ex benevolentia conditoris Dei, non intuitu meritorum Christi, Angelis et protoparentibus ante lapsum concessa fuit: 2° gratia *Salvatoris*, quae, concessa intuitu meritorum Christi, est omnis gratia post lapsum.

Nobis hic proxime sermo erit de gratia Christi, quamvis sint theologi, qui dicunt: de facto omnem gratiam esse gratiam Christi, cum Deus, ut primum sese ad extra manifestare decreverat, jam incarnationem Filii, quem in creatione habuit velut exemplar omnium rerum, decreverit. Ex sententia horum theologorum incarnatio esset facta, etiamsi homo non peccasset.

Gratia Conditoris dicitur etiam gratia sanitatis, quia conceditur homini nondum violato per peccatum originale, sed sano; gratia Salvatoris e contra etiam gratia medicinalis dicitur, quia conceditur homini jam violato et infirmato et sanat sicuti medicina.

Gratia **Christi** est vel *gratis data*, ea scil. quae datur proxime non in suscipientis, sed in alterius commodum, e. gr. donum miraculorum vel sanandi aegrotos; et *gratum faciens*, quae datur in utilitatem suscipientis **et illum gratum reddit Deo.**

Per se et proprie omnis gratia est gratis data; tamen ex usu loquendi theologorum nomen generis tribuitur speciei minus perfectae. Est autem gratis data minus perfecta quam gratum faciens, cum non semper perficiat vel sanctificet eum, qui accipit illa dona sanandi infirmos, mundandi leprosos etc.

Gratia **gratum faciens,** quae proxime hic ad nos spectat, est vel *externa* et extrinseca, quatenus subjectum externe afficit, ut e. gr. lex divina, revelatio, exempla et miracula Christi; *interna* vero et intrinseca, quatenus homines interius afficit, et haec

Gratia **intrinseca** ratione objecti est vel *actualis*, quam Deus homini largitur per modum actus seu auxilii ad operandum in ordine ad suam sanctificationem; vel *habitualis*, quam Deus animae infundit per modum habitus seu qualitatis fixae et permanentis, ut animam sanctam et justam constituat; unde et „sanctificans" ac „justificans" quoque dicitur, et discernitur in primam,

quae de injusto facit justum, et secundam, quae de justo facit justiorem et propterea etiam augmentum gratiae audit.

Gratia **actualis**, quae datur ad actum et operatur per modum actus, scil. aut intellectum hominis collustrans aut vero voluntatem movens, duplex distinguitur: 1° *excitans* ea, quae datur ad initium operis salutaris et operans quoque sonat, quia haec sola in nobis operatur sine nobis libere cooperantibus: 2° *adjuvans*, quae datur ad perfectionem operis salutaris et cooperans etiam vocatur, quia haec nobiscum libere cooperantibus operatur.

Gratia **excitans** denique dicitur vel *efficax*, quae semper infallibiliter cum effectu est conjuncta et propterea etiam „auxilium quo" audit: vel *sufficiens*, quae dat perfectam potentiam ad actum, sed non est conjuncta cum effectu, quapropter etiam „auxilium sine qua non" dici solet.

Eapropter **gratia divina**, de qua in subsequentibus agemus, nisi aliud est quam *donum Dei gratuitum, creatum, supranaturale, intuitu meritorum Christi concessum, gratum faciens, quo aut justi efficimur aut ad opera supernaturalia initiamur aut ad perficiendum adjuvamur.*

Absolvemus autem totum hunc tractatum de gratia quatuor capitibus: agentes in 1° de necessitate, 2° de natura vel indole, 3° de distributione, 4° de fructibus et effectibus gratiae divinae.

De necessitate gratiae.

Nr. 165. **Errores** circa illam versantes duplicis sunt generis: alii nimirum inflando naturae vires gratiam destruunt; alii, nimis extollendo gratiae virtutem, liberum arbitrium exstinguunt. Primum errorum genus ad *veteres*, secundum ad *recentiores* haereticos pertinet. Ad illos pertinent Pelagiani, Semipelagiani et Praedestinatiani: ad hos Lutherani et Calviniani, Bajani, Janseniani et Quesnelliani.

Errores **Pelagii** ad haec tria referuntur capita: 1° non dari in nobis originale peccatum; 2° sufficere homini naturales vires et liberum arbitrium, nec esse

necessariam gratiam Dei: 3° gratiam Dei secundum meritum naturalium operum concedi.

Fundamenta vero Pelagianismi erant haec tria: 1. absolutam gratiae necessitatem repugnare libero arbitrio et inducere fatum; 2. Deum non praecipere impossibilia, nec proin homini imposuisse legem, quam suis viribus implere non possit; 3. Deum non esse personarum acceptorem, nec proin gratiam suam dispensare nisi pro meritis cujusque.

Ex Pelagianismo orti sunt **Semipelagiani**, sic dicti a dimidiata quasi haeresi Pelagii. Hi, qui ab urbe Massiliensi in Gallia, ubi eorum primi fautores degebant, Massilienses etiam vocantur, in hoc errabant, quod initium boni salutaris tribuerent non gratiae sed homini, dicentes: initium fidei ac salutis esse a nobis, non vero augmentum et perseverantiam. Hoc initium fidei vero ex eorum sensu complectebatur: 1° pium credulitatis affectum, qui potest per praedicationem et auditionem Evangelii excitari: 2° desiderium salutis inde ortum; 3° implorationem divinae benignitatis. Pro hac eorum doctrinae exemplo utebantur aegroti, qui cupit sanari et vocat medicum, qui totam perficit curationem, cujus principium aegrotus ipse medicum vocando ponit.

Praedestinatiani, rigidi scil. et proprie dicti damnatique in conc. Carisiaco 849 et recentius 1653 per censuram latam in propositionem 5tam Jansenii: praedestinationem esse absolutam Dei voluntatem, qua Deus sincere non vult salvare nisi solos electos neque reliquis gratias vere sufficientes concedit.

Recentiorium circa gratiam haereticorum doctrinam utpote ex historia Ecclesiae notam supponentes nihilominus Protestantium errores hic exponere liceat, ut commenta eorum, cum quibus tam crebre est nobis commercium, facilius dignoscere possimus a genuina Ecclesiae nostrae doctrina.

Jam vero **Protestantes** errarunt in materia gratiae, tum actualis tum habitualis sequentibus capitibus asserentes: 1° liberum arbitrium in statu naturae lapsae esse vanum nomen, nec aliud ad summum significare quam libertatem a coactione, nequaquam vero a necessitate: 2° hominem non posse resistere gratiae et ne-

cessitari absolute, sive ad bonum sive ad malum: 3° nullam de facto dari gratiam sufficientem, quae simul non sit efficax; 4° praecepta Dei homini esse impossibilia, nec posse ab homine per gratiam, qualem Deus largiri solet, impleri. — Hae sententiae, quibus Calvinus insuper adhuc doctrinam de absoluta praedestinatione adjecerat, ad gratiam *actualem* spectant; ad gratiam *habitualem* autem quod attinet, docuerunt: 1° justificationem seu ejusdem causam formalem, gratiam justificantem, consistere in sola remissione peccatorum sive in favore Dei extrinseco, sive in ipsa justitia Christi nobis dumtaxat imputata; 2° ad justificationem acquirendam sufficere solam ac nudam fidem sive fiduciam; 3° justificationem semel receptam esse inamissibilem, in omnibus hominibus aequalem, nec per ulla opera variabilem.

His erroribus veritatem oppositam sequentes exponunt propositiones propositiones:

Nr. 166. **Ad justificationem homini lapso necessaria est gratia sanctificans**, et quidem **absolute.**

Est *de fide* ex Trident. sess. 6, can. 1: „Si quis dixerit, homines suis operibus, quae vel per humanae naturae vires vel per doctrinam legis fiant, absque divina per Jesum Christum gratia posse justificari coram Deo, anath. sit."

Probatur:

1° ex s. Scriptura: parabola Christi de veste nuptiali ejusque effato:[1] *sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos, nisi in me manseritis.*

2° ex Traditione; s. Augustinus contra Pelagianos disserens vocat[2] gratiam sanctificantem margaritam pretiosam, sine qua nil nobis prosit, quodcunque habuerimus; quam si habeamus, sufficit nobis.

3° ex ratione theologica: justificatio est vita supernaturalis; homo per lapsum destituitur hac vitâ: sicut autem mortuus se ipsum non potest vivificare propriis viribus, sic nec spiritualiter mortuus ad vitam supernaturalem se resuscitare potest.

---

[1] Joan. 15, 4. [2] In Ep. Joan. tr. 6, n. 7.

Nr. 167. **Ad actum fidei salutarem gratia supernaturalis actualis est necessaria,** et quidem excitans, adjuvans, collustrans, movens.

Est *de fide* ex Trident. sess. 6. can. 3: „Si quis dixerit, sine praeveniente Spiritus Sancti inspiratione atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere aut poenitere posse, sicut oportet, ut ei gratia justificationis conferatur, anath. sit."

Probatur:

1° ex s. Scriptura. Joan. 6, 44: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit eum;* homo autem incipit venire ad Christum, si credit. — Act. Apost. 16, 14: *Mulier quaedam nomine Lydia colens Deum audivit, cujus Dominus aperuit cor intendere his, quae dicebantur a Paulo.*

2° ex Traditione. Conc. Arausican. II. definivit: „Si quis dixerit, sicut augmentum ita initium fidei ipsum credulitatis affectum non per gratiae donum, i. e. inspirationem Spiritus s. corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, sed naturaliter nobis inesse: Apostolicis dogmatibus adversarius approbatur." — Cf. Ecclesiae orationes, in quibus precatur, ut a Deo ad fidem perducamur et in illa semel accepta perseveremus.

3° ex ratione fide illustrata: ut fides conducat ad salutem, procedere debet ex principio supernaturali. Fides autem est actus naturalis procedens ex intellectu et voluntate; ut jam principium hoc fiat supernaturale, debet adesse gratia supernaturalis, quae elevat intellectum et voluntatem in hoc actu.

Nr. 168. **Gratia actualis necessaria est etiam ad reliquos actus salutares** spei, charitatis (saltem initialis), poenitentiae et timoris.

Est *de fide* ex Tridentini supra allegato canone.

Probatur:

1° ex s. Scriptura. Joan. 15, 4: *Qui manet in me et ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nil potestis facere.* — S. Paulus ad Philipp. 2, 12: *Deus operatur in nobis et velle et perficere.*

2° ex Traditione. S. Augustinus:[1] „Sine illo vel

[1] De grat. et lib. arb. c. 17. n. 23.

operante, ut velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera nil valemus." — Arausic. II.: „Quoties bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum ut operemur, operatur." — Pelagius ipse necessitatem gratiae negans ex metu fideles offendendi usus est in doctrina sua verbis ambiguis sicque ostendit fidem tunc vigentem.

3° ex Ecclesiae praxi: α) in precibus suis orat: „Ut Deus actiones nostras aspirando praeveniat et adjuvando prosequatur; β) pro omnibus actionibus bonis gratias agit Deo, quocum aperte testatur, hominem ex suis viribus ejusmodi actum non posse perficere.

Nr. 169. **Homo justificatus non potest in accepta justitia perseverare nisi ex speciali auxilio.**

Est *de fide* ex Trident. sess. 6, can. 22: „Si quis dixerit, justificatum vel sine speciali auxilio Dei in accepta justitia perseverare posse, vel cum eo non posse, anath. sit," et ex can. 16: „Si quis magnum illud usque in finem perseverantiae donum se certe habiturum absoluta et infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali revelatione didicerit, anath. sit."

Perseverantia est perduratio in statu gratiae, **Distinguitur:**

1° perfecta et imperfecta: illa *perfecta* est perduratio in statu gratiae usque ad finem vitae; haec *imperfecta* ad tempus tantum perdurat, donec enim homo relabitur in peccatum mortale.

2° activa et passiva: *activa* est exercitium omnium illorum, quae pertinent ad retinendum statum gratiae, consistit ergo in observatione mandatorum graviter obligantium vel in evitatione peccatorum mortalium usque ad articulum mortis; *passiva* est opportunitas mortis in statu gratiae.

Probatur:

1° ex s. Scriptura. Matth. 26, 41: *Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem.* Rom. 7, 18: *Nam velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio.*

2° ex Traditione. Arausic. II, can. 10: „Adjutorium Dei etiam renatis ac sanctis semper est implorandum, ut ad finem bonum pervenire vel in bono

possint opere perdurare." — S. Augustinus:[1] „Sicut oculus corporis etiam plenissime sanus, nisi candore lucis adjutus non potest cernere; sic et homo etiam perfectissime justificatus, nisi aeterna luce justitiae divinitus adjuvetur, recte non potest vivere."

Cum autem apprime distingui debeat potestas ab actu aliudque sit posse perseverare et de facto perseverare, thesim nostram his duabus seorsim probandis propositionibus adhuc corroboramus:

Nr. 170. **Perseverantia finalis est magnum donum Dei.**

Probatur:

1° ex s. Scriptura. Sap. 4, 10: *Placens Deo factus est dilectus, et vivens inter peccatores translatus est. Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius.* Philipp. 1, 6: Deus *qui coepit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi* (= in diem judicii).

2° ex Traditione. S. Augustinus:[2] Negare non possumus aliam perseverantiam in bono proficientem usque in finem magnum esse Dei munus nec esse nisi ab illo, de quo scriptum est: „Omne datum optimum et omne donum perfectum."

3° ex ratione, quae perseverantiae finalis quatuor enumerat casus possibiles: α) Infans baptizatus post baptismum moritur — certe magnum Dei donum, quia potuit etiam ante baptismum mori, vel diutius vivere et peccando gratiam in baptismo acceptam amittere. β) Adultus hic et nunc accipit gratiam in poenitentiae sacramento et accepta gratia moritur — itidem magnum Dei donum, quia potuisset mori etiam ante susceptionem sacramenti aut diutius vivere et in peccatis mori. γ) Adultus et justus certis occasionibus et tentationibus peccati non exponitur sic ordinante benigna providentia, dum alter justus exponitur tentationibus, labitur et in peccati statu moritur. δ) Adultus justus exponitur tentationibus, sed accipit gratias efficaces, quibus victoriam infallibiliter reportat, dum alter gra-

[1] L. 1. de Nat. et Gratia c. 23. [2] De corrept. et grat. c. 6, n. 10.

tiam tantum sufficientem accipit, quae non semper cum effectu est conjuncta.

Nr. 171. **Justus non potest sine speciali privilegio in tota vita evitare omnia etiam venialia peccata.**

Est *de fide* ex Trident. sess. 6, can. 23: „Si quis hominem semel justificatum dixerit posse in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de B. M. Virgine tenet Ecclesia, anath. sit."

Justus non quidem physice, sed moraliter non potest sine speciali gratia omnia venialia peccata evitare; nam **impotentia** distinguitur *duplex:* physica et moralis.

Impotentia *physica*, quae interdum etiam absoluta dicitur, ea est, quae superari nullatenus potest, e. gr. in homine impotentia ad volandum, cum alis destitutus sit; *moralis* impotentia, quae melius ac rectius difficultas vocatur, ea est, quae aegre quidem, ac difficile, attamen absolute vinci potest, e. gr. in aegroto impotentia ad pondus quoddam attollendum.

Porro haec difficultas plures admittit gradus, tum absolute tum relative: *absolute*, cum oritur ex ipsa rei arduitate; *relative*, cum non solum ex arduitate operis pendet, verum etiam ex ratione temporis, loci, personae aliarumque circumstantiarum, quae negotium illud jam per se arduum comitantur ac efficere possunt, ut impotentia moralis physicae vel absolutae aequivaleat: sic vir probus et sanae mentis moraliter non potest se ex turri in terram dejicere.

Rem nostram quod attinet, difficultatem parant: α) obstacula moralia seu vulnera ex peccato originali, β) duratio pugnae, ita ut homo justus evitare non possit omnia peccata venialia, quae minime seorsim seu distributive, sed collective hic intelligi debent, et non solum cum plena advertentia commissa, sed et subreptitia.

Probatur:

1° ex s. Scriptura: 2 Paral. 6, 36: *Non est enim homo, qui non peccet*, vel Prov. 24, 16: *Septies cadet justus et resurget*; Jacob. 3, 2: *In multis offendimus omnes.*

2° ex Patribus e. gr. s. Augustinus:[1] „In quantacunque justitia sine qualibuscunque peccatis in hoc corruptibili corpore nemo vivit."

3° ex ratione, si comparamus ordinem hunc moralem cum physico. Sicut infirmus gressus aliquot facere potest, non vero per longius tempus ambulare; vel sicut miles fortis impetum singulorum sustinet, si vero a multis aggreditur, devincitur: ita et justus ex peccato originali infirmus aliquo tempore stabit, sed per durationem luctae sustinendae commovebitur.[2]

Nr. 172. **Homo peccator potest cum gratia actuali opera bona ordinis supernaturalis perficere.**

Non quidem formaliter definitum, tamen est certitudinis saltem fidei proximae ex Trident. sess. 6. canone 3: „Si quis dixerit, sine praeveniente Spiritus Sancti gratia hominem credere, sperare, diligere aut poenitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anath. sit."

Alia occasione Ecclesia de attritione dicit, hanc ortam non ex charitate Dei, sed ex metu gehennae, esse donum Spiritus Sancti disponens ad gratiam, ergo est opus salutare; inde sequitur hominem adhuc peccatorem cum gratia opera supernaturalia posse peragere. Imo, si hoc non posset, s. Scriptura postularet impossibilia; semper enim requiritur dispositio ad gratiam sanctificantem consequendam, tunc vero homo se disponere ad eam non posset, ideoque non consequendo gratiam non salvaretur et verum non esset, Deum omnes homines salvos fieri velle.

Objiciunt quidem verba Salvatoris Matth. 7, 18: *Non potest arbor bona malos fructus facere neque arbor mala bonos fructus:* ast injuste, nam α) verba illa sunt proverbii instar allata et valent frequenter quidem, sed non semper; β) Christus probare voluit ex malis operibus cognosci indolem malam, ita ut malus sit, qui mala agit; non vero sequitur exinde, malum nonnisi mala posse agere — claudicat enim omnis similitudo.

Ex eo, quod per peccatum originale homo supernaturalibus quidem privatus, in naturalibus autem

[1] De don. persev. c. 2, n. 4.
[2] His consonat s. Thom. 1, 2. q. 109, art. 8

tantum vulneratus sit, exoritur contra eos, qui vires liberi arbitrii nimis extenuant, quaestio: Quid potest homo sine gratia?

Nr. 173. **Homo viribus suis naturalibus potest quasdam veritates religiosas certo cognoscere,** in specie: 1) praeambula fidei seu Dei existentiam et perfectionem; 2) animae spiritualitatem, immortalitatem et simplicitatem; 3) denique quoad legem moralem saltem principia prima et immediatas ex iis conclusiones.

Est *de fide* divina catholica ex Vaticano: „Si quis dixerit, Deum unum et verum Creatorem ac Dominum nostrum per ea, quae facta sunt, naturali rationis lumine certo cognosci non posse, anath. sit."

Probatur:

1° ex s. Scriptura. Job. 36, 25; *Omnes homines vident eum, unusquisque intuetur procul;* s. Paulus ad Rom. 1, 20: *Invisibilia enim ipsius per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur, ita ut sint (gentes) inexcusabiles, quia, cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt,* vel illud Rom 2, 14: *Gentes, quae legem non habent, naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt.*

2° ex Patribus v. gr. Cyprianus:[1] „Haec est summa delicti, nolle agnoscere, quem ignorare non possis;" Augustinus:[2] „Non usque adeo in anima humana imago Dei detrita est, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint; unde merito dici possit, etiam in ipsa impietate vitae suae facere aliqua legis vel sapere."

3° ex ratione theologica. Si ratio nostra Deum certo cognoscere non posset, rationabiliter nec credere posset, quia fides supponit cognitionem existentiae et veracitatis Dei; nec revelationem divinam nec ejus originem divinam rationabiliter tenere nec finem supernaturalem assequi possemus. Ad naturalem quoque finem moraliter insufficientes essemus, quia revelatio jam requiritur ad religionem naturalem, quum ratio totam religionem naturalem suis viribus cognoscere non valeat.

Nr. 174. **Homo viribus suis sine gratia quaedam**

---

[1] De idol. vanit. n. 5. [2] De spir. et litt. c. 23. n. 48.

bona naturalia velle et peragere potest, ex quo sequitur non omnia opera naturalia esse peccata.

Patet hoc, etiamsi formaliter non sit definitum, ex propositione Bajana damnata 25ma: „Omnia infidelium opera peccata sunt et philosophorum virtutes sunt splendida vitia“ et 27ma „Liberum arbitrium sine gratiae Dei adjutorio nonnisi ad peccandum valet.“

Probatur:

1° ex s. Scriptura, in qua gentilium opera laudantur, uti ex. gr. obstetricum mulierum Aegyptiacarum, quod timuerint Deum et non fecerint juxta praecepta regis: ergo bona opera existunt naturalia.

2° ex Patribus v. gr. s. Hieronymus:[1] „Unde multi absque fide et Evangelio Christi vel sapienter faciunt aliqua vel sancte, ut parentibus obsequantur, ut inopi manum porrigant.“

3° ex ratione theologica: liberum arbitrium per peccatum attenuatum quidem, minime vero fuit exstinctum adeoque aliquid boni, licet non multum et grave peragere valet. Praeterea infidelitas culpabilis maximum quidem peccatum est, sed tamen non omne opus moraliter bonum impedit: ergo nec infidelis semper agit ex infidelitate, quemadmodum nec peccator ex malitia.

Nr. 175. **Bona naturalia** *leviora* **potest homo sine gratia perficere; ad graviora et difficiliora** *medicinali* **gratia indiget.**

Est *certa* doctrina catholica.

Probatur:

1° ex Scriptura. Sap. 8, 21: *Scio quia non possum esse continens, nisi Deus det* — Continentia naturalis est opus bonum grave, ad quod auxilium Dei requiritur.

2° ex Patribus s. Augustinus:[2] „Deus et jubet et dat continentiam; jubet per legem et dat per gratiam.“

Quaeritur saepe, utrum possit homo viribus suis Deum super omnia diligere, ad quod theologi respondent: *affective* potest: si enim cognoscit Deum veluti summum bonum, non intelligitur, quare non possit

[1] In cap. 1. Epist. ad Gal. [2] Epist. 157, n. 3

diligere; sed *effective* non potest, quia efficax dilectio Dei super omnia complecteretur adimpletionem totius legis naturalis, homo autem viribus suis totam legem naturalem observare nequit, sed gratia medicinali indiget.

Gratia actualis etenim ratione effectus, quem producit, duplex distinguitur: α) *medicinalis* seu ea, quae intra limites naturae sanat hujusce infirmitatem, e. gr. in homine gentili, ut possit legem naturalem observare, quin observatio inde sequens sit altioris ordinis: β) *elevans*, quae ita afficit naturalem potentiam, ut actus inde sequens jam sit ordinis supernaturalis, splendore quodam divino refulgens, quo dignus evadat aspectu Dei.

De indole gratiae sanctificantis.

Scopus gratiae Christi est renovatio et restitutio hominis lapsi, quae renovatio non fit, nisi homo statu peccati ereptus ad primigeniam justitiam et sanctitatem, in qua Adam creatus erat, reparetur.

Nr. 176. Hujus effecti, qui justificatio dicitur, causa formalis est gratia habitualis, quae **definitur:** „Est donum Dei supernaturale permanenter inhaerens animae — per modum habitus — quo homo divinae naturae consors ac immediate et formaliter sanctus efficitur, justus, amicus Dei, filius Dei adoptivus, haeres vitae aeternae."

A Novatoribus, qui docent hominem non esse justum per interiorem justitiam, sed dumtaxat per extrinsecam imputationem justitiae Christi. **objicitur** quidem illud Apostoli 1 Cor. 1, 30: *Qui* (Christus) *factus est nobis sapientia a Deo et justitia et sanctificatio et redemptio*; ast immerito: nam factus est nobis justitia efficienter et meritorie, non vero formaliter: sumitur enim hic per metonymiam causa pro effectu; unde Trident. sess. 6, cap. 7, exponens causas justificationis, ait; „Unica formalis causa est justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit," et can. 11: „Si quis dixerit, homines justificari vel sola imputatione justitiae Christi, vel sola peccatorum remissione exclusa gratia et charitate, quae in cordibus eorum per

Spiritum sanctum diffundatur, atque illis inhaereat; aut etiam gratiam, qua justificamur, esse tantum favorem Dei: anath. sit." Ergo —

Nr. 177. Ex Catholicorum doctrina **gratia sanctificans habitus infusus est.**

Intelligitur sub voce *habitus* dispositio quaedam permanens, quae per modum qualitatis rei supervenit, ita ut in re maneat, etiamsi non operetur, et duplex distinguitur

α) substantivus et operativus: ille afficit substantiam aliquam et inducit novum modum existendi; hic operativus afficit potentias (intellectum et voluntatem) inducitque novum modum operandi.

β) acquisitus et infusus; ille exercitio potentiarum acquiritur vel per repetitos actus ejusdem speciei esseque potest bonus aut malus; hic vero infusus immediate a Deo ipso infunditur unico momento.

Theologi Scholastici ad discrimen hocce dicunt: habitus acquisitus dat „facile posse", quia homo naturâ suâ potentiam agendi per intellectum et voluntatem jam habens non acquirit nisi inclinationem ad actum aliquem; habitus infusus dat „ipsum posse", quia homo potentiam supernaturalem agendi a natura non habet sicque demum accipit facultatem.

Dum ex una parte gratia dicitur habitus infusus, disputatur ex altera parte: an sit hic habitus substantivus vel operativus. Certior sententia: est substantivus. Cohaeret caeterum quaestio haec cum illa altera:

Nr. 178. **Utrum gratia sit causa charitatis, an vero gratia et charitas sint eadem res.**

1. Erant, qui dicebant, non esse realem distinctionem inter gratiam et charitatem, ergo esse eandem rem duo nomina habentem: gratia, quatenus hominem gratum reddit Deo estque principium supernaturaliter existendi; charitas, quatenus est principium supernaturaliter operandi. Vel dicunt summum discrimen in hoc esse ponendum, quod gratia influat in intellectum, charitas vero in voluntatem. Afferunt autem haec argumenta:

α) In s. Scriptura iidem effectus tribuuntur gratiae et charitati, e. gr. 1 Joan. 3. 14: *Scimus quia translati*

sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres — (translatio = justicatio: causa est charitas; sed justificatio fit per gratiam: unde gratia et charitas idem); vel ibid. 4, 16: *Deus charitas est, et qui in charitate manet, in Deo manet* — in Deo manemus autem per gratiam, ergo.

β) Charitati adscribitur remissio peccatorum, quae fit per gratiam, e. gr. Luc. 7, 47: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.*

γ) s. Augustinus:[1] „Charitas inchoata, inchoata justita est; charitas provecta, provecta justitia; charitas perfecta, perfecta justitia est."

δ) Ecclesia non quidem relationem definierat, sed indirecte loquitur de hac re in conc. Trident. canone: *Causam formalem justificationis esse justitiam Dei . . . in ipsa justificatione cum remissione peccatorum haec omnia simul infusa accipit . . . homo per Jesum Christum, cui inseritur fides, spes et charitas* — cum gratia non commemoratur, debet saltem fides, spes et charitas una eademque res esse cum gratia.

Si fides et spes adsunt sine gratia et charitate ante justificationem, vocantur informes; si autem adsunt una cum gratia et charitate, dicuntur charitate formatae.

2. S. Thomas ejusque asseclae rectius contendunt realem distinctionem et dicunt: gratia est radix vel principium, ex quo charitas procedit, sicut ex luce calor. Postulatur hoc jam ex analogia inter ordinem naturae et gratiae: spiritualitas animae est principium, ex quo procedunt potentiae; in ordine supernaturali gratia afficit substantiam animae estque radix virtutum infusarum, proindeque exstat distinctio realis sicut inter potentiam voluntatis et animae substantiam sic etiam inter charitatem et gratiam. — Porro gloria est consummata gratia et consistit in visione, charitate et beatitate redundante; charitas autem et visio radicem habent in lumine gloriae, quo homo habilis fit ad Deum immediate videndum. Simile quid in ordine gratiae, in quo lumen gratiae radix est fidei, spei et charitatis in statu viae. Existit proinde analogia inter ordinem gra-

[1] De nat. et grat. c. 70, n. 84.

tiae et naturae, inter ordinem gloriae et gratiae. Argumenta vero haec adducunt:

α) S. Scripturae jam supra allegata loca, quae autem suae sententiae patrocinari putant; nam ex. gr. in verbo Apostoli: *Qui manet* etc. manere in Deo gratia est, manere autem in charitate conditio gratiae non auferendae, cum, si quis habet charitatem, necessario habere debeat gratiam, ex qua demum charitas fluit; ergo non sunt una eademque res. Idem dicendum quoad illud s. Augustini „inchoata" etc.: quo perfectius est principium, eo perfectior effectus et eapropter, si gratia parva est, charitas quoque parva est, et sic porro.

β) Conc. Tridentini canonem supra citatum et dicunt: Ecclesia gratiam quidem non commemorat, sed quae tacentur, non exinde negantur, vel imo Ecclesia noluit definire supponens enim jam per se gratiam, cum sine hac charitas esse nequeat.

γ) Verba Dionysii Areop: „Ut ergo homo opera charitatis peragat, gratiam habeat oportet. Principia immediata in ordine supernaturali sunt quaedam virtutes, ad quas et charitas pertinet; sed principium, ex quo etiam charitas procedit, est gratia."

Nr. 179. **Gratia sanctificans distingui debet ab ipsa Spiritus sancti persona.**

Propositio haec ponitur contra Petrum Lombardum et Petavium, qui docebant in homine justificato non esse proprie habitum charitatis, sed, quia tamen nobiles effectus ei adscribuntur, loco charitatis in ipso esse Spiritum sanctum, qui immediate producit effectus, qui charitati adscribuntur.

Ast talis Magistri Sententiarum doctrina minime consonat cum Scripturae testimoniis et cum Trident. sess. 6. canone 11 anathema decernente, si quis dixerit homines justificari, *exclusa gratia et charitate, quae in cordibus eorum per Spiritum S. diffundatur atque illis inhaereat* — ubi gratia a Spiritu S. omnino distinguitur. Adducebatur autem Petavius in hanc doctrinam falso intelligens hanc ee Scholasticorum sententiam:

Nr. 180. **SSma Trinitas est donum justorum,** quae doctrina, veluti communis et certe defensa, tamen non est de fide.

Jam vi omnipraesentiae SSma Trinitas est sub-

stantialiter in omnibus rebus. Sed gratia praesentiam Dei postulat, ita, ut si non jam vi omnipraesentiae esset in justo, deberet in justo esse propter gratiam. Ubi enim Deus operatur, ibi est; operatio autem est ipsa substantia; ergo SSma Trinitas propter gratiam debet esse substantialiter in justo.

Probatur:

1° ex s. Scriptura. Joan. 14, 23; *Si quis diligit me, diligetur a Patre meo et veniemus et mansionem faciemus apud eum*; 1 Cor. 6, 19: *An nescitis, quia membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo . . . glorificate et portate Deum in corpore vestro.* — Templum Deo aedificatur, non gratiae. Si non ipse Spiritus S. habitaret in justo, sed tantum ratione effectus tunc gratiae templum aedificari nequiret; ergo ipse Deus habitat in nobis.

2° ex Patribus, qui, cum Macedoniani dicerent Spiritum S. esse creaturam Filii, contra eos pugnantes divinitatem Spiritus S. asserebant et ad nostram doctrinam de inhabitatione velut ad principium demonstrationis provocant, sequentem in modum: α) in justo habitat Deus; β) si Spiritus s. non esset Deus, tunc in justo non habitaret Deus, sed tantum gratia; ergo thesim nostram veluti veram profitentur; s. Augustinus autem expresse dicit: „Gratia divina donum Dei est idque maximum donum est ipse Spiritus Sanctus, qui inhabitat animam."

3° ex ratione theologica: ubi Deus operatur, ibi est secundum substantiam suam. Atqui Deus in justo operatur (gratiam ei conservans) continuo; ergo Deus in justo habitat per gratiam accidentaliter, per SSam Trinitatem vero substantialiter.

Nr. 181. **Gratia justificans est donum Dei animae intrinsece inhaerens.**

Est *de fide* ex Trident. sess. 6, can. 11: „Si quis dixerit, homines justificari vel sola imputatione justitiae Christi, vel sola peccatorum remissione exclusa gratia et charitate, quae in cordibus eorum per Spiritum S. diffundatur atque illis inhaereat; aut etiam gratiam, qua justificamur, esse tantum favorem Dei, anath. sit."

Probatur:

1° ex s. Scriptura. Rom. 5, 18: *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitae* — atqui per Adam non peccatores sumus, quia peccatum tantum imputatur, sed quia revera habitualiter intrinsece nobis inhaeret; ergo et justi sumus per Christum non tantum, quia hujus justitia nobis imputatur, sed intrinsece nobis revera inhaeret.[1]

2° ex Patrum unanimi exindeque infallibili testimonio; v. gr. s. Augustinus:[2] „Totus ille homo inveteravit propter peccatum et poenae mortalitatis addictus est, renovatur autem nunc secundum interiorem hominem, ubi secundum sui Creatoris imaginem reformatur, exuens scil. injustitiam, hoc est veterem hominem, et induens justitiam, hoc est novum hominem."

3° ex ratione, quae Protestantium sententiam in se absurdam perspicit. Hoc enim quidem intelligi potest, quod unus pro altero et Christus pro nobis debitum solvat et satisfaciat; sed unum justum esse, quia alius justus est, uti adversarii Christi justitiae imputationem assumentes contendunt, hoc absurdum est.

Protestantes ad Psalmum:[3] *Beati, quorum remissae sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata*, nec non ad Apostolum:[4] „*Non ego operor illud, sed quod habitat in me, peccatum*" provocant, sed immerito: nam, si maneret peccatum, Psalmista sic dicere non potuisset, cum Deus non imputet peccatum, ut tegatur, sed ita ut auferatur; Paulus vero loquitur de concupiscentia ponitque metonymice causam et effectum peccati, quia concupiscentia ex peccato est et ad peccatum inclinat. In baptismo tollitur totum id, quod habet rationem peccati, concupiscentia vero manet, ergo non est peccatum.

Nr. 182. **Per renovationem revera peccata tolluntur et delentur.**

Est *de fide* ex Trident. definitione: „Qua justitia ab eo donati renovamur spiritu mentis nostrae et non modo reputamur, sed et vere justi nominamur et sumus."

---

[1] Cf. 1 Cor. 6, 11, vel Tit. 3, 4 et 2 Petr. 1, 4. [2] Contr. Faust. L. 21, n. 2. [3] Ps. 31, 1. [4] Rom. 7, 20.

Probatur autem ex SS. Litteris; dicuntur enim peccata auferri, projici in profundum maris; homines justi vocantur abluti, mundati, purificati, sanctificati, non habentes maculam etc.

Objiciunt adversarii: α) si justitia est interna, injuria infertur meritis Christi; β) haec doctrina nostra occasionem dat superbiae. — Ast utrumque falsum; nam causa meritoria justitiae internae sunt merita Christi et propterea Protestantes potius injuriam eis inferunt deprimendo efficaciam eorum dicentes, meritis Christi nos interne sanctificari non posse. — Porro: si tota justitia donum Dei est, non ex nostris sed ex Christi meritis justificamur, tunc habemus potius occasionem glorificandi merita Christi quam superbiendi.

Nr. 183. **Gratia sanctificans inhaeret nobis modo permanente.**

Propositio statuta est 1. contra Hermesium, cui gratia habitualis voluntas Dei est habitualis permanens, dandi gratias actuales necessarias, et 2. contra eos, quibus gratia sanctificans quidem donum permanens ac habitus est, non vero in se, sed in effectu, quem producit, cum naempe dicant: Deus vult dare gratias actuales eis, qui credunt, sperant, repetitos actus fidei, spei, charitatis ponunt et sic habitum fidei, spei charitis acquirunt, ita ut illae gratiae propriae sint actuales, in effectu vero habituales.

Est *de fide* ex Trident. definiente: „sanatos per baptismum veterem hominem exuere et novum, qui secundum Deum creatus est, induere, similem Deo in sanctitate" — atqui infantes actualiter Deo similes esse nequeunt, ideo habitualiter similes esse debent; ergo gratia sanctificans per Baptismum collata habitus est. Catechismus Rom. idipsum comprobat dicens: „Est autem gratia qualitas divina in anima inhaerens ac veluti splendor quidam et lux . . . huic autem additur nobilissimus omnium virtutum comitatus, quae in animam cum gratia divinitus infunduntur, quibus ad omnia pietatis officia habiles reddimur."

Probatur:

1° ex s. Scriptura: α) illud Apostoli: *Sicut per unius delictum* etc., β) variae comparationes, si gratia

comparatur cum veste nuptiali, semine, sigillo impresso, oleo effuso, vita, luce et sic porro, ex quibus omnibus patet gratiam hanc non esse actum transeuntem, sed donum permanens.

2° ex Traditione: ex. gr. s. Basilius:[1] Gratia est in nobis sicuti vis cernendi in oculis, sicuti ars in artifice, semper quidem praesens, sed non semper operans. — Conc. Viennense, in quo agebatur, num infantes per baptismum accipiant tantum peccati originalis remissionem an vero simul quoque gratiam informantem et virtutes saltem quoad habitum, etsi non quoad usum, hanc ultimam sententiam probabiliorem et ideo eligendam declaravit.

3° ex ratione theologica. Constat enim α) nos per gratiam regenerari et consortes fieri naturae divinae: hoc vero non designat agere aliquid, sed accipere Dei naturam; β) etiam in ordine naturali justum eum tantum dici, qui habitualiter dispositus est ad opera justa, quod idem et in ordine supernaturali valet.

Nr. 184. **Cum gratia conjuncta sunt dona Spiritus sancti et virtutes infusae.**

Dona Spiritus S. sunt habitus infusi perficientes potentias animae ad hoc, ut prompte sequantur motionem et inspirationem Spiritus S.; ergo sunt habitus operativi, quibus efficitur, ut potentiae sint inclinatae ad obsequium praestandum erga inspirationem et gratiam actualem.

Sunt septem, inter quae donum sapientiae, scientiae ac intellectus ad potentiam intellectus, reliqua quatuor, scil. donum fortitudinis, pietatis, consilii et timoris Dei ad potentiam voluntatis spectant.

Virtutes infusae sunt habitus infusi operativi afficientes potentias animae. — Distinguuntur: α) theologicae, quae versantur immediate circa Deum velut objectum suntque fides, spes et charitas; β) morales, quae versantur circa objectum aliquod a Deo distinctum et reducuntur ad quatuor cardinales, quae sunt prudentia, fortitudo, justitia et temperantia.

Infundi cum gratia simul etiam dona Spiritus S. est sententia communis; infusionem virtutum infusarum

[1] De spir. s. c. 16, n. 61.

quod attinet est *aliis* de fide certum, *aliis* vero saltem certa doctrina ita, ut negatio sit temeraria, *alii* denique distinguunt, ita ut eis quoad virtutes theologicas fere communiter dogmatice certum, quoad vero morales saltem probabilior sententia sit.

Nr. 185. **Justitia non in omnibus aequalis est et augeri potest per opera bona.**

Utrumque *de fide* ex Trident. cap. 7, definiente: „Justitiam in nobis recipientes unusquisque suam secundum mensuram, quam Spiritus S. partitur singulis prouti vult et secundum propriam cujusque dispositionem et cooperationem;" et canone illo, qui sonat: „Justificati per observationem mandatorum Dei et Ecclesiae in ipsa justitia per Christi gratiam accepta cooperante fide bonis operibus crescunt atque magis justificantur."

Probatur:

1° ex. s. Scriptura. Prov. 4, 18: *Justorum semita quasi lux splendens procedit et crescit usque ad diem;* parabola Christi de decem servis, quorum alter decem, alter quinque mnas acceperat; Apocal. 22, 11: *Qui justus est, justificetur adhuc, et sanctus sanctificetur adhuc:* SS. Litterae insuper praemiorum diversitatem in altera vita docent sicque probant etiam justitiam diversam esse posse.

2° ex Patribus, qui unamines impugnant Jovinianum docentem virtutes omnes aequales esse perinde ac vitia; s. Augustinus expresse ait:[1] „Justificati sumus; sed ipsa justitia, dum (operibus bonis) proficimus, crescit."

3° ex Ecclesiae orationibus, quibus precatur a Deo augmentum fidei, spei et charitatis: si vero terminus augetur, augeri debet etiam principium.

4° ex ratione. Justitia crescit, si justificatus meretur bonis operipus augmentum gratiae et gloriae. Atqui meretur, ut patebit ex infra dicendis de merito: ergo —

Nr. 186. **Justitia vel gratia amitti potest, et per quodvis peccatum mortale subsequens revera amittitur,** non tantum per infidelitatem.

Est *de fide* ex Trident, can. 23 contra Calvinum:

[1] Serm. 158, n. 5.

„Si quis hominem semel justificatum dixerit amplius peccare non posse neque gratiam amittere, atque adeo eum, qui labitur et peccat, nunquam vere fuisse justificatum, anath. sit;" et ex can 27 contra Lutherum: „Si quis dixerit, nullum esse peccatum mortale nisi infidelitatis aut nullo alio, quantumvis gravi et enormi praeterquam infidelitatis peccato, semel acceptam gratiam amitti, anath. sit."

Probatur:

1° ex s. Scriptura. Prov. 33, 12: *Justus non poterit vivere in justitia sua, in quacunque die peccavit;* 1 Cor. 10, 12: *Qui se existimat stare, videat, ne cadat;* praebet exempla amissae justitiae in Angelis malis, protoparentibus, Davide, Petro etc.; admonet nos variis exhortationibus ac promissionibus ad perseverantiam in gratia accepta: ergo possumus etiam non perseverare, alioquin monita essent inutilia *„ut operemur salutem nostram in timore et tremore".*

2° ex Patribus, qui contra Montanistas et Novatianos Ecclesiae vindicant potestatem omnia peccata mortalia remittendi, quae potestas superflua esset, si gratia inamissibilis esset; in specie s. Augustinus totus in eo est,[1] ut probet hominem, si jam regeneratus et justificatus in malam vitam sua voluntate relabitur, esse corripiendum, quia acceptam gratiam suo in malum relabens libero amisit arbitrio.

3° ex ratione: α) gratia sanctificans nobis inhaerens est ad Deum, finem nostrum, habitualis conversio, peccatum vero aversio a Deo: cum autem conversio et aversio simul adesse nequeant, propterea justus peccando amittit gratiam. — β) Ad gratiam consequendam in adultis requiritur dispositio quaedam: fides, spes charitas et timor veluti fundamentum gratiae, quae propterea amittitur, si per peccata opposita destruitur fundamentum. — γ) Contraria sententia Protestantium: „pecca fortiter, sed crede fortius et nihil nocebunt tibi centum homicidia et mille stupra" adversatur moralitati et pietati eximdeque falsa esse debet.

Nr. 187. **Per peccata venialia gratia nec amitti-**

[1] L. de corr. et grat. praesertim c. 6, n. 9.

tur nec diminuitur directe, licet peccata venialia indirecte ad ejus amissionem disponant.

Sane *de fide* est per peccatum veniale gratiam non amitti, quia *etiam justus cadet septies*[1] et *in multis offendimus omnes.*[2]

Certum est porro, per veniale non minui gratiam, quia α) secus gratia sanctificans per sola venialia tandem totaliter amitti posset, quod vero sane absurdum est; β) Deus non plus castigat peccatum, quam meretur: atqui minimus etiam gradus gratiae sanctificantis est bonum infinitum, peccatum vero veniale poenam meretur temporalem atque finitam.

Certum est denique, tum per cessationem a bonis operibus tum per venialia peccata animam disponi ad amissionem gratiae, quia sic homo debilior fit, proclivior ad malum, tentationes crescunt, gratiae adminicula minuuntur.

Nr. 188. **De consecutione gratiae nemo absolute certus esse potest.**

Est contra Protestantes, qui non solum asserunt hanc certitudinem fidei de propria justificatione haberi posse sed debere, *de fide* ex Trident. cap. 9: „Quilibet, dum seipsum suamque infirmitatem et indispositionem respicit, de sua gratia formidare et timere potest, cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse assecutum."[3]

Probatur:

1° ex s. Scriptura. Eccl, 9, 1: *Sunt justi atque sapientes et opera eorum in manu Dei et tamen nescit homo utrum amore vel odio dignus sit*; 1 Cor. 4, 4: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.*

2° ex SS. Patrum unamini mente; ex: gr. s. Hieronymus:[4] „De justitia aut impietate certum judicium solius Dei est:" s. Augustinus:[5] „In isto tentationum loco tanta est infirmitas, ut superbiam possit generare securitas."

3° ex ratione. Ad gratiam consequendam in adultis

---

[1] Prov. 2, 4. [2] Jac. 3. 2. [3] Cf. insuper. can. 13 et 14. [4] Adv. Pelag L. 2, n. 5. [5] De corrept. et grat. c. 13, n. 40.

requiritur dispositio subjectiva, de qua autem tantum moralem seu conjecturalem certitudinem habere possumus; ergo. — Insuper Protestantium fides instrumentalis jam in se repugnat: producit enim justificationem tamquam effectum, dum ex altera parte jam ante justificationem credere deberemus, nos esse justos.

Licet autem infallibilis certitudo de justitia haberi non possit, tamen **potest haberi certitudo aliqua moralis,** quae omne dubium prudens excludens ex certis signis concipitur, ad quae jam secundum SS. Patrum doctrinam pertinet: α) delectatio in rebus divinis; β) contemptus rerum terrenarum; γ) conscientia bona; δ) tranquillitas animae.

Indoles gratiae actualis.

Nr. 189. **Gratia actualis,** quae datur ad actum et operatur per modum actus, quae dicitur etiam „vocatio, inspiratio, auxilium Dei." **definitur**: Est donum Dei gratuitum internum supernaturale, quo ad opera salutaria excitamur vel in iis perficiendis adjuvamur collustrando intellectum et movendo voluntatem, ita, ut opera salutaria revera incipiamus et perficiamus vel saltem perficere possimus.

In hac definitione continentur omnes gratiae actualis jam supra enumeratae distinctiones, quarum celeberrima est illa in gratiam sufficientem et efficacem. Illa dat perfectam potentiam ad actum, sed non est conjuncta cum effectu: haec semper infallibiliter cum effectu est conjuncta. Ideo gratia efficax potest dici *auxilium quo* perficimus infallibiliter bonum; gratia sufficiens vero dici potest *auxilium sine quo non* perficere possumus, vel sine quo non habemus potentiam ad bonum.

Gratia sufficiens est aut 1. *proxime* sufficiens, si immediate sufficit ad actum salutarem ponendum, e. gr. si tentamur superbia, Deus dat gratiam ad superandam tentationem, licet postea non superemus; aut 2. *remote* sufficiens, si mediate tantum sufficit ad actum salutare ponendum, si nempe Deus non dat gratiam, qua immediate superare possemus tentationem.

sed dat gratiam orationis, jejunii etc., mediante qua assequi possemus gratiam ad superandam tentationem.

In quantum gratia haec non est obtentura effectum, vocatur mere sufficiens; in quantum vero nihilominus perfectam et proportionatam dat potentiam ad effectum vel consensum, dicitur vere sufficiens.

Nr. 190. **Dari gratiam efficacem,** qua Deus voluntates nostras certo et infallibiliter flectere potest, quocumque voluerit, est *de fide.*

Probatur:

1° ex s. Scriptura. Ezech. 11, 19: *Dabo eis cor novum, ut in praeceptis meis ambulent et judicia mea custodiant;* Philipp. 2, 13: *Deus operatur in vobis et velle et perficere.*

2° ex Traditione. S. Hieronymus:[1] „Velle et currere meum est; sed ipsum meum, sine Dei semper auxilio non erit meum;" vel s. Augustinus,[2] qui ait: „Certum est nos velle cum volumus, sed ille facit ut faciamus, praebendo vires efficacissimas voluntati, qui dixit: faciam, ut in justificationibus meis ambuletis;" Ecclesia non tantum orat, ut Deus nos adjuvet, sed etiam, *ut faciat Deus nos amare, quod praecipit.*

Nr. 191. **Gratia efficax tamen necessitans non est,** vel homo, sub gratia efficace agens habet vim eligendi estque immunis tum a coactione tum a necessitate.

Est *de fide* ex Trident. contra Protestantes, gratiae physice necessitandi vim tribuentes, sess. 6, can. 4 definiente: „Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium, a Deo motum et excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat ac praeparet; neque posse dissentire, si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere mereque passive se habere, anath. sit;"

et contra Jansenium, hanc ejus propositionem cum censura haereseos damnante: „Ad merendum vel demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a

[1] Ep. 1 2, n. 6 ad Ctesiph. [2] De grat. et lib. arb c. 16, n. 32.

coactione.“ Cum ergo contradictorium est tenendum, patet, gratiam efficacem non esse necessitantem.

Probatur:

1° ex s. Scriptura, ubi homines cum gratia bona opera ponentes dicuntur Dei cooperatores, plantatores, rigatores etc., Deus vero dicitur retributurus nobis secundum opera nostra. cf. Eccli. 31, 10: *Beatus, qui inventus est sine macula, qui potuit transgredi, et non est transgressus, facere mala et non fecit:* 1 Cor. 3, 8: *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.*

2° ex Patribus: s. Augustinus:[1] „Liberum arbitrium non ideo tollitur, quia adjuvatur, sed ideo adjuvatur, quia non tollitur:“ vel illud:[2] „Qui creavit te sine te, non justificat te sine te.“

3° ex ratione SS. Patrum argumentis assentiente? α) ad quodvis opus salutare cooperari et gratiam et hominis libertatem: β) si gratia esset necessitans, superflua essent omnes cohortationes, praecepta, consilia, et γ) homo agens sub gratia necessitante nec praemio nec poena esset dignus.

Nr. 192. **Existit gratia sufficiens,** scil. illa gratia excitans, quae non est obtentura effectum vel consensum, ad quem tamen praestandum dat perfectam et proportionatam potentiam.

Est *de fide* ex Arausicano II. quoad hanc doctrinam a tota Ecclesia recepto concilio, contra Semipelagianos sic definiente: „Hoc secundum catholicam fidem credimus, quod accepta per baptismum gratia omnes baptizati Christo auxiliante et cooperante, quae ad salutem animae pertinent, et possint et debeant, si fideliter voluerint, ad implere.“

Probatur:

1° ex s. Scriptura: Isaj. 5, 1: *Quid est, quod debui ultra facere vineae meae, et non feci ei? an quod exspectavi, ut faceret uvas et fecit labruscas?* Luc. 10, 13. *Vae tibi Corozain, vae tibi Bethsaida! quia si in Tyro et Sydone factae fuissent virtutes, quae factae sunt in vobis, olim in cilicio et cinere sedentes poenitterent.*

[1] Ep. 157, c. 2, n. 10 [2] Serm. 15 de verb. Ap. c. 11

2° ex Traditione: s. Augustinus:[1] Ex eo, quod non accepit, nullus reus est: ex eo vero, quod non facit, quod debet, juste reus erit: Ecclesia damnavit Jansenii propositionem: „interiori gratiae in statu naturae lapsae nunquam resistitur."

3° ex ratione: si enim gratia sufficiens non daret perfectam et proportionatam potentiam ad actum, tunc praecepta divina observari non possent et Deus nullam posset poenam comminari.

Objicitur quidem: Si gratia sufficiens nunquam cum effectu conjuncta est, dat vero perfectam potentiam, tunc datur a Deo proprie, ut homo reus fiat, quare possemus orare: „A gratia sufficiente libera nos Domine". — Ast merito damnata est haec sententia, quia ex culpa hominis, non ex defectu gratiae actus non ponitur; gratia enim non est nociva.

Nr. 193. **Quaeritur**: *an gratia sufficiens nunquam sit cum effectu conjuncta?*

Desuper nil est definitum. Dum autem inter theologos Thomistae, Augustiniani et Molinistae hoc negant dicentes sufficientem gratiam nunquam esse cum effectu conjunctam, quum conjuncta cum effectu semper efficax sit: contendunt alii theologi, uti Cornelius, Bulsano et s. Alphonsus: dari gratiam sufficientem, quae nonnunquam cum effectu est conjuncta. Deus enim ad opera leviora, imprimis ad orationem, omnibus dat gratiam sufficientem, cum qua si cooperantur, impetrant oratione sua ad opera graviora gratiam ulteriorem, quae jam efficax est.

Comprobant autem sententiam hanc:

1. Duo supra citata loca, ubi gratia Judaeis et Bethsaidis concessa, licet hicce esset sufficiens, tamen nunquam cum effectu conjuncta credi non potest, quia alioquin Deus obsequium exspectare non potuisset et Tyri cum eadem gratia poenitentiam non egissent.

2 Domini verba: Petite et dabitur vobis etc. cum nos omnes admoneat, ut oremus sine intermissione, oratio autem in ordine supernaturali sine gratia non valeret, omnes accipiunt ad orationem gratiam actualem,

[1] De lib. arb. L. 3, c. 16, n. 45.

quae sufficiens tantum est in eis, qui de facto non orant; si vero ii, qui accipiunt gratiam sufficientem, numquam cum ea orarent, tunc Deus rationabiliter eos ad orationem excitare non posset.

3. S. Augustinus, qui verbis suis: „Hinc admonemur et in facilibus quid agamus, et in difficilibus quid petamus", gratiam actualem pro facilibus efficacem asserit.[1]

4. Rationes theologicae, quas etiam Thomasinus tenuit, et quidem: α) si cum hac gratia sufficiente in sensu Ecclesiae plane nullus homo acturus esset actum, esset prorsus inutilis dicenda; β) non posset dici *vere* sufficiens, si semper ad actum requiritur alia praeterea efficax; γ) Deus dat gratiam non solum, ut observare possimus legem, sed ut revera observemus; δ) in ordine naturali homo solis naturae viribus opera faciliora perficere potest et nonnunquam perficit, sic et in ordine supernaturali, ubi loco naturae gratia est; ε) agendi et loquendi mos piorum: quod potuerunt hi et hae, quare non et tu? Utere hac gratia! vitabo in posterum omnia peccata — aperte nullum haberent sensum, nisi gratia sufficiens nonnunquam effectum haberet.

Nr. 194. **Systemata Catholicorum de gratiae efficacitate** sunt quatuor, ex quibus Thomistae et Augustiniani in eo consentiunt, quod dicant: gratiam efficacem esse ex se, ex sua intrinseca virtute, et consensum propterea adesse, quia gratia efficax est; ex altera parte Molinistae et Congruistae contendunt, gratiam non ex se vel e sua intrinseca virtute, sed propter consensum hominis efficacem esse.

1. **Thomistae.** Hujus systematis auctor vel saltem ejusdem promovendi princeps fuit saeculo 16to Bannesius, Ord. Praedicatorum theologus. Juxta ipsum et Thomistarum scholam generatim gratiae efficacia consistit in quadam *praedeterminatione physica*, quam gratia efficax infert, gratia vero mere sufficiens non infert. Hujusmodi praedeterminatio ex eorum mente est nil aliud quam actio Dei, quae voluntatem humanam, priusquam ipsa se determinet, ita ad actum movet insuperabili virtute, ut voluntas nequeat omissionem sui

[1] De nat. et grat. c. 69, n. 83

actus cum illa praemotione conjungere. Necessitatem praedeterminationis repetunt α) ex supremo primae causae dominio, quod postulat, uti ajunt, ut actiones nostrae liberae a Deo pendeant, quantum id fieri potest, illaesa nostra libertate; β) ex natura ipsa voluntatis, quae, nisi a Deo primo motore ad singulas actiones determinaretur, pensilis maneret et indifferens.

Hac non obstante praedeterminatione, Thomistae hominem liberum dicunt; nam ex eorum opinione distingui debet actus primus, seu potentia ad actum proportionata ad consensum et perfecta, et actus secundus seu ipse consensus. Deus operatur in actu primo: si voluntas effectibus gratiae (= indeliberatae cognitioni et voluntati) non resistit, Deus novam largitur gratiam physice praedeterminantem, quae nunc jam ipsum consensum producit sicque efficax est; si vero voluntas resistit effectibus gratiae, Deus illam secundam non dat et prior sufficiens manet.

Cum vero exinde homo sub illa gratia ad actum secundum non consentire non possit et sic jam libertas nostra negari videretur, dicebant Thomistae se minime derogare homini potentiam dissensus, quam potentiam ei jam non in sensu composito, sed in sensu diviso inesse scimus, uti e. gr. avis in ramo sedens habet potentiam volandi sed non in sensu composito, cum non possit actualiter et sedere in ramo et volare, sed in sensu diviso, potens enim divisim a sessione volare: sic et homo potentiam dissensus in sensu diviso habet, dum ex altera parte Deus in hominem ita agit, ut liberum servet arbitrium.

2. **Augustiniani**, quorum systema est ipsum Jansenii, sed emollitum et ab haeresi purgatum. Dicunt, e delectationibus duabus, altera coelesti, altera terrena, eam, quae potentior fuerit, trahere voluntatem *semper*, non tamen *necessario*, proindeque gratiam esse de se efficacem. Quod si quaeratur quomodo salva sit libertas, respondent delectatione illa determinari quidem voluntatem, sed tantum *moraliter*, non physice et absolute. A Thomistis eo adhuc discrimine differunt, quod necessitatem gratiae pro statu naturae lapsae tantum docent, dum illi propter absolutam dependentiam omnium hominum a Deo eam protoparentibus quoque ante

lapsum in statu naturae elevatae necessariam fuisse contendebant.

3. **Molinistae**, quorum auctor ex historia Eccl. sat innotescit, dicunt propter consensum voluntatis efficacem esse gratiam, quae tum physice operatur elevando et roborando, tum etiam moraliter in vitando et delectando. Pariter actum primum et secundum distinguentes quoad illum cum Thomistis conveniunt, dum quoad actum secundum docent gratiam invitare, delectare et adjuvare ad consensum, ita ut, si voluntas adjutorio invitationis non resistit, ponat consensum sitque gratia efficax; si vero resistit, Deus retrahat ulteriorem influxum sicque gratia sufficiens maneat.

Ex hoc ergo systemate non sola voluntas ponit consensum nec sola gratia, sed voluntas prout est imbuta gratia et adjuta: voluntas et gratia constituunt unum principium, ex quo procedit consensus salutaris, i. e. per gratiam positus, et liber, prouti scil. per voluntatem ponitur. Unde autem gratia efficax sit, licet homo non consentiat, explicant ex scientia media, qua Deus praescit, utrum homo cooperaturus sit nec ne: si praevidet, tunc solummodo dat gratiam, quae habet infallibilem effectum.

4. **Congruistae.** Quoad substantiam non differunt a Molinistis, sed quasdam circumstantias magis urgent: addiderunt nempe juxta Suarez elementum a Molina minus explicite propositum gratiam dari in iis congruis circumstantiis, in quibus teste scientia media illi gratiae homo consentiret, si eam haberet: porro gratiam ita esse homini, cui conceditur, proportionatam, ut effectu obtinendo vere et relative sufficiat, in quo a gratia mere sufficiente *per se* non differt. Hinc congruitas haec partim intrinseca est gratiae, quatenus dicit aptitudinem ad movendum: partim extrinseca, quatenus importat consensus conditionate futuri praevisionem per scientiam mediam, a qua habet gratia omnimodam infallibilitatem.

De gratiae distributione.

Hic nobis sermo esse debet 1. de subjecto gratiae seu de persona illa, cui dat Deus gratiam; 2. de praedestinatione seu de decretis divinis, secundum

quae Deus dat gratiam et gloriam aeternam, quia Deus omnem gratiam dat secundum decretum sapientiae suae, non vero secundum merita nostra.

Nr. 195. **Meritum,** in *abstracto* sumptum, jus est ad praemium obtinendum, in *concreto* vero actio acquirens vel tribuens illud jus ad praemium.

Distinguitur 1. de condigno, seu actio, cui debetur retributio ex justitia, et 2. de congruo seu actio, cui debetur retributio non ex justitia sed ex liberalitate praemiantis, ex decentia quadam vel ex convenientia: quod si habeat promissionem adjunctam, dicitur *de congruo infallibili*; si vero non habeat promissionem adjunctam, dicitur *de congruo fallibili.*

Actio ergo quaedam potest habere jus ad retributionem aut 1. vi operis seu ex justitia vel dignitate operis vel proportionis operis ad retributionem; aut 2. vi pacti seu vi promissionis factae a praemiante; aut 3. vi utriusque, quod requiritur in divinis ad meritum de condigno.

Nr. 196. **Omnis gratia,** sive actualis sive sanctificans prima aeque ac secunda, **est gratuita.**

Est *de fide* ex Trident. sess. 6, can. 1: „Si quis dixerit, hominem suis operibus, quae vel per humanae naturae vel per legis doctrinam fiant, absque divina per Jesum Christum gratia posse justificari coram Deo, anath. sit;" nec non ex synodi Arausic. II^ae^ can 18: „Debetur merces bonis operibus, si fiant; sed gratia, quae non debetur, praecedit, ut fiant."

Probatur:

1° ex s. Scriptura. Act. 4, 12: *Non est aliud nomen, in quo nos oporteat salvos fieri, praeter nomen Domini N. J. Chr.*; Rom. 11, 16: *Si autem gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia.*

2° Augustinus:[1] „Quare gratia? Quia gratis datur. Quare gratis datur? Quia merita tua non praecesserunt, sed beneficia Dei te praevenerunt."

3° ex ratione: Redemtio Christi ad salutem necessaria est; si mereretur homo gratiam, posset se ipsum redimere.

[1] Enarr. 2, in Ps. 30, n. 6

Nr. 197. **Homo non potest mereri gratiam sanctificantem de condigno, ne per opera quidem supernaturalia, quae praecedunt justificationem.**

Est *de fide* ex Tridentini definitione: Gratis autem justificari ideo dicimur, quia nihil eorum, quae justificationem praecedunt, sive fides sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur scil. de condigno, dum opera praeter fidem sunt: timor, spes, charitas initialis et poenitentia, quae tamen merentur aliquomodo, nempe de congruo.

Probatur:

1° Joan. 1, 12: *Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in eum*; Rom. 11, 5: *Sic ergo et in hoc tempore reliquiae Israelitarum secundum electionem gratiae salvae factae sunt*; Tit. 3, 5: Non ex operibus justitiae, quae fecimus nos, sed *secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti.*

2° s. Augustinus:[1] Gratia non invenit, sed efficit merita."

3° ex ratione: Ad meritum de condigno in homine requiritur jam status gratiae veluti principium seu conditio meriti: ergo homo gratiam mereri nequit.

Nr. 198. **Homo gratiam actualem per opera naturalia nullo modo potest mereri.**

Est *de fide* ex conciliis particularibus contra Pelagianos et Semipelagianos nec non ex Trident.: „Ipsius justificationis exordium in adultis a Dei per J. Christum praeveniente gratia sumendum esse, hoc est ab ejus vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur."

Probatur:

1° Rom. 9, 16: Ideo (vocatio) *non volentis neque currentis sed miserentis est Dei*, vel ibid. 11, 35 *Quis prior dedit, ut retribuatur ei?*

2° ex ratione: Homo nullatenus opere naturali mereri potest gratiam, quia nulla inter opus naturale et donum supernaturale proportio datur: si

[1] Tr. 86, in Joan. n. 2.

homo intra ordinem naturae praestat, quod potest, a Deo potest exspectare gratiam, non ac si mereretur, sed „facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam".

Nr. 199. **In omnibus adultis, ut gratiam sanctificantem consequantur, requiritur quaedam praeparatio.**

Constat ex Trident.[1] nunc supra allegata declaratione: Ipsius justificationis exordium etc. quae jam sic continuatur: „Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia et adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum credentes vera esse, quae divinitus revelata et promissa sunt, atque imprimis illud, a Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemtionem, quae est in Christo Jesu; et dum peccatores se esse intelligentes a divinae justitiae timore, quo utiliter concutiuntur ad considerandam Dei misericordiam se convertendo in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore illumque tamquam omnis justitiae fontem diligere incipiunt, et propterea adversus peccata moventur per odium aliquod et detestationem, hoc est per poenitentiam, quam ante Baptismum agi oportet, ideoque sibi proponunt Baptismum suscipere, inchoare novam vitam et servare mandata divina".

Successio horum actuum **justificationis ordo** dicitur, quem dari *de fide* est, quin etiam ipsa successio dogmatice sit definita. Nunc per partes.

Nr. 200. **In homine adulto ad gratiam consequendam veluti prima dispositio requiritur fides.**

Constat hoc dogma

1° ex s. scriptura. Marc. 16, 16: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit;* Hebr. 11, 6: *Sine fide impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est et inquirentibus se remunerator sit.*

2° ex Traditione. Clemens Alexdr.:[2] *Prima quidem ad salutem inclinatio est fides, post quam nos timor et spes et poenitentia ducunt ad charitatem;* Ec-

[1] Sess. 6, cap. 6. [2] Strom. L. 2, c. 6.

clesiae praxis, quae a Catechumenis ante baptismum professionem symboli apostolici postulabat.

3° ex ratione: haec dispositionem aliquam ad gratiam necessariam intelligit, cum volentibus tantum Deus non deneget gratias actuales: ut autem cum Deo homo conjungatur, debet recedere a peccato seu poenitere ex inchoata dilectione, quam semper spes sequitur; nemo vero timet, sperat etc. quod non credit; ergo —

Nr. 201. **Sola fides non justificat.** Constat

1° ex epistola s. Jacobi; *Sicut corpus sine spiritu mortuum, ita et fides sine operibus*, et verbis Jesu Christi apud Matth. 7, 21: *Non omnis, qui dicit mihi: Domine, Domine! intrabit in regnum coelorum.*

2° ex Patribus; s. Augustinus:[1] „Sine charitate fides quippe potest adesse sed non prodesse."

3° ex natura rei: Si enim sola fides sufficeret, posset esse conjuncta cum desperatione vel odio Dei, quae sunt contraria spei et charitati: tunc etiam cum his peccatis homo posset justificari, quod impossibile est. — Sententia de sola fide salvifica porro α) in se est absurda: nam si quis credit „ego justificatus sum", debet quia non-imputatio peccati est effectus fidei, jam ante effectum credere sibi peccata jam esse remissa; β) evertit omne virtutis studium, cum, si fides sola salvificat, omnia opera bona superflua inutiliaque sint. Quod autem moralitati nec non veritati repugnat.

Nil obstat illud Rom. 3, 28: *Arbitramur enim justificari hominem per fidem sine operibus legis*, quia Apostolus excludit quidem opera legis Judaeorum ac si hi α) propter originem ex Abrahamo, β) propter circumcisionem et γ) propter opera legi antiquae conformia jus ad justificationem haberent, imo expresse docet Gal. 5, 6: *In Christo Jesu neque circumcisio quid valet, neque praeputium, sed fides, quae per charitatem operatur.*

Nr. 202. **Ad justificationem consequendam praeter fidem illae reliquae a Tridentino enumeratae adhuc requiruntur dispositiones;** in specie

[1] De Trinit. L. 15, c. 18, n. 32.

α) **Timor** Dei procedens ex fide, quae docet Deum esse justum et vindicem peccatorum; nam

1° Eccli. 1, 16: *Initium sapientiae timor Domini*; ibid. v. 27: *Timor Domini expellit peccatum, nam qui sine timore est, non poterit justificari;* Christus et Apostoli minantur poenas divinas, ut reducant ad poenitentiam.

2° s. Augustinus:[1] „Timor est medicamentum, charitas vero sanitas."

3° ex natura rei: Timoris est fugere malum et quaerere medicinam ad malum vitandum vel tollendum.

β) **Spes** nempe veniae peccatorum, pariter ex fide procedens, quae docet Deum esse misericordem et velle omnes salvos fieri.

1° Rom. 8, 24: *Spe enim salvi facti sumus;* Christus ipse fiduciam uti gratiae conditionem postulat dicens apud Matth. 9, 2: *Confide fili, remittuntur tibi peccata.*

2° s. Ambrosius:[2] „Nemo potest bene agere poenitentiam, nisi qui speraverit indulgentiam."

3° ex natura rei: Si speramus peccatorum veniam, eo ipso jam incipimus diligere: ergo —

γ) **Charitas,** et quidem initialis, cum perfecta jam justificat.

Docent charitatis necessitatem aperte SS. Litterae, ex. gr. Eccli. 2, 10: *Qui timetis Dominum, diligite illum et illuminabuntur corda vestra;* 1 Joan. 3, 14: *Qui non diligit, manet in morte;* imprimis vero Christi de Magdalena effatum: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.*

δ) **Poenitentia,** quae ex dilectione sponte fluit, cujusque pars principalis est contritio, i. e. detestatio peccati commissi et propositum amplius non peccandi.

Probatur ex s. Scriptura: Isaj. 1, 16: *Quiescite agere perverse, discite bene facere: si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur;* Luc. 13, 5: *Si poenitentiam non habueritis, omnes peribitis;* Petrus ad Hierosolymitas Act. 3. 19: *Poenitemini igitur et convertimini, ut deleantur peccata vestra.*

[1] Tr. 9 in epist. Joan. n. 4 [2] De poenit. l. 1. c. 1. n. 5.

Nr. 203. **Deus generatim est infinite liberalis in distribuendis gratiis.**

Probatur:

1° ex s. Scriptura, v. gr. Rom. 5, 15: *Non sicut delictum, ita et donum: si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei et donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit;* ibid. 10, 12: *Idem Dominus omnium, dives in omnes, qui invocant illum.*

2° ex Traditione, quae passim Deum vocat avarum nostrae salutis, e. gr. s. Augustinus:[1] „Avarus est Christus; sed nos vult acquirere: pro nobis tantum pretium dedit seipsum; nihil ad hoc pretium addi potest."

3° ex ratione theologica assentiente tum propter voluntatem Dei salvificam, tum propter superabundans Christi meritum, tum propter institutionem Ecclesiae, sacramentorum et reliquorum mediorum salutis pro omnibus.

Nr. 204. **Justis omnibus, praesertim vere volentibus et conantibus, urgente praecepto datur a Deo gratia vere et relative sufficiens ad servanda omnia praecepta.**

Est *de fide* ex damnata Jansenii prop. 1ª: Aliqua Dei praecepta hominibus justis volentibus et conantibus secundum praesentes, quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant; nec non ex Trid. sep. 6, can. 18: „Si quis dixerit, Dei praecepta homini etiam justificato et sub gratia constituto esse ad observandum impossibilia anath. sit."

Probatur:

1° Eccli. 15, 16: *Si volueris mandata servare, conservabunt te;* 1 Joan. 5, 3: *Mandata ejus gravia non sunt:* sunt autem ita, quia gratia adest, vi cujus homo praecepta implere potest.

2° ex Traditione: s. Augustinus:[2] „Deus non deserit, si non deseratur. Nonne istud cantant et in montibus pastores et in theatris poëtae et in scholis

[1] Serm. 37, al. 359, n. 2. [2] De duab. anim. c. 11.

magistri, antistites in sacratis locis et in orbe terrarum genus humanum?"

3° ex ratione: Si Deus justum desereret denegando ei gratiam, qua sola observare potest mandata, Deus esset causa peccati, quod esset blasphematio.

Nr. 205. **Omnibus fidelibus peccatoribus, non exceptis obcaecatis et obduratis, Deus gratias vere sufficientes confert, quibus possint et peccata cavere et a peccatis resipiscere.**

De obduratis et obcoecatis est doctrina certa utpote ex Scriptura et Traditione luculenter patens de caetero autem est *de fide* ex Arausicani IIdi jam[1] allegato can. 25to. nec non ex Trident. sess. 6 c. 14: „Qui accepta justificationis gratia per peccatum exciderunt, rursus justificari poterunt, cum excitante Deo per poenitentiae Sacramentum merito Christi amissam gratiam recuperare procuraverint."

Probatur:

1° ex Scripturae locis, ubi iterata vice consilium Dei, se nolle mortem peccatoris, enuntatiur, e. gr. Ezech. 33, 11: *Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua et vivat;* ex innumeris exhortationibus ad poenitentiam, e. gr. Jerem. 35, 15 et Christi parabolis, v. gr. de filio prodigo, ove et drachma perdita.

2° ex Traditione; s. Augustinus:[2] „Quidquid feceris, quaecunque peccaveris, adhuc in vita es; unde te Deus, si sanare nollet, auferret;" conc. Later. IV., cap. *Firmiter:* „Si post susceptionem Baptismi quisquam prolapsus fuerit in peccatum, per veram potest semper poenitentiam reparari."

3° ex praxi Ecclesiae, quae non solum omnes ad poenitentiam hortatur, sed eam semel saltem in anno faciendam praescribit, et semper et omnibus media salutis offert.

Nr. 206. **Deus omnibus infidelibus, etiam negativis, gratiam necessariam salutis tribuit.**

Infideles alii dicuntur *positivi*, alii *negativi;* illi sunt, qui cum fidei notitiam habuerint, eam amplecti

[1] Supra n. 192, p. 370. [2] Ps. 6, n. 8.

noluerunt, aut eam respuerunt; hi sunt, qui nihil unquam de fide audierunt. De illis hic nulla est quaestio.

Propositio, contra Calvinianos et Jansenistas imprimis statuta, secundum plurimos est *theologice certa* eique favet Ecclesia, cum Alexander VIII. damnaverit propositionem: „Pagani, judaei, haeretici aliique hujus generis nullum omnino accipiunt a Jesu Christo influxum, adeoque hinc recte inferes, in illis esse voluntatem nudam et inermem sine omni gratia sufficiente."

Probatur:

1° ex s. Scriptura, juxta quam Deus vult omnium et singulorum, ergo etiam infidelium salutem; apud ipsum enim *non est distinctio Judaei et Graeci; nam idem Dominus omnium, dives in omnes, qui invocant illum.*[1]

2° ex Patribus, qui ad Joan. 1, 9 frequentissime provocant, v. gr. s. Chrysostomus:[2] „Illuminat omnem hominem . . . quantum in ipso est. Si qui autem, sponte sua mentis oculos claudentes, hujus lucis radios percipere nolint: non ex natura lucis venit, quod in tenebris maneant. Gratia quippe in omnes effusa est."

Objicitur quidem, quod α) Deus in SS. Litteris peccatores, v. gr. Pharaonem obdurare et obcoecare dicatur, et β) juxta Apostolum ad Rom. 10, 14 fides sine praedicatione Evangelii impossibilis sit, dum simul constet, Evangelium multis minime fuisse praedicatum. Ast haec thesi nostrae nil officiunt. Nam obduratio ex parte Dei non positiva est, sed fit solummodo ex voluntate permittente; Apostolus vero loquitur de cursu ordinario, juxta quem utique ad fidem necessaria est praedicatio. Veruntamen Deo alia quoque suppetunt media, ut infidelem, qui gratiis acceptis cooperatur, ad fidem perducat.[3]

Nr. 207. Adnotandum quod ad **infantes absque baptismo decedentes** quoque pertineat Dei antecedens et seria voluntas salvifica.

Licet enim ex theologorum communi sententia tales intantium animae in Limbo puerorum luant poenam damni, vel ex aliorum doctrina naturali tantum

---

[1] Rom. 10, 12. [2] Hom. 8 in Joan. [3] Cf. s. Thom. De Verit. q. 14, a. 11, ad 1.

beatitudine fruantur, cum neque baptismo fluminis neque baptismo flaminis justificati discesserint ex hac vita. Christus tamen, cum pro omnibus, ergo et pro his parvulis mortuus sit, dici debet horum etiam velle salutem, sed antecedenter tantum; nam mortem sine baptismo ex naturae legibus consequentem permittens sicque morte in peccato originali praevisa sane non vult voluntate consequente horum infantium salutem.

Nr. 208. **Gratia mensura inaequali distribuitur.**

Deus enim, qui vult omnes salvos fieri, non in eadem mensura dat media, quia dispositio in variis est diversa. Hoc expresse Trident. sess. 6, cap. 7 docet: „Qua (scil. gratia sanctificante) ab eo donati renovamur spiritu mentis nostrae et non modo reputamur, sed vere justi nominamur et sumus, justitiam in nobis recipientes, unusquisque suam secundum mensuram, quam Spiritus S. partitur singulis prout vult et secundum propriam cujusque dispositionem et cooperationem."

Probatur:

1° ex s. Scriptura, quae, ut inquit Bellarminus,[1] hanc propositionem ita luculenter habet,[2] ut mirum videri possit ab ullo unquam fuisse negatam.

2° ex Patribus s. Augustinus:[3] „Deus potest esse totus in omnibus rebus et in singulis totus, quamvis, in quibus habitat, habeant eum pro sua capacitatis diversitate alii amplius alii minus."

3° ex natura rei: Gratia jam exinde non in omnibus aequalis esse potest, quia aliis efficax, aliis vero tantum sufficiens datur.

Cuinam vero haec, cui illa conceditur? In hujus quaestionis solutione consistit ipsum

Praedestinationis mysterium.

Praedestinatio sensu lato est pars providentiae, quae versatur circa finem supernaturalem creaturae liberae, et refertur tum ad bonum tum ad malum. Praedestinatio in malam partem accepta reprobatio audit.

[1] De grat. et lib. arb. L. 2, c. 2 [2] Cf. Christi parabolam de 10 talentis [3] Epist. 168, ad Hieron. n. 13.

Nr. 209. In sensu tamen strictiori **praedestinatio** secundum s. Augustinum[1] est praescientia et praeparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur. Huic consonat illa definitio, quam s. Thomas magistralem vocat:[2] „Praedestinatio est praeparatio gratiae in praesenti et gloriae in futuro." Jam vero pro praxi explicatius

praedestinatio sic **definitur:** est illud voluntatis divinae decretum, quo Deus gratiam atque felicitatem aeternam certis hominibus inde ab aeterno largiri vult:

reprobatio autem est illud aeternum voluntatis divinae decretum, quo Deus certos homines a felicitate aeterna vult excludere et poenae sive damni sive sensus addicere.

Terminus ergo praedestinationis est gloria et gratia, non autem sanctificans solum, sed omnis gratia finaliter ducens ad perseverantiam finalem.

Distinguitur *praedestinatio:*

1° complete vel incomplete sumpta: illa est praedestinatio ad gratiam et gloriam simul: haec vel tantum ad gratiam et dicitur *radicalis* seu virtualis ad gloriam, quia gratia sanctificans est radix et semen visionis, vel tantum ad gloriam et dicitur praedestinatio ad gloriam *formalis*.

2° prout est vel in intentione Dei praedestinantis, vel vero in executione, id est in actu primo vel in actu secundo, in principio vel in termino.

Reprobatio duplex distingui solet: positiva, quae est positivum decretum aeternae damnationis, et negativa quae est pura negatio electionis ad gloriam.

Utrumque decretum tum praedestinationis tum reprobationis potest vel absolutum vel hypotheticum mente concipi, sicque distinguitur:

praedestinatio *absoluta* vel *hypothetica*, quatenus antecedit vel subsequitur praevisionem sit cooperationis cum gratia sit meritorum et perseverantiae finalis, et pariter

reprobatio *absoluta* vel *conditionata*, quatenus

---

[1] Lib. *de* [illegible] cap. 14. [2] In I dist. 40 quaest. 1, art. 2

antecedit vel subsequitur praevisionem finalis impoenitentiae.

Nr. 210. Circa praedestinationem **errabant:**

1. Pelagiani: docebant causam electionis ad gloriam esse bona opera ex solis naturae viribus facta et a Deo praevisa sicque gratuitatem ipsamque existentiam praedestinationis tum ad gratiam, tum ad gloriam negabant.

2. Semipelagiani; gratuitatem praedestinationis saltem ex parte inficiabantur, cum juxta ipsos Deus homines regulariter saltem praedestinet ad primam gratiam ob praevisam eorum bonam voluntatem conatusque naturales. Quapropter etiam praedestinatio ad gloriam, saltem in radice, gratuita non esset.

3. Praedestinatiani et Calviniani; docuerunt Deum quosdam absolute et positive ad infernum praedestinasse, hoc vero discrimine, ut aliqui ex Calvinistis, et quidem *Supralapsarii* hoc decretum ponant antecedenter ad praevisum lapsum Adami: alii, qui *Infralapsarii* audiunt, consequenter ad praevisionem hujus lapsus. His adstipulandi sunt

4. Jansenistae, juxta quos totum genus hominum per et post peccatum Adae est massa damnata, ex qua electi per gratiam efficacem h. e. necessitantem praedestinantur ad gloriam, reliquis omnibus positive reprobatis.

Doctrinam Catholicorum his erroribus oppositam sequentes exponant theses:

Nr. 211. **Datur ex parte Dei veri nominis praedestinatio.**

Est *de fide* ex can. 3 conc. Valentini universaliter recepti: „Fidenter fatemur praedestinationem electorum ad vitam et praedestinationem impiorum ad mortem."

Probatur:

1° Matth. 25. 34: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi:* Eph es 1, 4: *Elegit nos ante constitutionem mundi, ut essemus sancti; praedestinavit nos per Jesum Christum secundum propositionem voluntatis suae.*

2° s. Augustinus:[1] Praedestinationis fidem . . . nunquam Ecclesia Christi non habuit.

3° ex ratione: Nil fit a Deo in tempore, quod non fuerit ordinatum ab aeterno: atqui sunt homines, quibus felicitas aeterna atque gratia divina contingat: ergo.

Nr. 212. **Praedestinatio est gratuita.**

Probatur:

1° ex SS. Litteris; nam juxta illa Apostoli ad Ephes. supra citata verba Deus nos elegit, non quia fuimus aut futuri eramus sancti, sed ut essemus sancti; neque nos praedestinavit propter merita nostra, sed propter merita Christi; 2 Timoth. 1, 9: *Deus vocavit nos . . . non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum et gratiam, quae data est nobis in Christo Jesu ante tempora saecularia.*

2° ex Traditione. S. Augustinus, qui de gratuita praedestinatione sermonem faciens dicit:[2] „Aut praedestinatio praedicanda est, quemadmodum eam s. Scriptura evidenter loquitur, aut gratiam Dei secundum merita nostra dari confitendum, quod sapiunt Pelagiani."

3° ex ratione. Praedestinatio est praeparatio gratiae et gloriae. Atqui homo per opera naturalia ne minimam quidem gratiam mereri potest, multo minus ergo ipsam praedestinationem, quae est omnium gratiarum ipsiusque gloriae cumulus.

Nr. 213 **Praedestinatio est immutabilis,** ita ut numerus electorum nec augeri, nec minui possit.

Constat:

1° ex SS. Litteris. Joan 10, 27: *Oves meae vocem meam audiunt . . . et non peribunt in aeternum et non rapiet eas quisquam de manu mea.*

2° s. Augustinus:[3] „Praedestinatorum numerus ita est certus, ut nec addatur eis quisquam, nec minuatur ex eis." s. Fulgentius[4] „Firmissime tene, neque perire posse aliquem eorum, quos Deus praedestinavit ad regnum caelorum; nec quemquam

[1] Lib. *dono d. persev.* cap. 23, n. 65. [2] De dono persev. n. 41. [3] De corrept. et grat. c. 13, n. 39. [4] Lib. *de fide*, cap. 55.

eorum, quos non praedestinavit ad vitam, ulla ratione posse salvari."

3° ex ratione theologica. Praedestinatorum numerus pendet tum a voluntate Dei, qua gratiam efficacem et perseverantiae donum conferre decrevit; tum a praescientia, qua hominum cooperationem praevidet. Atqui impossibile est, ut voluntas Dei mutetur aut scientia fallatur; ergo.

Nr. 214. **Praedestinatio est nobis incerta,** ita ut nemo absque speciali revelatione certus esse possit de sua praedestinatione.

Est *de fide* ex Trident. sess. 6. can 16: „Si quis magnum illud usque in finem perseverantiae donum se certe habiturum absoluta infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali revelatione didicerit: anath. sit."[1]

Probatur:

1° ex SS. Litteris. 1 Cor. 10. 12: *Qui se existimat stare, videat, ne cadat;* Philipp. 2. 12: *Cum metu et tremore vestram salutem operamini.*

2° ex Patribus. S. Augustinus:[2] „Quis enim ex multitudine fidelium, quamdiu in hac mortalitate vivitur, in numero praedestinatorum se esse praesumat?"

3° ex ratione. Cum praedestinatio sit actus liber divinae voluntatis, nullus eam seclusa revelatione cognoscere potest.

Nr. 215. Quamvis nemo absolutam certitudinem suae praedestinationis habeat, potest tamen habere quandam iste talem, quae fiducialis seu conjecturalis dicitur.

Signa conjecturalia praedestinationis autem sunt:

1° Studium constans puritatis conscientiae juxta illud 1 Joan. 3. 21: *Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum.*

2° Affectus ad orationem et frequens recursus ad Deum, amor lectionis spiritualis et verbi Dei: nam juxta Joan. 8. 47: *Qui ex Deo est, verba Dei audit.*

3° Frequens memoria Passionis Christi et fiducia in ipsius meritis.

[1] Cf. ibid. can. 12. [2] De corr. et grat. cap. 13.

4° Conformitas divinae voluntati praesertim in rebus adversis, imo primarium indicium praedestinationis est, multa adversa christianâ patientiâ tolerare: *nam quos praescivit, et praedestinavit conformes fieri imaginis filii sui*,[1] scilicet primum crucifixi et dolorosi, deinde autem resurgentis et gloriosi.

5° Exercitium virtutum, quae in octo „beatitudinibus" continentur, imprimis humilitatis, cui Deus gratiam largitur.

6° Charitas erga Deum et amor omnium rerum, quae ad Deum pertinent, ut sunt religio, cultus, personae sacrae et piae, Ecclesia ejusque exaltatio, ita ut pro iis libeat omnem laborem impendere.

7° Charitas erga proximum et misericordia in pauperes.

8° Singularis devotio erga B. V. Mariam, cui Ecclesia jure meritoque applicat illud s. Scripturae effatum:[2] *Qui me invenerit, inveniet vitam et hauriet salutem a Domino.*

Nr. 216. **Decretum praedestinationis est hypotheticum.**

Constat:

1° ex SS. Litteris. *Venite benedicti Patris mei . . . Esurivi enim et dedistis mihi manducare* etc.; 2 Cor. 9, 6: *Qui parce seminat, parce et metet;* Rom. 8, 29: *Nam quos praescivit* (cum gratia vocante esse cooperaturos), *praedestinavit* etc. Propterea 2 Petr. 1. 10, ait: *Satagite, ut per bona opera certam faciatis vestram vocationem et electionem.*

2° ex Patribus, S. Ambrosius:[3] „Quorum merita praescivit, horum praemia praedestinavit."

3° ex Ecclesiae oratione: *Omnipotens sempiterne Deus, qui vivorum dominaris et mortuorum omniumque misereris, quos tuos fide et opere futuros esse praenoscis.*

4° ex ratione. Negari non potest, sententiam de praedestinatione, quae praescientiam consequitur, magis divinae sanctitati ac justitiae esse congruam nec non animos ad opera bona vehementius accendere, dum e contrario sententia opposita in Deum injuriosa imo fere blasphema esse videtur atque, qui sunt

[1] Rom. 8, 29. [2] Prov. 8, 35. [3] *de fide* L. 5, c. 6, n. 82.

tenuioris indolis, ad desperationem facile adducit, qui autem levioris animi, salutis suae prorsus incuriosos reddit.

Nr. 217. **Datur reprobationis decretum.**

Est *de fide* ex supra citato conc. Valent.

Probatur:

1° ex SS. Litteris. Matth. 25, 41: *Tunc dicet filius hominis his, qui a sinistris erunt: Discedite a me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis suis.*

2° ex Patribus. S. Augustinus[1] et Prosper[2] loquuntur de reprobationis fide in Ecclesia.

3° ex ratione. Quod enim Deus facit in tempore, hoc vult inde ab aeterno, quia voluntas in Deo est immutabilis; atqui in tempore certos homines excludit a gloria: ergo.

Nr. 218. **Decretum reprobationis positivae est hypotheticum.**

Est *de fide* ex Arausic. II. a tota Ecclesia recepto canone: „Aliquos ad malum divina potestate praedestinatos esse non solum non credimus, sed etiam, si sunt, qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus," nec non ex Trident. sess. 6, can. 13: „Si quis justificationis gratiam nonnisi praedestinatis ad vitam contingere dixerit, reliquos vero omnes, qui vocantur, vocari quidem sed gratiam non recipere, utpote divina potestate praedestinatos ad malum: anath. sit."

Probatur:

1° ex SS. Litteris. *Discedite a me in ignem aeternum; esurivi enim, et non dedistis mihi manducare* etc. SS. Litterae porro id docent indirecte, quum tradant, Deum velle vere ac sincere omnes homines salvos fieri et Christum pro omnibus mortuum esse.

2° ex Patribus; Augustinus:[3] „Bonus est Deus, justus est Deus; potest aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est; non potest quempiam sine malis meritis damnare, quia justus est."

3° ex ratione theologica. Deus, qui omnes vult

[1] cf. De dono persev. c. 23, n. 65 [2] cf. Resp. ad 1. obj. Gallor. [3] L. 3, c. Jul., c. 18.

salvos fieri. omnibus finem supernaturalem assignavit ideoque dat sufficientia media salutis. Si esset absoluta reprobatio, illis positive reprobis non assignavit finem supernaturalem sed damnationem et deberet hunc finem velle.

Nr. 219. **Etiam reprobatio negativa seu ad poenam damni, ut ajunt, hypothetica est.**

Agitur tantum de infantibus sine baptismo decedentibus. Jamjam supra[1] diximus, Deum noanisi illos, quos praescit peccato originis onustos esse ex hac vita discessuros, a felicitate aeterna excludere velle, non autem alios. Quod quidem eo magis adstruendum erit, quum etiam praedestinatio ad gloriam, ut ostendimus, hypothetica sit, et quum non possit reprobatio negativa absoluta defendi, quin praedestinatio, quin imo ipsa reprobatio positiva, quam hypotheticam esse jam dogmatice constat, absoluta statuatur. Quodsi enim electi praedestinatione absoluta ad gloriam praedestinarentur, et qui poena damni afficiendi sunt, absoluta reprobatione reprobarentur: necessario etiam qui poenas sensus sustinebunt, absoluto reprobationis decreto reprobati seu rejecti esse deberent, quod autem contra fidem.

De fructibus gratiae.

Gratia est semen gloriae: fructus seminis in hac vita jam sunt opera bona.

Nr. 220. **Bonum opus** definiri potest: est actio legi divinae conformis ex principio et ex motivo supernaturali procedens.

Opera haec, quae supernaturalia audiunt, **distinguuntur:**

1° *perfecta*, si fiunt ab homine justo.

2° *imperfecta*, si fiunt ab homine adhuc peccatore.

Novatores 16ti saeculi pro suo systemate de justificatione mere extrinseca, quae peccatum tegit, non tollit, consequenter quoad bona opera *docuerunt*: omnia praecepta nobis esse impossibilia, nulla propterea dari opera bona; omnia opera etiam justorum ex natura sua esse peccata mortalia aut saltem venialia, opera bona

[1] Nr. 207, pag. 0.

ad salutem non esse necessaria, certo non necessitate efficientiae, quatenus felicitatis aeternae conditio sint, sed ad summum necessitate tantum praesentiae, quatenus signa sint justificationis; denique non esse meritoria.

Doctrinam catholicam huic oppositam sequentes praebent probositiones:

Nr. 221. **Opera bona sunt possibilia.**

Est *de fide* ex Trident. sess. 6. can. 18: „Si quis dixerit, Dei praecepta homini etiam justificato et sub gratia constituto esse ad observandum impossibilia: anath. sit."

Probatur:

1° ex s. Scriptura, secundum quam *α)* observatio legis facilis est, ergo eo magis possibilis;[1] *β)* revera mandata servantur ab iis, qui diligunt Christum;[2] *γ)* varii exstabant viri, qui servaverunt mandata divina atque propterea perfecti fuerunt, uti Noë, David etc.

2° ex Traditione: s. Augustinus:[3] „Non igitur Deus impossibilia jubet, sed jubendo monet et facere, quod possis, et petere, quod non possis." — Ecclesia in conc. Arausic. IIdo profitetur: „Hoc etiam secundum fidem cath. credimus, quod accepta per baptismum gratia omnes baptizati Christo auxiliante et cooperante, quae ad salutem pertinent, et possint et debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere."

3° ex ratione. Si observatio legis divinae esset impossibilis *α)* amplius non esset lex, quia ad impossibilia nemo tenetur; *β)* homo legem transgrediendo haud peccaret; *γ)* Deus, qui tamen legem daret, esset stultus et omni tyranno crudelior.

Nr. 222. **Dantur opera bona.**

Est *de fide* ex Trident. s. 6, can. 25: „Si quis in quolibet bono opere justum saltem venialiter peccare dixerit, aut quod intolerabilius est, mortaliter, atque ideo poenas aeternas mereri tantumque ob id non damnari, quia Deus ea opera non imputat ad damnationem: anath. sit."

[1] Cf. Matth. 11, 30. [2] Joan 14, 23. [3] De nat et grat. c. 43, n. 50.

Probatur:

1° ex SS. Litteris. Psalmista (3, 9) provocat ad Deum, ut secundum justitiam judicet, et causam affert, dicens: *quia custodivi vias tuas Domine:* Christi verba: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum, qui in coelis est.*

2° ex ratione theologica. Si omnes actiones peccata essent, tunc: α) per opera bona non meremur augmentum gratiae; β) tunc etiam fides Protestantium esset peccatum; γ) s. Paulus, qui 1 Cor 4, 4. dixerat: *Nil mihi conscius sum, sed in hoc non sum justificatus*, quique certe otiosus non erat, his verbis se multa commisisse peccata confessus esset; δ) injuria interretur meritis Christi, cum non essemus sectatores bonorum operum, quod vero SS. Litterae contendunt:[1] *Qui* (Christus) *dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum;* ε) non possent SS. Litterae nos ad bona *opera* obstringere et obligare.

Nr. 223. **Bona opera sunt necessaria.**

Est *de fide* ex Trident. s. 6. can. 19: „Si quis dixerit, nihil praeceptum esse in Evangelio praeter fidem, cetera esse indifferentia neque praecepta neque prohibita, sed libera . . . vel[2] dixerit hominem justificatum . . . non teneri ad observantiam mandatorum Dei et Ecclesiae, sed tantum ad credendum; quasi vero Evangelium sit nuda et absoluta promissio vitae aeternae sine conditione observationis mandatorum: anath. sit."

Probatur:

1° ex Christi verbis:[3] *Non omnis qui dixerit: Domine! intrabit in regnum coelorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in coelis est*, vel etiam: *Si vis ad vitam ingredi serva mandata.*

2° ex Patribus, s. Chrysostomus:[4] „Nam etsi quis recte credat in Patrem et Filium et Spiritum

[1] Tit. 2, 14. [2] ibid. can. 20. [3] Matth. 7, 21. [4] Hom. 31 in Joan. n. 1.

sanctum, si recte non vivat, nil ipsi fides proderit ad salutem."

3° ex ratione. Si fides sola sufficeret et opera bona non essent necessaria, tunc vitam aeternam assequeretur homo fidelis nullo praeter infidelitatem obstante alio peccato.

Nr. 224. **Bona opera sunt meritoria,** et quidem de condigno.

Est *de fide* ex Trident. s. 6, can. 32: „Si quis dixerit, hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita; aut ipsum justificatum bonis operibus, quae ab eo per Dei gratiam est Jesu Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiae, vitam aeternam et ipsius vitae, aeternae, si tamen in gratia decesserit, consecutionem atque etiam gloriae augmentum: anath. sit."

Probatur:

1° ex s. Scriptura, in qua α) vita aeterna bonorum operum merces nominatur; β) bona opera causa possessionis et praeparationis vitae aeternae vocantur; γ) bonis operibus ex justitia vita aeterna deberi dicitur et δ) secundum mensuram operum datur praemium.

2° Ecclesia docet in Arausicano; „Debetur merces bonis operibus, si fiant: sed gratia, quae non debetur, praecedit, ut fiant;" in Florentino: animas quae nil expiandum habent, in coelum mox recipi et intueri clare ipsum Deum trinum et unum, sicuti est, pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius.

3° ex ratione. Opera bona fiunt a justo habente gratiam; qui est in gratia, dignus est vita aeterna; opera autem, quae ex gratia procedunt, eandem habent dignitatem: ergo sunt de condigno.

Quaeritur: an merentur vi operis, an vi pacti, an vero vi utriusque? *Probabilior* est sententia, quae meritum vi utriusque tenet. Opera bona enim in proportione quadam sunt ad mercedem, cum participent ex gratia sanctificante, quae semen est vitae aeternae. Ideo adest proportio operum cum vita aeterna. Sed debet etiam accedere promissio divina, cum homo

opera bona deberet ponere, etsi Deus non daret gloriam; ut ergo actualiter exigat hoc opus aliquod praemium, debet accedere promissio divina. Unde conc. Trident. l. c. cap. 16, habet: „Bene operantibus usque in finem et in Deo sperantibus proponendam esse vitam aeternam et tanquam gratiam filiis Dei per Christum Jesum misericorditer promissam et tamquam mercedem ex ipsius promissione bonis ipsorum operibus et meritis fideliter reddendam."

Nr. 225. **Licet propterea in meritis fiduciam aliquam collocare.**

Est *de fide* ex Trident. can. 26: „Si quis dixerit, justos non debere pro bonis operibus, quae a Deo fuerint facta, exspectare et sperare aeternam retributionem a Deo per ejus misericordiam et Jesu Christi meritum, si bene agendo et divina mandata custodiendo usque in finem perseveraverint, anath. sit."

Probatur:

1° ex SS. Litteris. Tob. 4, 12: *Fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna omnibus facientibus eam*; Rom. 5, 3: *Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit*; SS. Litterae porro varia adducunt exempla, ut: Davidis, Nehemiae, Ezechiae, Estheris, qui in precibus suis commemorant bona opera sua, ut Deum moverent ad exauditionem.

2° ex ratione. In omni causa perducente ad finem fiducia aliqua collocari potest; atqui bona opera sunt causae vitae aeternae: ergo.

Adnotandum caeterum, quod propter incertitudinem propriae justitiae et periculum superbiae vel inanis gloriae melius et consultius sit, fiduciam in sola Dei misericordia et benignitate reponere. Quapropter α) monet Salvator apud Luc. 17, 10. *Cum feceritis omnia, quae praecepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus:* β) orat Ecclesia in collecta Dom. Sexagesimae: „Deus, qui conspicis, quia ex nulla actione nostra confidimus etc." et in canone post Consecrationem: „Intra quorum nos

consortium non aestimator meriti, sed veniae quaesumus largitor admitte."

Nr. 226. **Licet propterea etiam intuitu mercedis bene agere.**

Est *de fide* ex Trident. l. c. can, 31: „Si quis dixerit justificatum peccare, dum intuitu aeternae mercedis bene operatur, anath. sit."

Probatur:

1° ex verbis Christi apud Matth. 6, 3: *Te autem faciente eleemosynam nesciat sinistra tua, quod faciat dextera tua: ut sit eleemosyna tua in abscondito, et pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi;* Galat. 6, 9: *Bonum autem facientes non deficiamus; tempore enim suo metemus.*

2° ex ratione. Omnis operans inter operandum respicere debet finem ac dirigere opus ad hunc finem; atqui finis est merces aeterna: ergo.

Nr. 227. **Objectum meriti** quod attiuet, ad dogma tantum pertinet ex Trident. can. 32: justos per bona opera ex gratia facta vere et proprie apud Deum mereri augmentum gratiae sanctificantis, vitam aeternam et gloriae augmentum; et haec omnia ac sola quidem de condigno.

Operatio autem, quae extra statum justificationis ope gratiae actualis fit. certe non habet characterem stricti meriti; attamen propter supernaturalem gratiam, cui innititur, non omni charactere meritorio potest carere, qui propterea de congruo tantum esse potest.

Quoad vero quaestionem, quaenam bona supernaturalia certo vel saltem probabiliter sint vel non sint objectum meriti de congruo, theologi sequentes defendunt sententias:

1. Homo ne de congruo quidem potest sibi mereri primam gratiam actualem; siquidem tale meritum esset opus salutare sine praeveniente gratia elicitum, quod fieri nequit ex supra dictis.

2. Neque potest mereri de condigno primam gratiam habitualem, quod ita est certum, ut nonnulli asserant esse *de fide* ex Conc. Araus. IIdi can. ultimo et Trident. sess. 6. can. 1, 2, 23 et cap. 8.

3. Illam tamen potest mereri de congruo infallibili

per actum contritionis perfectae, quod SS. Litterae, v. gr. Ezech. 12, 21: *Timor Domini expellit peccatum*: SS. Patres, e. gr. Ambrosius:[1] „Lacrymae veniam non postulant, sed merentur;" nec non Trident. sess. 14. cap. 4 satis testantur. Poenitentiae enim actus, non quidem ex dignitate operantis, attamen, ex semetipsis, utpote supernaturali gratia factis aliquam causalitatem et proportionem habent ad justificationem.

4. Non potest homo quantumvis justus nec de condigno nec de congruo infallibili sibi aut alteri mereri: α) donum perseverantiae, β) reparationem post lapsum consequendam, γ) nec ullam gratiam actualem nec generatim ullum aliud beneficium a gratia distinctum, quia de illis nulla exstat divina promissio imo in Scripturis potius significatur contrarium, v. gr. 1 Cor. 10, 12: *Qui se existimat stare, videat, ne cadat*; vel Philipp. 2, 12: *Cum metu et tremore salutem vestram operamini.*

5. Homo, tam peccator quam justus, gratiam actualem secundam et efficacem potest sibi mereri de congruo fallibili, scilicet precibus aliisque operibus bonis; nam moris est divini, ait *Lessius*, initia virtutum largiri gratis, indignis et indispositis: sed augmenta nonnisi se disponentibus et idoneos reddentibus, ita ut, quo quis se magis reddat idoneum vi prioris gratiae, eo uberiores gratias a Deo sit accepturus.

6. Justus de congruo fallibili mereri sibi potest reparationem post lapsum, gratias actuales uberiores, perseverantiam finalem; aliis autem, quidquid sibi mereri potest, imo et primam gratiam, quam sibi mereri non potest.

Ratio, cur illa bona *sibi* possit mereri, est, quia opera supernaturaliter bona habent de se aliquam proportionem ad haec praemia, quae ideo exspectari possunt a benigna Dei aequitate et liberalitate. Deinde illa potest justus impetrare: ergo et mereri de congruo fallibili; cur vero possit illa *aliis* mereri, ratio fere tota fundatur in lege amicitiae inter Deum et justos intercedentis. Advertendum autem est, ut quis alteri mereatur, requiri *specialem ad id oblationem*, quia

[1] Lib. 10 in Luc.

opus bonum per se cedit in utilitatem non alterius sed ipsius operantis; insuper merens debet esse in gratia.

Oratio praeter meritum sibi, qua operi, insitum, cui applicanda est enerrata doctrina, habet praeterea propriam et peculiarem aptitudinem ad *impetrandum*. Ea tota innititur tum in bonitate Dei tum in promissione Christi: „Petite et dabitur vobis," promissio vero est generalis.

Nr. 228. **Ad meritum quodvis variae conditiones requiruntur** ex parte operantis, operis et praemiantis, et quidem:

1. ad meritum de condigno constituendum *ex parte hominis*, ut sit α) viator, β) in statu gratiae et γ) sibi, non alteri mereatur; *ex parte operis*, ut sit α) vere liberum, β) bonum et honestum, γ) supernaturale tum ratione principii (ex gratia) tum ratione finis seu motivi (ex fide); *ex parte Dei*, ut habeatur promissio.

3. ad meritum de congruo infallibili omnes modo allatae conditiones excepta una, cum status gratiae non requiratur, dum

3. ad meritum de congruo fallibili autem et insuper promissio divina non est necessaria.

Nr. 229. Disputant theologi, num ad meritum de condigno postuletur charitas ut motivum.

Communis sententia est, quod sit quidem optimum charitatis motivum, sed non necessario requiratur; sufficit aliud ex revelatione propositum, v. gr. spes vitae aeternae, gratitudo, timor Dei, spes veniae peccatorum.

E contra status gratiae ad meritum de condigno ita est necessarius, ut per peccatum exstinguantur merita. Theologi etenim distinguunt:

1. *opera viva* seu opera bona in statu gratiae peracta;

2. *opera mortua* seu opera bona in statu mortalis peccati peracta;

3. *opera mortifera* seu peccata mortalia, quae privant vita spirituali;

4. *opera mortificata* seu opera viva, quae per subsequens peccatum mortificantur; ast reviviscunt, si hic status peccati iterum deletur.

Si peccatum removetur, reviviscunt quoque merita

priora et gratiae augmentum, quod prius meritum erat. Qui diu in gratia plura merita acquisivit quam alius, si dein peccat et iterum removet hoc impedimentum, etiam majorem gradum gratiae nunc assequitur quam alter. Opera autem mortua non reviviscunt.

Cum meritum pendeat a modo enumeratis conditionibus, quo magis hae crescunt, eo magis crescit et ipsum.

Nr. 230. **Crescit ergo meritum:**

1. Ex dignitate personae. Sic in eodem opere majus est meritum hominis justi quam peccatoris, sicque in omnibus operibus Christi infinitum fuit meritum, ob infinitam personae dignitatem.

2. Ex bonitate specifica operis; unde magis meritorii sunt actus virtutum theologicarum quam moralium.

3. Ex quantitate operis, quae duplex est: una scil. *absoluta* et hoc modo majus opus est centum aureos distribuere pauperibus quam decem; alia vero *proportionalis*, et hoc modo pauper illa vidua, quae duo minuta in gazophylacium misit, dicitur apud Marc. 12. 42 a Christo plus omnibus misisse.

4. Ex aliis circumstantiis, v. gr. durationis, intensionis etc. maxime vero ex operis difficultate, dummodo haec ex parte ipsius operis non ex debilitate et pigritia operantis oriatur.

5. Maxime ex motivis, inter quae principem locum obtinet charitas, ita ut homo, qui aliquod opus ex magna charitate facit, saepe magis mereatur, quam alius, qui opus ex se majus et dignius, sed cum minore charitate peragit.

Tractatus septimus.

De Sacramentis in genere.

Gratia sanctificans Christi meritis parta ordinarie non immediate, sed per instrumenta quaedam ac velut canales nobis applicatur, qui vocantur sacramenta.

Prinsquam ad singula descendamus, sacramenta in genere tractabimus, ut sic praemittamus ea quae

omnibus sacramentis sunt communia, quo respectu nobis hic sermo erit de essentia, de existentia, de causis, ac de efficacia sacramentorum.

Nr. 231. **Sacramentum** vi vocis significat rem sacram; sacrum porro dicitur illud, quod est separatum ab usu communi et deputatum Deo ejusque cultui.

Vox autem sacramentum accipitur aliter apud scriptores profanos, aliter apud ecclesiasticos. Apud illos etenim designabat olim modo pecuniam a litigantibus depositam in manu pontificis, donec causa decisa esset, modo jusjurandum, praesertim militare, quod si miles violasset, diis Manibus caput ejus sacrabatur.

Apud scriptores ecclesiasticos latinos „sacramentum" idem senat ac *μυστήριον* apud Graecos, et quadruplici sensu usurpatur, significans scilicet: 1° religionem praecipue christianam; 2° rem secratam eamque sacram; 3° signum, symbolum vel typum rei sacrae; 4° sensu strictiore: signum rei sacrae pertinens ad sanctificationem hominis.

Verum haec definitio, cum abstrahat a significatione gratiae praesentis vel futurae, sacramentis tum veteris tum novae legis communis est, sicque Sacramentum legis veteris describi potest: Signum sensibile, a Deo institutum permanenter tamquam praefigurativum gratiae per Christum dandae, operans sanctitatem legalem, adjuvans ad sanctitatem internam.

232. **Sacramentum** novae Legis autem **definitur:** Signum practicum gratiae a Christo institutum, vel explicatius: Signum sensibile a Christo permanenter institutum, quod sanctitatis tum significandae tum efficiendae vim habet.

Signum *est generatim id, quod potentiam cognoscitivam sive sensitivam sive intellectivam, ducit in cognitionem rei alterius.*

Dividitur *varie: α) in sensibile, ut signum crucis, et spirituale, ut character sacramentalis: — β) in naturale, ut fumus indicans ignem, et arbitrarium, ut vocabulum significans ideam mentis: — γ) in rememorativum, demonstrativum et prognosticum, prout indicat rem praeteritam, praesentem vel futuram: — δ) in symbolicum, quod cum re significata aut-*

logiam aut similitudinem habet, et purum, quod similitudine destitutum est; — ε) in speculativum, quod rem nude significat, et practicum, quod rem non tantum significat, sed etiam causat; — ζ) in sacrum et profanum, prout ad ordinem sacrum vel profanum pertinet.

Sacramentum novae legis est vero signum sacrum (tum ex parte sui tum ex parte rei significatae), commemorativum (passionis Christi, utpote causae justificationis nostrae), demonstrativum (gratiae sanctificantis, utpote formae justificationis), prognosticum gloriae futurae, quae ejusdem justificationis finis est), arbitrarium, symbolicum atque practicum.

In quolibet ergo Sacramento requiritur: 1° signum externum visibile, 2° Christi institutio permanens, 3° gratiae significatio et collatio, quae tria recte propterea **elementa sacramenti constitutiva** vocantur.

Ex dictis facile cernitur e sensu sacramenti excludenda esse manna deserti, serpentem aeneum, transitum per mare rubrum, aquam de petra manantem etc.; in novo foedere baptismum a praecursore Joanne collatum, lotio pedum in coena Domini, sacramentalia, prima tonsura, professio religiosa et plura alia, quia, licet haec rem aliquam sacram praefigurarent, non erant tamen caeremoniae sacrae vel quid stabile a tota religiosa societate frequentandum nec etiam signa efficacia gratiae.

Sacramentis proxime accedunt **sacramentalia,** quippe quae sunt media ordinaria ab Ecclesia instituta ad producendos quosdam effectus salutares: cum sint res sensibiles et sacrae, ad hominum sanctificationem institutae, cum sacramentis etiam simile sortita sunt nomen et vocabantur a quibusdam antiquioribus auctoribus (e. gr. Hugone a. s. Victore) *sacramenta minora;* differunt autem a sacramentis α) quia non immediate a Christo, sed ab Ecclesia instituta sunt; β) non producunt gratiam sanctificantem sed alios effectus salutares, imprimis gratias actuales, et γ) non producunt hos effectus simpliciter ex opere operato et tam infallibiliter sicut sacramenta, sed per preces Ecclesiae et per actus suscipientium.

Nr. 233. **Existentia Sacramentorum** a libera Dei pendet voluntate: potuisset enim absolute alio modo quam per sacramenta homines sanctificare, quamquam ut per haec media hoc fieret, congruum fuit; nam convenit:

1. Christo Domino, in quo natura sensibilis humana hypostatice unita est invisibili personae divinae: unde congruum est, ut pariter in signo visibili continuetur ejus gratia invisibilis.

2. Ecclesiae Christi, quae est societas visibilis, in qua deposita est gratia invisibilis, unde congruum est, ut et membra sensibilibus conjungantur signis.

3. Naturae humanae, in qua habemus visibile corpus una cum invisibili anima; exinde proprium est naturae humanae ut per sensibilia abstrahendo pertingat ad spiritualia intellectualia, unde congruum naturae humanae, ut in signo visibili cognoscat et acquirat gratiam invisibilem.

4. Modo, quo natura humana lapsa est in peccatum: per usum enim arboris vetitae, per abusum ergo rei sensibilis, congruum est, ut per rectum usum rei sensibilis reparetur.

Nr. 234. In quaestione de **existentia Sacramentorum ante Christi adventum** distinguendi sunt varii hominum status, scil. innocentiae, sub lege naturae, sub lege Moysis.

In statu innocentiae fuisse sacramenta communis opinio negat: cum videatur homo tunc non indiguisse sensibili adminiculo, ut ad invisibilia se converteret.

Sub lege naturae, uti periodus patriarchalis dici solet, fuisse aliquod remedium ad delendum in infantibus peccatum originale theologi unanimi consensu colligunt ex voluntatis Dei salvificae universalitate. In quo vero proprie situm fuerit remedium disputatur: Vasquez putat solam fidem internam parentum vel aliorum suffecisse ad infantium justificationem per merita Christi venturi; alii multo plures tenent necessarium fuisse actum aliquem religiosum, in specie s. Thomas[1] existimat „probabile, quod

[1] 2, p. 70, a. 4.

parentes fideles, pro parvulis natis, et maxime in periculo existentibus, aliquas preces Deo funderent vel aliquam benedictionem eis adhiberent, quod erat quoddam signaculum fidei".

Sub lege Moysis certe fuerunt sacramenta. Legi enim, tamquam paedagogo ad Christum, conveniebant plura et magis determinata signa, quibus Christum et legem gratiae congrue praefiguraret. Itaque praeter *circumcisionem* enumerantur a s. Thoma triplicis generis Mosaica sacramenta: *ritus*, quibus initiabantur sacerdotes; variae *lustrationes* et mundationes, nec non esus *agni paschalis*, figurae sacramenti poenitentiae et Eucharistiae.

Nr. 235. **Novae legis sacramenta neque plura neque pauciora sunt quam septem,** videlicet: Baptismus, Confirmatio etc.

Est *de fide* contra novatores saeculi 16^mi^, qui gradatim negando septenarium numerum eo devenerunt, ut duo tantum admittant sacramenta: baptismum et coenam, contra quos Tridentinum sess. 7, can. 1 definivit: „Si quis dixerit sacramenta N. L. esse plura vel pauciora quam septem, videlicet baptismum etc., aut etiam aliquod horum septem non esse vere et proprie sacramentum, anath. sit."

Probatur:

1° ex Scriptura, quae septem horum rituum exhibet vestigia plus minusve clara. Cf. Joan. 3, 5: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*; — Act. 8, 14: *Petrus et Joannes . . . imponebant manus super illos et accipiebant Spiritum sanctum*; — 1. Cor. 11, 23: *Hoc est corpus meum . . . hic calix novum testamentum est in meo sanguine; hoc facite in meam commemorationem*; — Joan. 20, 23: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt*; — Jac. 5, 14: *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiae et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini*; — 1 Tim 4, 14: *Noli negligere gratiam, quae in te est, quae data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii*; — Eph. 5, 25: *Viri diligite uxores vestras sicut et Christus*

dilexit Ecclesiam . . Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia.

2° ex SS. Patribus, quorum testimonia, cum de singulis in specie sacramentis agetur, aliqua proferentur.

3° ex usu et consensu Ecclesiae tum occidentalis tum orientalis, cujus sectarum omnes, quamvis aliquae jam saeculo 5to a communi matre sint scissae, tamen eandem fidem profitentur, quod non haberetur, nisi ab initio Ecclesiis illud dogma fuisset traditum.

4° ex ratione theologica: Ordo supernaturalis non tollit sed perficit naturalem: si vero homo respicitur ut individuum et membrum societatis, tunc requiritur, ut nascatur, cresca, nutriatur, aegrotus sanetur, perfectae sanitati restituatur, in societate autem ut regatur utque genus humanum conservetur, ad quos septem effectus in ordine quoque supernaturali obtinendos septem ordinata sunt sacramenta

Adnot. Ordo, quo sacramenta a Tridentino enumerantur, ut adnotat Bellarminus, non est ordo *dignitatis* sed potius *prioritatis* seu *usus*, tum respectu individuorum tum respectu communitatis Ecclesiae; seu est ordo procedendi, juxta quem Ecclesiae membra perficiuntur: primo in seipsis, deinde vero respectu aliorum.

Nr. 236. **Auctor Sacramentorum** est Christus, qui omnia et singula sacramenta per se et immediate instituit.

Est *de fide* ex Tridentino sess. 7, can. 1: „Si quis dixerit, Sacramenta novae legis non fuisse omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta etc., anath. sit."

Probatur:

1° ex Scriptura: Apostoli ipsi dicunt, se non esse institutores sed dispensatores et ministros Christi, qui ergo solus est auctor.

2° ex ratione: Nam Christus meruit omnem gratiam, unde pertinet ad eum quoque determinare signa, quibus vult conferre gratiam.

3° ex inductione: Si quaedam sacramenta instituisset Ecclesia, mutare posset eorum substantialia sicut eorum ritus, quos ipsa instituit; sed Tridentinum sat aperte negat hanc potestatem Ecclesiae, cum doceat

esse quidem potestatem in Ecclesia mutandi sacramentorum ritus, at salva eorum substantia.[1]

Erat opinio, nunc autem ab omnibus relicta: Christum etiam Ecclesiae dedisse hanc potestatem, ita ut Christus tantum mediate dicendus esset Sacramentorum auctor: hoc sensu nonnulli theologi ante Tridentinum asserebant confirmationem praeprimis et extremam unctionem a Christo per Apostolos vel a Spiritu sancto per Ecclesiam instituta fuisse. — Cum vero constet Christum per se et immediate omnia instituisse sacramenta, sequitur: Christum Sacramentorum quoque materiam et formam, quae eorum sunt partes essentiales, determinasse. Haec autem determinatio ab ipso non tantum in *genere*, sed et in *specie* facta esse dici debet, quae determinatio caeteroquin non ita est intelligenda, ac si facta esset secundum materialem sonum verborum et phrasim grammaticam, sed secundum significationem et sensum.

Nr. 237. **Partes sacramenti** tres sunt, et numerantur in decreto Eugenii edito pro Armenis in concilio Florentino sic definiente: „Haec omnia Sacramenta novae legis tribus perficiuntur, videlicet: rebus tamquam materia, verbis tamquam forma et persona ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia; quorum si aliquid desit, non perficitur sacramentum."

Formae nomine generatim venit: elementum determinans alterum, per unionem sui cum illo utriusque completivam, nomine materiae vero elementum **determinabile per formam.**

Materia, quae ab antiquis vocabatur elementum seu res sacramenti,[2] distinguitur. *α) remota*; est illa res, quae adhibenda est, e. gr. aqua in baptismo. *β) proxima*; est usus istius rei vel applicatio materiae remotae, **ergo ablutio in baptismo.**

Aqua per se varia significare potest; ut vero signum sit gratiae et efficiat gratiam, debet accedere de-

[1] Sess. 21, c. 2.

[2] Primus omnium, qui vocabulis nunc usitatis „materia et forma" usus fuit, citari solet Guilelmus Antisiodorensis circa an. 1215.

terminans verbum, quod propterea **forma** sacramenti audit.

Nr. 238. Theologi omnes docent:

1. Res et verba, quibus Sacramenta administrantur, certa ac determinata esse debere, et ideo etiam verba nequaquam esse concionatoria, sed consecratoria. — Probatur α) ex Scriptura, ubi s. Paulus munus concionandi a munere sacramenta administrandi distinguit; β) ex praxi Ecclesiae, quae baptismum parvulorum semper validum habuit, licet infantes nil de verbis percipiant.

2. Materiam Sacramentorum et formam saltem generatim a Christo Domino esse determinatam, quatenus scil. Salvator ipse praescripserit, ut in quovis Sacramento assumeretur signum aliquod exterius ad exprimendum effectum Sacramenti idoneum, cum alias Christus auctor Sacramentorum dici non posset.

3. Ad Sacramenti confectionem requiri materiae et formae unionem moralem, atque neutram quoad substantiam saltem debere esse mutatam. — Materia substantialiter mutata est, si materia adhibita iqsa substantia vel ipso nomine differt ab ea, quae adhibende esset; forma, si non adhibentur verba praescripta, vel si verba adhibita non habent sensum praescriptum.

4. Non licere exinde extra casum necessitatis materia uti dubia — laederet enim honorem Christi, si dubia adhiberetur essetque irreverentia; insuper si forsan non valeret, exponeretur subjectum periculo privationis gratiae sicque jam justitia postulat.

5. Licere in casu necessitatis, quando sacramentum differri nequit, uti forma conditionata, quae est illa, cui apponitur conditio quaedam, e. gr. *si materia est legitima, si capax, si es homo, vivus, nondum baptizatus, si es dignus*,[1] aut simile quid.

Nr. 239. Distinguitur **conditio** α) de praesenti, β) de praeterito, γ) de futuro contingenti.

Excepto sacramento matrimonii nullum sacramen-

[1] Quoad conditionem tamen: „si dignus es" advertatur sacramenta non iterabilia propter characterem impressum, vel pro certo tempore non iterabilia propter quasi-characterem, sub ista conditione conferri non debere.

tum licet administrare sub conditione de futuro: nam in momento, quo administratur, actus sacramentalis suspenditur, quia conditio nondum est adimpleta; si autem adimpletur postea conditio, tunc actio sacramentalis jam praeterilt.

Nil vero obstat administrationi sub conditione de praesenti et praeterito: nam si haec adimpleta est, valet sacramentum; sed si non est adimpleta, non valet, etiamsi non apponatur conditio; ita ergo consulitur venerationi et honori sacramenti.

Licet ante saec. 8vum formae conditionatae expressam mentionem in conciliis et Patribus non inveniamus, tamen eam in usu fuisse dici debet. Colligitur autem hoc ex eo, quod Ecclesia, quae semper docuit: baptismum semel rite collatum iterari non debere, eos nihilominus, de quibus ambigebatur, an essent revera baptismo abluti, sine mora baptizandos esse praecipiebat, quo in casu, si absolute baptizasset, in praxi fecisset, quod in theoria damnavit: Anabaptismum. Certe propterea sub conditione, saltem tacite adjecta: „Si nondum es baptizatus." Ecclesia jam tunc baptizaverat.

Nr. 240. Praeter res et verba, quae tamquam materia et forma essentiam sacramenti constituunt, etiam aliae res et verba in administratione sacramentorum occurrunt, quae **caeremoniae** sacramentales appellantur. De his tria sunt tenenda, scilicet:

1. Ecclesia potestatem habet eas instituendi. — Probatur ex potestate legifera Ecclesiae, ac ex ejusdem praxi, quam contestatur Tridentinum docens: „Hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret vel mutaret, quae suscipientium utilitati, seu ipsorum sacramentorum venerationi pro rerum, temporum et locorum varietate magis expedire judicaret."

2. Hae caeremoniae utiles sunt: nam ipsae, tum antiquitate tum significatione maxime venerabiles, *α*) ad reverentiam sacramentis conciliandam egregie conferunt; *β*) juvant ad majestatem et ornatum cultus, qui caeremoniarum dignitate nudatus statim vilescit; *γ*) inserviunt devotioni fidelium, quae externis et sensibilibus rebus excitari et foveri solet; *δ*) inserviunt

instructioni fidelium, quibus ea, quae sacramentis conficiuntur, magis declarant ac veluti ante oculos ponunt. c) sunt denique protestatio fidei et religionis simulque distinguunt catholicos et custodiunt ab haereticis caeremonias respuentibus.

3. Non licet has caeremonias contemnere aut immutare. Ita Tridentinum sess. 21. c. 2: „Si quis dixerit receptos et approbatos Ecclesiae catholicae ritus . . . aut contemni aut sine peccato a ministris pro libitu omitti, aut in novos alios per quemcunque ecclesiarum pastorem mutari posse, anath. sit."

Nr. 241. **Minister** sacramentorum duplex potest distingui, nempe:

1° *primarius*, cujus nomine Sacramenta administrantur, et est Christus ut homo propter unionem hypostaticam cum verbo divino; et

2° minister *secundarius*, qui nomine Christi potest valide conficere Sacramentum. Solus homo viator ratione utens minister secundarius esse potest, nam soli homini Christus dixit: *Hoc facite in meam commemorationem* etc.

Licet autem solus homo viator Sacramentorum minister esse possit, tamen non quilibet esse potest: **requiritur** etenim **in ministro**:

1° *potestas* ad actum ponendum, cum debeat hic nomine Christi agere, quod autem de illo tantum dici potest, qui a Christo habet potestatem;

2° *intentio*, quia homo nomine Christi agens Sacramentum conficere debet actu humano: actus vero non ex voluntate procedens non esset humanus.

Lutherani utrumque negabant dicentes potestatem illam habere omnes Christianos et solum propter confusionem vitandam eligi pastores. Intentionem non esse necessariam, quia sacramenta nonnisi signa sint fidem excitantia, ad quod semper sint apta, quacunque intentione fiant; imo ab ipso diabolo seu a sacerdote jocose per irrisionem posse administrari. — E contra Donatistae, Waldenses, Wicleffitae, Hussitae postulabant in ministro statum gratiae, ita ut sacerdos in peccato non consecret, laicus justus consecret. — Alii porro s. Cypriano duce censebant ab haereticis baptizatos iterum esse baptizandos.

Doctrina catholica haec est:

1. Excepto Baptismo propter summam ejus necessitatem, et matrimonio propter specialem rationem contractus, in quo situm est Sacramentum, illi soli sunt ministri Sacramentorum, qui rite in Ecclesia ad hoc ordinati sunt: ita definivit concil. Tridentinum sess. 7, c. 10: „Si quis dixerit Christianos omnes in verbo et omnibus Sacramentis administrandis habere potestatem, anath. sit."

2. Ut valeat Sacramentum, non requiritur in ministro fides aut sanctitas; nam α) Ecclesia semper rata habuit Sacramenta ab impiis et haereticis collata modo ritum a Domino praescriptum observaverint, quam veritatem Tridentinum sess. 7, can. 12 de Bapt. definiit: „Si quis dixerit ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia quae ad sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent servaverit, non conficere aut conferre sacramentum, anath. sit." — β) Minister operatur virtute et auctoritate divina, atqui Deus datam ministro potestatem non aufert ob ejus haeresim aut peccatum, ergo. — Optime s. Gregorius Naz. sacramenta administranda vel potius ipsum ministrum, sanctum vel improbum, comparat[1] sigillo, aureo vel ferreo, quod utrumque eandem regis imaginem gerens, idem prorsus signaculum imprimit in cera.

3. Ad valorem sacramentorum requiritur in ministro vera intentio saltem faciendi, quod facit Ecclesia. Est *de fide* ex Trident. sess. 7, can. 11 sic definiente: „Si quis dixerit, in ministris, dum Sacramenta conficiunt et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia, anath. sit." Hinc jocosa Ecclesiae caeremoniarum repraesentatio, quae intentio Lutherana dicitur, non sufficit.

Nr 242. **Intentio** est intelligentiae et voluntatis applicatio ad eventum (operationem) moralem producendum e parte agentis.

Distinguitur α) ex parte objecti, ad quod fertur, externa et interna; β) ex parte vero ministri: actualis, virtualis, habitualis, interpretativa.

[1] Orat. 40, n. 25.

Externa describi potest ea, qua minister in debitis circumstantiis ac serio externum Sacramenti ritum perficit, intus tamen suam retinet intentionem, imo contrariam gerit, sic vel similiter dicens: nolo facere, quod facit Ecclesia, imo contrarium intendo.

Interna est ea, qua minister simul ac sacramentalem ritum exercet, interius et apud se intendit ritum illum celebrare formaliter ut est Sacramentum. Potest autem esse vel *explicita* et *particularis*, quatenus minister nomine Christi agere ac gratiam conferre intendit; vel *implicita* et *generalis*, quatenus aliquis in confuso id facere vult, quod Ecclesia vel christiani in hujusmodi ritu facere consueverunt. — Intentio interna explicita non est necessaria, cum Ecclesia recipiat Baptismum a Pagano, Judaeo vel Haeretico collatum, etiamsi illum esse Sacramentum ignorent vel negent.

Actualis intentio est praesens animi applicatio ad id quod agitur; virtualis est ipsamet actualis, quae praecessit ac perseverat in ministro, per virtutem a se relictam influit in actum humanum eumque determinat: habitualis est ea, quae non fuit revocata, sed est vel somno vel vino vel notabili temporis mora interrupta, ita ut non influat in actum humanum, nec per se, nec per virtutem a se relictam; interpretativa denique est ea, quae nec est, nec fuit, sed esset, si ejus objectum proponeretur voluntati: unde non tam est intentio, quam intentionis praesumptio.

Intentio externa non sufficit, sed requiritur interna: nam:

1. Conc. Trident. sess. 14, cap. 6 ad validam absolutionem requirit, ut *adsit Sacerdoti animus serio agendi* — en intentio externa, *et vere absolvendi* — en intentio interna.

2. Conc. Florentinum docet Sacramenta perfici non solum rebus tamquam materia et verbis tamquam forma, in quibus consistit intentio externa, sed etiam persona ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia: ergo intentio interna requiritur ultra debitam conjunctionem formae cum materia, et jam propterea, quia homo non potest

se gerere ut minister Christi et Ecclesiae, quum facere intendat, quod facit Ecclesia vel quod Christus instituit vel quod faciunt Christiani.

Ministri partes quod attinet: intentio actualis non requiritur absolute, quia ut plurimum non est in potestate hominis; habitualis non sufficit, quia actum humanum non dirigit; interpretativa pariter non sufficit, quia, cum nec actu nec virtute existat, non applicat agentem ad actionem; sicque **virtualis** requiritur et sufficit, quia sufficiens est ad ponendum actum humanum.

Nr. 243. **Efficacia Sacramentorum** tum ex effectibus, quos producunt, tum ex modo, quo illos producunt, dignoscitur.

Quoad modum doctrina catholica docet, ea ex vi sua seu *ex opere operato* gratiam conferre.

quoad effectum esse illum duplicem, nempe: *gratia*, quae ab omnibus producitur, et *character*, qui a Baptismo, Confirmatione et Ordine tantum producitur.

Nr. 244. Ea est **virtus sacramentorum** novae legis, ut non ponentibus obicem tamquam causae instrumentales gratiam conferant ex opere operato.

Haec thesis, statuta contra Protestantes contendentes sacramenta tantum ad excitandam vel nutriendam fidem esse ordinata nec aliud efficere quam quod efficit Evangelii praedicatio, est *de fide* ex Tridentino sess. 7, can. 6: „Si quis dixerit, sacramenta novae legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam, non ponentibus obicem, non conferre, anath. sit." et can. 8: „Si quis dixerit, per ipsa novae legis sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, anath. sit."

Obex gratiae est indispositio ad gratiam, cuiusmodi est in adultis impoenitentia pro sacramentis mortuorum, et conscientia peccati mortalis pro illis vivorum.

Causa, quae bene a conditione discerni debet, describi potest: est principium alterius, cum ipsum effectum per suam activitatem producat eumque praecontineat.

Pro diverso eius influxu causa duplex est: vel

physica vel moralis, quae utraque iterum principalis et instrumentalis esse potest.

Dicitur respectu alicujus effectus causa *principalis*, si vim saltem partialem, effectui in suo genere proportionatam habeat ex se, seu natura sua seu ex propria exigentia: dicitur vero *instrumentalis*, si vim praefatam habeat non ex se seu exigentia propria, sed ex consortio cum aliqua principali.

Ex opere operato, h. e. vi solius externi operis, ut a Deo instituti ad gratiam producendam; dicitur in oppositione ad alterum modum producendae gratiae scil. ex opere operantis, h. e. vi operis, non prout hoc praecise positum est, sed quatenus ab operante est laudabiliter ac meritorie positum.

Probatur thesis:

1° ex s. Scriptura. Tit. 3, 5: *Deus salvos nos fecit* per *lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti;* Joan. 3, 5: *Nisi quis renatus fuerit* ex *aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*, quibus ergo Baptismus ipse causa salutis et gratiae esse dicitur.

2° Tertullianus:[1] Caro abluitur, ut anima emaculetur; caro ungitur, ut anima consecretur; caro signatur, ut anima muniatur et sic porro.

3° Accedit ratio, quae deducitur ex Baptismo infantium. Parvuli per eum justificantur; atqui hujus justificationis causa non est fides subjecti, quod est incapax, neque fides aut probitas ministri, quae non requiruntur: ergo —

Nr. 245. **Gratia** per sacramentum collata est **duplex:**

1° gratia *sanctificans*, vel prima, quam conferunt Sacramenta mortuorum, vel secunda, quam conferunt Sacramenta vivorum.

2° gratia *sacramentalis* stricte dicta, quae cuique sacramento specialis est et propria; nam, ut Eugenius IV. ait in Decreto pro Armenis, „per Baptismum spiritualiter renascimur, per Confirmationem augemur in gratia et roboramur in fide, renati autem et roborati nutrimur divinae Eucharistiae alimonia“ etc. Et revera,

[1] De resurr. carnis, cap. 8.

nisi effectus ille diversus distinctusque esset, non appareret in quo alias differrent sacramenta nisi in solo externo ritu; nec alterum altero esset majoris necessitatis; ac reliqua, praeter unum, essent superflua.

Est autem **gratia sacramentalis** ipsa gratia sanctificans, quatenus ordinatur ad finem cuique sacramento proprium, et annexum habet jus ad auxilia actualia.

Ergo: α) gratia sacramentalis non statim a suscepto Sacramento et simul confertur, sed tantum successive ei opportuno tempore, cum nempe occurrunt occasiones finem sacramenti suscepti spectantes, licet statim cum Sacramento recepto acquiratur jus ad illas gratias suo tempore et loco accipiendas. β) Amissa gratia sanctificante amittitur quoque gratia sacramentalis, quia amisso juris fundamento jus ipsum amittitur; recuperatur autem cum gratia sanctificante per poenitentiam.

In Episcopis et Pastoribus gratia sanctificante privatis manet saepe assistentia divina ad munus utiliter obeundum tamquam gratia gratis data, tendens ad utilitatem spiritualem subditorum tantum.

Nr. 246. **Sacramenta non semper aequalem conferunt gratiam**, sed inaequalem iis, qui sunt inaequaliter dispositi.

Conc. etenim Tridentinum sess. 6, cap. 7 docet baptizatos recipere gratiam „secundum mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis prout vult et secundum propriam cujusque dispositionem et cooperationem." Ratio est, quia Sacramenta sunt causae necessariae; sed causae necessariae plus vel minus operantur in subjecto secundum majorem vel minorem ejus dispositionem, ut patet in igne, qui intensiorem producit calorem in ligno quam in stipula, ergo

Per accidens sacramenta mortuorum conferre possunt gratiam secundam, et sacramenta vivorum gratiam primam. Casus 1mus est in illo, qui perfecte contritus est ante absolutionem, in illo enim absoluto causat gratiam secundam vel augmentum gratiae primae per contritionem modo praecausatae; casus 2dus est in eo, qui bene dispositus, at non perfecte contritus jam confessus est, sed ex defectu Sacerdotis invalide absolutus

est, si nempe bona fide sumat Eucharistiam; homini enim facienti, quod est in se, Deus non denegat suam gratiam.

Nr. 247. **Character,** quem dicta tria sacramenta: baptismus, confirmatio et ordo, animae imprimunt, **est signum quoddam spirituale et indelebile,** unde ea iterari non possunt. Sic docet Tridentinum sess. 7, can. 9 et decretum Eugenii IV. pro Armenis.

Probatur:

1° Scriptura indicat; cf. Eph. 1, 13: *In quo,* scil. Christo, *credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus haereditatis nostrae.*

2° Testantur aperte Patres: Cyrillus Hieros.[1] *Baptismum* vocat signaculum sanctum, indelebile; *confirmationem* appellant veteres signaculum spirituale, applicantes illud 2 Cor. 1, 21: „Qui unxit nos Deus, qui et signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris;" de charactere *Ordinis* s. Augustinus, de schismaticis ad Ecclesiam redeuntibus loquens ait:[2] „Non sunt rursus ordinandi, sed sicut Baptismus in eis ita ordinatio manet integra;" nec non Concilium Tolet. 7um ex a. 653: „Sacrum Chrisma collatum et altaris honor avelli nequeunt."

3° Consensus universae Ecclesiae, tum occidentalis manifestus est in praxi perpetua, qua nunquam haec tria sacramenta iterari permisit, non aliam ob rationem nisi indelebilis characteris.

Nr. 248. Quoad **characteris essentiam** certe contra Durandum tenendum esse videtur characterem non esse relationem tantum rationis et denominationem externam sicut est v. gr. prima tonsura, doctoratus, dignitas praetoris etc., sed aliquid reale animae inhaerens, quo homo ab aliis distinguitur ac deputatur ad divina, nempe ad Sacramenta, vel recipienda, ut facit Baptismus; vel administranda ut Ordo; vel ad fidem profitendam, ut Confirmatio.

Characteris **effectus** hi enumerantur: 1° character tamquam insigne quoddam praecharum animae tribuit

[1] In praefat. ad Catecheses, et iterum Catech. 17.
[2] **Contr. Parmen. L. 2, cap. 13.**

spirituale decus et ornamentum; 2° hominem Christo configurat tamquam membrum Capiti, militem Duci, ministrum Pontifici; 3° oculis Dei distinguit signatum ab aliis; 4° continet specialia jura et potestatem.

Cum hoc ulterius cohaeret, quod character a Patribus, et praesertim a s. Thoma,[1] ut „participatio sacerdotii Christi" consideratur, nec non, quod est indelebilis. Signa enim alicui rei impressa eo diutius haerere solent, quo firmius est subjectum, cui imprimuntur; anima autem, cui character imprimitur, est immortalis.

Indelebilitas characteris est *de fide*, quoad hanc saltem vitam; quoad alteram est certa; manet propterea anima immortalis in aeternum consecrata, character vero pro piis et sanctis in honorem, pro reprobatis in contumeliam et ignominiam.

Nr 249 **Conditiones ad effectum Sacramentorum** requisitae sunt duae: subjectum capax et debita dispositio.

Subjectum capax dicitur persona illa, quae idonea est ad sacramentum recipiendum.

Dispositio requisita spectare potest ad valorem, vel ad liceitatem, vel ad fructum exindeque receptio sacramenti quadruplex distinguitur: *invalida* seu nulla, *valida* tantum, valida et *licita*, licita et *fructuosa*.

Subjectum capax sunt soli homines viatores, non tamen ita, ut omnis homo cujuslibet sacramenti sit capax; nam e. gr. sanus non est capax extremae unctionis, nec mulier ordinis. — Positis ponendis omnis homo viator capax est trium sacramentorum nempe baptismi, confirmationis et Eucharistiae.

Ad susceptionem **validam** 1° in nullo subjecto necessaria est sanctitas, imo nec fides, excepto Poenitentiae sacramento; 2° in parvulis et perpetuo amentibus nulla requiritur intentio ad ea sacramenta recipienda, quorum capaces sunt; 3° in adultis autem requiritur aliqua intentio sacramentum recipiendi quia sacramentum non minus in suscipiendo, quam in conficiente debet esse actio hominis. Huc pertinet illud

[1] Q. 63, a. 2 et 3.

s. Augustini:[1] „Deus, qui fecit te sine te, non te justificat sine te" et Innocentius IV. expresse docet:[2] „Eum, qui sine consensu baptizatur aut matrimonium contrahit, nec baptizari nec matrimonium contrahere." — Haec autem intentio non est necesse, ut sit actualis aut virtualis, sed sufficit generatim habitualis, imo pro quibusdam sacramentis, puta: baptismo, confirmatione, poenitentia ac extrema unctione, interpretativa, ut constat ex Ecclesiae praxi quoad subita vi mortis oppressos.[3]

Ad susceptionem **fructuosam** requiritur in adultis pro sacramentis vivorum *per se* status gratiae: ad sacramenta vero mortuorum status gratiae necessarius non est: sed tantum fides, spes, detestatio peccati, eaeque dispositiones omnes, quibus gratiae obices removentur.

Sacramentum validum simul et fructuosum dicitur *formatum*: aliud validum quidem, sed non conferens gratiam ob indispositionem suscipientis, *informe* vocatur.

Nr. 250. Ad quaestionem: **an sacramenta informia postea sublato obice reviviscant**, responsio erit:

1° Sacramenta characterem imprimentia *reviviscunt*. Id affirmat s. Augustinus α) de Baptismo: „Tunc valere ad salutem incipit Baptismus, inquit,[4] cum illa fictio veraci confessione recesserit: β) de Ordine et Confirmatione constat, nam cum haec Sacramenta iterari non possint, valide confirmatus aut ordinatus gratiam sacramentalem ad assequendum finem horum Sacramentorum necessariam numquam obtinere possent, quod videtur incredibile. — Propter eandem rationem probabile est matrimonium, durante eodem conjugio, et extremam unctionem, durante eodem morbo, reviviscere, cum iterari non possint.

2° *non reviviscit* poenitentia, quia quando est

---

[1] Serm. 15 de verb Ap. c. 11. [2] In libr. decret. tit. de bapt. q. 90. [3] In confitente autem, cum hic ipse quasi materiam sacramenti subministret, requiritur intentio saltem virtualis: simile quid occurrit in matrimonio. [4] De Bapt. L. 1, c. 12, n. 18.

informis, est etiam nulla: quod autem nullum fuit, postea reviviscere et operari non potest; nec Eucharistia, quia, cum saepius repeti possit, non fuit necesse, ut Christus eam reviviscere voluerit: speciebus autem nondum consumptis probabiliter reviviscit.

Nr. 251. Quoad Sacramentorum administrationem in genere Codex j. c. plures statuit normas, uti v. gr.

can. 731, § 1: „Cum omnia Sacramenta Novae Legis, a Christo Domino nostro instituta, sint praecipua sanctificationis et salutis media, summa in iis opportune riteque administrandis ac suscipiendis diligentia et reverentia adhibenda est."

can. 2378: „Clerici majores, qui in sacro ministerio ritus et caeremonias praescriptas graviter negligant et moniti sese non emendaverint, suspendantur pro diversa reatus gravitate."

Sacramenta proprie quidem dignis solummodo sunt conferenda: verumtamen non est permissum eis, quorum indignitas sacerdoti qua ministro vel dispensatori Sacramentorum cognita est, indiscriminatim in omni casu Sacramenta petita denegare, imo potius ratio habenda est ad can. 855, § 2, in quo loco de s. Communione sermo est: „Occultos peccatores, si occulte petant et eos non emendatos agnoverit, minister repellat non autem, si publice petant et sine scandalo ipsos praeterire nequeat."

Cum etiam ethnicorum religiones gentiles uterentur rebus sensibus objectis v. gr. aqua, sanguine, vino, pane, oleo etc., ut eorum opera adipiscerentur vires supernaturales necnon numinum consortium, contenditur a quibusdam literatis: esse Sacramenta nostra non tantum analogias vel imo mutuationes mysteriorum ethnicorum esseque imprimis ab Apostolo Paulo hujusmodi artes magicas sacramentorum gentilium introductas in ecclesiam Christi.

Ad has objectiones responsuri confirmamus: 1. tempore ecclesiae primaevae constabant ita sane varii mysteriorum cultus quibus nonnulla ethnicorum numina, v. gr. Mithras, Jupiter Attis, Dionysos, Osiris, Isis, Serapis, Baal, Aphrodite, Kybele colebantur. 2. hi mysteriorum cultus constiterant in lotionibus et liba-

tionibus, epulis, unctionibus, processionibus, canticis et symphoniis, saltationibus vel etiam castigationibus, et mutilationibus.

Horum mysteriorum finis seu id, quod spectabant, fuit expiatio, animi pax nec non post mortem vitae divinae participatio. Attamen ecclesiae Christi sacramenta nequaquam dici possunt mutuationes gentilium mysteriorum, nam 1° mysteria gentilium exculta sunt demum saeculo secundo per sic dictos Neoplatonicos; 2° ecclesiae primaevae notus erat jam ante apostolum Paulum baptismi usus mysticam unionem cum Christo perficiens; 3° apostolus Paulus in litteris suis omni tempore severrime deprecatur ethnicorum doctrinam et mores; 4° denique exposcit sacramentorum susceptio habitum moralem vitamque omnino honestam, quae vero in mysteriis ethnicorum prorsus desideratur.

Tractatus octavus.

De Baptismo.

Nr. 252. **Baptismus,** sacramentorum primum eorumque janua ac fundamentum[1] non quidem dignitate, sed tum necessitate tum ordine receptionis. **definitur:** Sacramentum regenerationis per aquam in verbo, vel explicatius, et ut vulgo describi solet: Est Sacramentum a Christo Domino institutum, in quo per ablutionem exteriorem corporis, sub invocatione SS. Trinitatis, homo spiritualiter regeneratur.

Baptismus distinguitur triplex:[2] Baptismus *sanguinis*, estque martyrium pro Christo toleratum a non baptizato; Baptismus *flaminis*, estque votum seu desiderium recipiendi Sacramentum Baptismi non sterile sed vel cum perfecto amore Dei aut contritione conjunctum; denique Baptismus *aquae*, qui est primum novae legis Sacramentum.

[1] Can 737, § 1. [2] *Thom. Aq.* III. q. 66, a. 11.

Vox Baptismus, derivata a *βαπτίζω* vel *βάπτω* = abluo, significat α) litteraliter et proprie immersionem;[1] β) metaphorice bonorum vel malorum abundantiam, qua veluti flumine homo mergitur; γ) usu ecclesiastico ritum illum sacrum ablutionis, qui est primum inter septem sacramenta.

Exstant **varii, quibus Baptismus praefiguratus est, typi,** quorum praecipui numerantur:

Praeprimis circumcisio et Baptismus Joannis, deinde diluvium et arca Noe, transitus maris rubri, ablutio Naaman Syri, lotiones legales Judaeorum, probatica piscina, aqua profluens ex latere Christi. Primis Ecclesiae saeculis Baptismus frequenter figurabatur per piscinam seu vivarium, ubi Christus, mysticus *ἰχθύς*, quae vox est acrostichon vocabulorum *Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ υἱὸς Σωτήρ*, cum omnibus fidelibus tamquam in elemento suo habitaret.

Uterque modo supra dictus Baptismus flaminis et sanguinis hoc nomine donatur, in quantum, ut s. Thomas ait, supplet vicem Baptismi aquae, qui *sollemnis* appellatur, si ministratur servatis omnibus ritibus et caeremoniis, quae in ritualibus libris praecipiuntur, secus, non sollemnis seu *privatus*.[1]

Proprius baptismi sollemnis administrandi locus est baptisterium in ecclesia vel oratorio publico.[2]

In domibus autem privatis baptismus sollemnis administrari non debet, nisi huic in adjunctis 1. Si baptizandi sunt filii aut nepotes, qui supremum actu tenent populorum principatum vel jus habent succedendi in thronum, quoties isti id rite poposcerint.

Si loci Ordinarius, pro suo prudenti arbitrio et conscientia justa ac rationabili de causa, in casu aliquo extraordinario id concedendum censuerit.

In memoratis casibus baptismus conferendus est in sacello domus aut saltem in alio decenti loco, et aqua baptismali de more benedicta.[3]

Nr 253. **De tempore, quo Christus baptismum instituerit.** SS. Patres et theologi variant.

Quidam volunt Baptismum institutum esse post Christi resurrectionem, quando dictum fuit Apostolis

[1] Can. 737, §2. [2] Can. 773. [3] Can. 776, cf. page 340 infra.

apud Matth. 28. 19: *Euntes in universum mundum;* ast hoc in casu Apostoli, antequam baptizati essent, Eucharistiam et Ordinem in ultima Coena recepisse dicendi essent! Quapropter certo *probabilior* est sententia aliorum, eum esse institutum ante Christi passionem, quo autem accurate tempore, in hoc non conveniunt.

Quidam dicunt, Baptismum institutum esse tunc, cum Christus Nicodemo dixit, Joan. 3, 5: *Nisi quis renatus fuerit* etc. — Alii censent institutum esse tunc, cum Christus, ut Joan. 3, 22 refert, discipulos misit ad baptizandum. — Alii denique, quibus et nos consentimus, affirmant, institutum esse, quando Christus baptizatus fuit in Jordane et sic aquis vim sanctificandi contulit; promulgationem autem Baptismi et obligationem illum suscipiendi factam esse demum post resurrectionem, verosimiliter verbis Matthaei supra allatis.

Licet Joan. 4, 2 dicatur: *Quamquam Jesus non baptizaret, sed discipuli ejus,* tamen s. Augustinus censet,[1] etsi non habeatur in Scriptura, credendum esse, Christum per seipsum baptizasse Apostolos. Nicephorus[2] autem ex Evodio Antiocheno refert, Christum manibus propriis tantummodo Petro baptismum contulisse, Petrum vero Andreae ac filiis Zebedaei; hos deinceps reliquis Euthymius[3] ait, Christum suis manibus ante Apostolus sanctissimam Matrem suam baptizasse.

Nr. 254. Baptismi **materia remota** est omnis aqua vera et naturalis.

Est *de fide* ex decreto pro Armenis et ex Trident. sess. 7, can. 2: „Si quis dixerit, aquam veram et naturalem non esse de necessitate Baptismi atque ideo verba illa Domini nostri Jesu Christi: Nisi quis renatus fuerit etc. ad metaphoram aliquam detorserit, anath. sit."

Dicitur in propositione aqua, ut excludatur alius quicunque liquor: vera, ut excludatur aqua metaphorica: naturalis, ut excludatur omnis aqua artificiali modo confecta. — Hinc nec aqua artificialis ex rosis, herbis

[1] Epist. 108 ad Seleucian [2] Hist. L. 2, cap. 3. [3] In Joan. 3.

etc., nec glacies, nix, nisi sint in aquam resolutae, sunt materia Baptismi.

Materia proxima autem est exterior corporis ablutio, per aquam immediate supra corpus baptizandi fluentem: nam talis ablutio est materiae remotae ad subjectum applicatio.

Hinc 1. debet esse motus aquae successivus; 2. non sufficit, ut vestes aut capillos attingat, sed necesse est, ut perfundat corpus; 3. necesse est, ut abluatur una ex praecipuis partibus corporis, maxime vero caput, in quo omnes sensus vigent. Inde sequitur Baptismum, in quo ablnitur manus vel pes infantis, esse dubium, quia licet dicatur ablutus *secundum quid*, non tamen dicitur ablutus *simpliciter et absolute*, et ideo ritualia docent, illum Baptismum esse sub conditione repetendum.

Nr. 255. Ut Sacramentum Baptismi validum sit, **ablutio** triplici fieri potest modo: 1. per immersionem, ut hactenus apud Graecos, apud Latinos vero usque ad XIII^um^ saeculum; 2. per infusionem, ut hodie apud Latinos; 3 per aspersionem, qua creditur usus fuisse s. Petrus, quando in una die 3000 hominum baptizavit. Ratio est, quia nullum ex his modis Christus determinavit; ergo per quemcumque satisfit praecepto Christi: *baptizantes eos*, etc. . . .

Haec, ut validum sit sacramentum; quia, ut licitum sit, quilibet tenetur ritum servare praescriptum in Ecclesia, cui adscriptus est, nimirum immersionem apud Graecos, et infusionem apud Latinos.

Quare autem Christus in Baptismi materiam elegerit **aquam**, adaequata ratio est sola Christi voluntas; nihilominus s. Thomas adhuc rationes congruentiae allegat:[1]

1. quia id convenit rationi Baptismi: regeneratio enim spiritualis apte adumbratur per aquam, quae in rebus quoque naturalibus principium productionis et foecunditatis est;

2. quia convenit effectibus Baptismi, qui proprietatibus aquae: lavantis, sua frigiditate, temperantis superfluitatem caloris et sua diaphanietate luminis susceptivae, significantur;

[1] P. 3, q. 66, a. 3.

3. quia ratione suae communitatis et abundantiae est materia conveniens pro hujusce sacramenti necessitate: potest enim aqua ubique facili negotio haberi.

Nr. 256. **Forma Baptismi** exprimere debet actum baptizandi et distinctam trium personarum divinarum invocationem.

Cum verba actum quoque baptizandi exprimant necesse sit, pronuntiari debent „*te baptizo*", quibus exprimuntur actio ministri et persona baptizanda, ut definierunt Alexander III. decreto: „Si quis puerum ter in aquam merserit, et non dixerit: ‚Ego te baptizo', puer non est baptizatus" et Alexander VIII., qui hanc propositionem damnavit: „Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus: In nomine Patris etc., praetermissis illis: Ego te baptizo." — „*Ego*" non est de valore, quia jam in verbo „baptizo" sufficienter exprimitur, sed nequaquam pro lubitu potest omitti sine gravi culpa.

Consueta apud Latinos baptizandi forma haec est: *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*, qua exprimitur actio ministri, persona baptizanda et causa princeps, in cujus virtute seu nomine Baptismus datur.

Graecorum forma: *Baptizatur servus (aut serva) Dei in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*, a forma Latinorum non differt substantialiter.

Objicitur saepe: Apostoli[1] aliquando baptizasse in nomine Jesu perhibentur et Nicolaus I. in responsione ad Bulgaros baptismum collatum in nomine Jesu validum declarat. Ergo — ast quoad Apostolos distinguendum est: baptizarunt in nomine Jesu, i. e. auctoritate et Baptismo a Christo instituto in oppositione ad Baptismum Joannis, minime vero solo nomine Jesu invocato ad exclusionem aliarum personarum; nam Act. 16 cum aliqui Ephesi dixissent Paulo: *Neque si Spiritus sanctus est audivimus*, respondit Paulus: *in quo ergo baptizati estis?* quibus verbis sat clare significatur, etiam Pauli tempore in Baptismi forma Spiritus s. nomen invocatum fuisse. — Quoad Nicolaum I. vero notandum est, hic non de Baptismi forma quaesti-

[1] Cf. Act. 2 38; 8. 12.

onem esse, sed potius de fide Baptismum suscipientium, nempe si baptizandus professus sit, se credere sive in SS. Trinitatem sive in Christum, tunc validum esse baptismum.

Nr. 257. Baptismi **minister** duplex distinguitur: alter *solemnitatis*, alter *necessitatis*: ille est, qui cum caeremoniis in Ecclesia adhiberi solitis baptizat:[1] hic est, qui his caeremoniis omissis Baptismum confert constituto in periculo vitae.

Minister solemnis iterum duplex est: alter ordinarius et ex officio, alter extraordinarius et ex delegatione.

Minister **ordinarius** est Episcopus et, dependenter ab Episcopo, Sacerdos, quibus in persona Apostolorum et discipulorum Christus apud Matth. 28, 19 dixerat: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos* etc.

Minister ordinarius baptismi sollemnis licet sit sacerdos, ejus collatio reservatur parocho vel alii sacerdoti de ejusdem parochi vel Ordinarii loci licentia, quae in casu necessitatis legitime praesumitur.[2]

In alieno territorio nemini licet, sine debita licentia, baptismum sollemnem conferre ne sui quidem loci incolis.[3]

Minister **extraordinarius** est Diaconus de licentia Episcopi aut Presbyteri. Constat 1. ex SS. Scriptura, ubi Philippus diaconus legitur multos Samariae viros et mulieres et in specie etiam Eunuchum reginae Candacis baptizasse,[4] 2. ex sensu et praxi totius antiquitatis, 3. ex Pontificali Romano: „Diaconum oportet ministrare ad altare, baptizare et praedicare." Quod autem sit minister tantum extraordinarius, patet inter alia ex Gelasio I: „Diaconi . . . absque episcopo vel presbytero (scil. absque eorum licentia) baptizare non audeant."

Quamquam res ita se habeat, tamen dici non potest, quod potestas diaconi quoad Baptismum vix superet potestatem cujusvis laici. Superat enim duplicitер, quia α) laicus nonnisi in casu strictae necessitatis licite baptizat, et quia β) tunc nonnisi privatum Baptismum

[1] Can. 737, § 2. [2] Can. 738, § 1. [3] Can. 739. [4] Act. 8, 12.

conferre potest, dum diaconus gereratim ex gravi causa baptizare potest, idque solemniter, uti etiam statuitur Codicis can. 741, qui sonat: Extraordinarius baptismi solemnis minister est diaconus; qui tamen sua potestate ne utatur sine loci Ordinarii vel parochi licentia, justa de causa concedenda, quae, ubi necessitas urgeat, legitime praesumitur.

Minister **necessitatis** est quilibet homo. Est *de fide* ex conc. Florentino: „In casu autem necessitatis non solum sacerdos vel diaconus, sed etiam laicus vel mulier, imo etiam paganus et haereticus baptizare potest, dummodo formam servet Ecclesiae et facere intendat, quod facit Ecclesia."

Ex SS. Litteris quidem probari nequit, attamen ex traditione, altero revelationis fonte. E. gr. s. Hieronymus ait:[1] „Baptizare, si tamen necessitas cogit, scimus etiam licere laicis." - Baptismus ab haereticis collatus pro valido semper habitus est, uti videre licet ex controversia Cypriani cum Stephano Papa; item quoad illum ab infidelibus collatum ex responsione Nicolai I. ad consulta Bulgarorum.

Extra casum necessitatis Baptismus a laico collatus validus quidem est, sed illicitus. — Semetipsum autem nemo potest baptizare, quia Sacramenta sequuntur naturam actus. Baptismus sequitur naturam generationis: semetipsum generare vel regenerare nemo potest. Innocentius IV. interrogatus de Judaeo, qui se baptizavit, respondit: esse iterum baptizandum.

Nr. 258. **Caeremoniae** Baptismi, quae cogente necessitate fuerunt omissae, postea supplendae sunt: id enim praescribunt omnes libri Rituales. Exorcismi quoque haud sunt inutiles post Baptismum: nam adhibentur non tantum ad fugandos daemones, sed etiam ad eorum vires reprimendas, quare s. Thomas dicit:[2] „Nec frustra supplentur post Baptismum: quia sicut impeditur effectus Baptismi antequam percipiatur, ita potest impediri postquam fuerit perceptus."

In Baptismo a ministro solemnitatis administrato adhiberi solent **patrini,** quorum obligationes quinque numerantur; namque debent: α) Baptizandum parocho

[1] In Dialog. contr. Lucif. n. 9. [2] P. 3. q. 71. a. 3.

praesentare; β) pro eo respondere; γ) illum tenere dum baptizatur; δ) illum de manu baptizantis suscipere; ε) illum debite in rebus fidei et doctrina christiana instruere, si parentes id praestare non possunt.

Ex vetustissimo Ecclesiae more nemo sollemniter baptizetur, nisi suum habeat, quatenus fieri possit patrinum.

Ex baptismo contrahunt baptizans et patrinus cum baptizato cognationem spiritualem, quae constituit matrimonii impedimentum dirimens eaque nunc sola [1]

Etiam in baptismo privato patrinus, si facile haberi queat, adhibeatur; si non interfuerit, adhibeatur in supplendis baptismi caeremoniis, sed hoc in casu nullam contrahit spiritualem cognationem.[2]

Quapropter ab officio Patrini excluduntur amentes, non baptizati, haeretici, publice excommunicati et infames, quia non sunt capaces instruendi baptizandos in doctrina christiana. Eadem e causa tralaticie non admittendi sunt infantes, qui decimum quartum suae aetatis annum nondum attigerint.[3]

Insuper excluduntur adhuc et quidem ratione status: 1. Pater et mater infantis, quia contraherent inter se cognationem spiritualem, quae impediret usum Matrimonii; 2. in sacris ordinibus constituti [4] 3. Religiosi et sanctimoniales.

Ut etenim quis licite patrinus admittatur, praecipit Codicis can. 766: α) ne sit in ulla religione novitius vel professus, nisi necessitas urgeat et expressa habeatur venia superioris saltem localis; β) ne sit in sacris ordinibus constitutus, nisi accedat expressa ordinarii proprii licentia.

Nr. 259. Baptismi **subjectum** est quivis homo vivens nondum baptizatus, sive sit adultus sive parvulus usum rationis nondum habens.

[1] Cf. Cod. can. 768 nec non 1079, dum secundum jus vetus cognatio spiritualis latius patuit juxta versiculos:

Baptizans, baptizatus, baptizatique parentes
Confirmans, confirmatus, confirmatique parentes,
Suscipiens, susceptus susceptique parentes.

[2] Cf. Cod. can. 762. [3] can. 766, 1°. [4] Cod. can. 766, 5°.

Baptismus etiam **parvulis** conferri potest, qui rationis usum non habent. Est *de fide* ut patet ex Trident. sess. 7, can. 12 contra Waldenses, Anabaptistas et Socinianos definitione: „Si quis parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat . . . anathema sit."

Probatur:

1° ex s. Scriptura, quae paedobaptismum non quidem expresse, utique vero implicite continet, cum *α*) absolutam necessitatem Baptismi: *β*) amorem Christi erga parvulos et *γ*) Baptismum integris familiis collatum tradat.

2° ex Traditione, praesertim ex controversia cum Pelagianis non minus quam ex praxi Ecclesiae, quam Origines testatur:[1] „Ecclesia ab Apostolis traditionem suscepit etiam parvulis Baptismum dare."

3° ex Ratione: cum parvuli habitualiter tantum sint a Deo aversi peccatumque originale aliena contraxerint voluntate, convenire admodum videatur, ut citra dispositiones actuales ad Deum hibitualiter convertantur et aliena veluti fide et voluntate a peccato mundentur.

Nostris diebus Modernismi asseclae assertiones afferebant huc spectantes a Pio X. recte condemnatas:[2]

Communitas christiana necessitatem bapsismi induxit, adoptans illum tamquam ritum necessarium eique professionis christianae obligationes adnectens.

Usus conferendi baptismum infantibus evolutio fuit disciplinaris, quae una ex causis exstitit, ut sacramentum resolveretur in duo, in baptismum scilicet et poenitentiam.

Nihil probat ritum sacramenti confirmationis usurpatum fuisse ab Apostolis: formalis autem distinctio duorum sacramentorum, baptismi scilicet et confirmationis haud spectat ad historiam christianismi primitivi.

Nr. 260. Necessaria non est subsequens ratihabitio Baptismi in infantia suscepti, sicque tempore infantiae

[1] L. 5 in Ep. ad Rom. c. 9.

[2] Decr. S. Off. „Lamentabilis", 3 Julii 1907. Cf. Denz. Bannw. 2042—2044.

baptizatis **examen protestanticum**, ubi adoleverint, **non est permittendum.**

Est *de fide* contra Erasmum et Protestantes ex conc. Trident. can. 14^to^ ejusd. sess.: „Si quis dixerit, hujusmodi parvulos baptizatos, cum adoleverint, interrogandos esse an ratum habere velint, quod patrini eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti sunt: et ubi se nolle responderint, suo esse arbitrio relinquendos etc. . . . anath. sit."

Intelligitur autem sub examine protestantico adultis permissa libertas tum ea cognoscendi, examine non mere confirmativo sed *dubitativo*, quae, cum baptizarentur, eorum nomine promissa sunt: tum eadem promissa libere confirmandi vel abjiciendi.

Hujusmodi praxis sane est stulta, quia α) pueri capaces non sunt instituendi tale examen; quia β) in omni jure naturali, civili et divino infantes cum adolescunt servare debent pacta eorum nomine a tutoribus inita; quia γ) lex divina, cui subditur eo ipso quod homo natus est antecedenter ad suam voluntatem, omnes homines obstringit, ingrediendi Ecclesiam susceptione Baptismi, proindeque absonum est, quod ratas non habeant eas promissiones, quas lege divina spondere deberent, si id per patrinos nondum fecissent; insuper δ) tale examen toti antiquitati fuit ignotum.

Haec enim agnovit tantum examen confirmativum et ratihabitionem obligatoriam, quemadmodum Ecclesia hodie quoque docet, quod **Sponsiones Baptismi** aliquoties renovare conveniat ac hoc utilissimum sit, praesertim ante primam Communionem, ante Confirmationem, in pervigilio Paschatis et Pentecostes, quando fit fontis baptismalis benedictio, die anniversario susceptι Baptismatis et denique morte imminente.

Sponsiones vel vota Baptismi vocantur abrenuntiatio et sponsio, quibus se catechumenus vitaturum peccata et legem Christi servaturum promittit.

Nr. 261. **Effectus** Baptismi primarii tres numerantur:

1° deletio omnis culpae et poenae, cum, ut Trident. sess. 5. can. 5 definivit, „Nihil damnationis sit in iis, qui sunt in Christo Jesu regenerati."

2° infusio gratiae sanctificantis cum virtutibus et donis Spiritus sancti;

3° impressio characteris, quo baptizatus efficitur Christi et Ecclesiae membrum et capax reliqua sacramenta recipiendi.

Cum remissio peccatorum numquam fiat sine infusione gratiae et virtutum, remanet tantum de primo agendum, quod jam **probatur:**

1° ex s. Scriptura, quae non solum generatim docet,[1] quod per Baptisma *abluimur*, *sanctificamur*, *justificamur*, *renovamur et salvi efficimur*, sed hanc justificationem describit[2] veluti mortem veteris hominis et regenerationem novi, ex quo, ut s. Thomas adnotat,[3] patet, quod per Baptismum homo moritur vetustati peccati et incipit vivere novitati gratiae: ad pristinam autem vetustatem pertinet omne peccatum omnisque poena.

2° ex Patribus, e. gr. Augustinus asserit:[1] „Baptismus abluit peccata omnia, prorsus omnia: sive originalia, sive addita . . . Si propterea continuo post Bapt. consequatur ab hac vita emigratio, non erit omnino, quod obnoxium hominem teneat solutis omnibus, quae tenebant."

3° ex praxi Ecclesiae, quae baptismum inter et poenitentiam bene discernens, nulla unquam opera laboriosa et satisfactoria recens baptizatis imponendi morem servavit, quem Florentinum quoque in Decreto pro Armenis testatur verbis: „Baptismi effectus est remissio omnis culpae originalis et actualis, omnis quoque poenae, quae pro ipsa culpa debetur. Propterea baptizatis nulla pro peccatis praeteritis injungenda est satisfactio, sed morientes antequam culpam aliquam committant, statim ad regnum coelorum et Dei visionem perveniunt."

Per sacramentum regenerationis **non restituitur donum integritatis,** sed relicta est concupiscentia, ut occasio habeatur majorum meritorum pro statu termini: mors ac passiones vero pariter manent 1° propter conformitatem baptizatorum cum

[1] Cf. 1 Cor. 6, 11; Tit. 3, 5; Joan. 3, 5 [2] Rom. 6, 3
[3] Q. 69, a. 1.

capite Christo, qui licet a primo incarnationis instanti habuerit gratiae plenitudinem, nihilominus morti erat subjectus; 2° ideo quoque, ne homines ad Baptismum accederent propter impassibilatem praesentis vitae et non propter gloriam vitae aeternae.

Nr. 262. Pro praxi observari debent in cura animarum praeprimis insequentes novi Codicis canones:

Infantes quam primum baptizentur; et parochi ac concionatores frequenter fideles de hac gravi eorum obligatione commoneant (can. 770).

Curent parochi ut ei qui baptizatur, christianum imponatur nomen; quod si id consequi non poterunt, nomini a parentibus imposito addant nomen alicujus Sancti et in libro baptizatorum utrumque nomen perscribant (can. 761).

Proprius baptismi sollemnis administrandi locus est baptisterium in ecclesia vel oratorio publico.

In domibus autem privatis baptismus sollemnis administrari non debet nisi in casibus jam supra pag. 336 allegatis.[1]

Si aqua benedicta in baptisterio adeo sit imminuta, ut minus videatur sufficere, alia non benedicta admisceatur, etiam iterato, minore tamen copia.

Si vero corrupta fuerit aut effluxerit, parochus in fontem, bene mundatum ac nitidum, recentem aquam infundat ac proprio ritu in suis liturgicis libris praescripto benedicat (can. 757).

Minister ordinarius baptismi sollemnis est sacerdos, sed ejus collatio reservatur parocho vel alii sacerdoti de ejusdem parochi vel Ordinarii loci licentia, quae in casu necessitatis legitime praesumitur (can. 738).

In alieno territorio nemini licet, sine debita licentia, baptismum sollemne conferre ne sui quidem loci incolis (can. 739).

Nr. 263. **Baptismus omnibus** omnino hominibus, ut salutem consequantur, **necessarius est**: parvulis quidem in re, adultis in re vel in voto.

[1] Cum apud nos baptismo sollemni in domibus privatis longaeva jam consuetudine civitas data est, non potest repentine abrogari; ut autem legi nunc latae pedententim satisfiat omnibus nobis cordi esse debet

Est *de fide* ex Trident, sess. 7, can. 5: „Si quis dixerit, Baptismum liberum esse, hoc est non necessarium ad salutem, anathema sit."

Necessarium ad salutem duplex distinguitur, naempe: necessarium necessitate praecepti, quod sine peccato non potest omitti culpabiliter, et necessarium necessitate medii estque illud, quod per se est necessarium ad obtinendam gratiam primam.

Necessarium necessitate medii porro, si non potest suppleri per aliud aequivalens, dicitur necessarium *necessitate absoluta;* talis est fides, spes, charitas, gratia habitualis etc. Si vero potest suppleri per aliud aequivalens, dicitur necessarium *necessitate hypothetica;* talis est Baptismus fluminis, qui suppleri potest per Baptismum sanguinis vel flaminis.

Probatur:

1° ex verbis Christi apud Joan. 3, 5: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Necessitas praecepti fluit ex Christi effato: *Euntes . . . baptizate eos* etc.

2° ex unanimi SS. Patrum ore. Quapropter Gennadius[1] inter firmissima Ecclesiae dogmata et illud recenset, dicens: „Baptizatis tantum iter salutis esse credimus."

3° ex praxi et Ecclessiae sollicitudine, qua cavebat, ne quis negato sacro Baptismatis fonte hac vita excederet.

Nr. 264. De **parvulis Baptismo praemorientibus** s. Bonaventura[2] et alii Theologi antiquiores existimabant, eos ex speciali Dei clementia per preces parentum salvari posse; Cajetanus ulterius progrediens idem ex lege ordinaria asseruit; inter recentiores catholicos Klee opinatus est, eos statim post mortem per votum desiderii ab iisdem elicitum salvari. Quo in casu, si aliud suppeteret medium salutis, quare ab Ecclesia adhibita fuit tanta sollicitudo, ne parvuli sine Baptismo decedant? Praeterea conc. Florentinum in decreto Unionis expresse docet: „Illorum animas, qui in actuali mortali peccato vel solo originali decedunt, mox in in-

[1] C. 41, Opp. S. August. T. 8, App. c. 79. [2] In 4. dist. 3, p. 1, q. 2. a. 2.

fernum descendere poenis tamen disparibus puniendas," ex quibus hoc unum saltem constat non dari ullum ordinarium salutis medium pro parvulis Baptismo praemorientibus.

Verosimiliter consistit eorum poena tantum in privatione gloriae, ita ut sint in eodem statu, in quo natura humana esset, si homo creatus esset in statu naturae purae, quam Deus potuisset eligere.

Nr. 265. **Baptismus fluminis suppleri potest:**

1° per Baptismum flaminis: nam α) juxta Trident etiam votum suscipiendi Bapt. ad justificationem sufficit; β) colligitur id ex omnibus locis Scripturae, quae charitati attribuunt vim justificandi, e. gr. Joan. 14, 21: *Qui diligit me, diligetur a Patre meo*; γ) constat ex Patribus, e. gr. Ambrosio, qui de Valentiniano imperatore, qui catechumenus obierat, ait:[1] „Quodsi martyres suo abluuntur sanguine, et hunc sua pietas abluit et voluntas."

2° per Baptismum sanguinis: nam patet: α) ex verbis Christi, Matth. 10, 39: *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam*; β) ex praxi Ecclesiae, quae nunquam pro martyribus orare consuevit, sed eos, uti jam infantes ab Herode propter Christum occisos, ut sanctos veneratur; γ) ex s. Augustino dicente:[2] „Quicumque etiam non percepto regenerationis lavacro pro Christi confessione moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur sacro fonte Baptismatis."

Sedulo autem **advertendum** est, ista duo baptismata, quorum prius ex opere operantis, posterius vero ex opere operato Baptismum aquae supplent, non quoad omnia, sed tantum quoad effectum primarium illud praestare. Nam nec characterem imprimunt nec conferunt jus ad recipienda alia sacramenta et bona ecclesiastica, nec reddunt membrum Ecclesiae visibilis, nec generatim liberant ab obligatione recipiendi sacramentum Baptismatis: imo Bapt. flaminis generatum non remittit omnem poenam temporalem.

[1] Orat. funebr. de Valent. [2] De civit. Dei, L. [illegible] c. ?

Nr. 266. Ex Baptismi necessitate exoritur **quaestio**: Utrum liceat filios infidelium baptizare invitis parentibus? Distinguendum est:

1. Filii haereticorum licite possunt invitis parentibus baptizari; quia, cum ratione Baptismi sint subditi Ecclesiae, possunt cogi ab Ecclesia, ut infantes suos baptizari curent: ergo eis possunt eripi, ut baptizentur.

2. Filii mancipiorum non baptizatorum possunt ac debent invitis parentibus baptizari, quia ratione servitutis parentum pertinent ad dominos, quorum sunt possessio.

3. Filii infidelium non baptizatorum sive principibus infidelibus sive fidelibus civiliter tantum subditorum non possunt licite, utroque parente invito, baptizari, nisi jamjam sint in evidenti periculo mortis: quia vel illi infantes subtraherentur parentibus vel non: si primum, violaretur jus naturale, quod habent parentes in filios; si secundum, exponeretur Sacramentum periculo profanationis, atqui neutrum est licitum, cum non sint facienda mala, ut eveniant bona. — Ast tantum *α)* utroque parente invito, quia si alteruter parens consentiat, potest infans, altero renitente, baptizari: nam voluntas justa unius parentis in favorem prolis praeferenda est injustae alterius voluntati in prolis praejudicium; *β)* nisi infans jamjam esset in evidenti periculo mortis, quia tunc nec eriperetur parentibus nec Baptismus profanationi exponeretur.

Tractatus nonus.

De Confirmatione.

Nr. 267. **Confirmatio**, alterum N. L. Sacramentum, per quod vita spiritualis, quam in Baptismo accepimus, augetur atque perficitur, ac nos militiae Christi adscribimur, **definitur**: „Sacramentum a Christo institutum, quo baptizatus per manuum impositionem et Chrismatis unctionem in fronte per modum crucis et sub

praescripta verborum forma factam corroboratur a Spiritu Sancto ad fidem firmiter tenendam intrepideque profitendam."

Sacramentum hoc vario olim nomine insignitum fuit in Ecclesia: a materia sua remota vocatum est *sacramentum Chrismatis*, *unguenti mysterium*; a materia proxima *manus impositio*, *sacramentum unctionis*: *signaculum dominicum* vel *sigillum regium*, tum quia cruce signamur in fronte, tum quia per characterem sigillamur in anima; ab effectibus *perfectio*, *consummatio*, quia confert copiosam gratiam ad perfectionem vitae in Baptismo acceptae, item *donum*. *Sacramentum Spiritus sancti*. — Caeterum nunc usitata denominatio antiquissima est, cum reperiatur jam in Constitutionibus apostolicis lib. 3, cap. 27, ubi legitur: *Chrisma* confirmatio *est confessionis*, nempe Baptismi, de quo ibi agitur.

Hoc sacramentum antiquitus quidam haeretici neglexerunt, ut *Novatiani*; aut superstitiosis ritibus temeraverunt, ut *Valentiniani*, quin tamen ejus virtutem inficiarent. Postea vero neglexerunt vel imo ex albo sacramentorum confirmationem expunxerunt *Cathari*, *Waldenses*, *Wicleffitae*, *Hussitae* et recentius passim *Protestantes*.

Confirmationem autem esse verum et proprie dictum sacramentum, distinctum a Baptismo, est *de fide* ex conc. Trident. sess. 7, can. 1: Si quis dixerit, Confirmationem baptizatorum otiosam caeremoniam esse et non potius verum et proprium sacramentum: aut olim nihil aliud fuisse, quam catechesim quandam, qua adolescentiae proximi fidei suae rationem coram Ecclesiae exponebant, anath. sit."

Nr. 268. **De tempore, quo Christus Confirmationem instituerit,** non certo constat: aliis in ultima coena, aliis probabilius videtur fuisse instituta a Domino post resurrectionem, quando loquens de regno Dei multa de Spiritu Sancto praedixit.

Suarez censet, Confirmationem promissam et explicatam nocte coenae fuisse, definitive autem institutam, quando Christus redivivus insufflans Apostolis suis, ut Joan. 20 refert, dixit: *Accipite Spiritum*

sanctum. Nihilominus tamen, ait s. Thomas,[1] Christus Confirmationem discipulis non dispensavit, quia Spiritus sancti plenitudo, quae hujus sacramenti effectus est, non erat ante Domini glorificationem concedenda.

Cum autem die Pentecostes Apostoli Spiritus S. abundantiam acceperint, exstitit simul insignis declaratio hujus Sacramenti, quod jam adumbratum scimus a Christo, dum manus imposuit parvulis et oravit super eos.

Nr. 269. Confirmationis **materia remota** est Chrisma, ex oleo olivarum et balsamo confectum et ab Episcopo benedictum, ut expresse declaravit conc. Florentinum in decreto: „Secundum Sacramentum est Confirmatio, cujus materia est Chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiae; et balsamo, quod odorem significat bonae famae, per Episcopum benedicto."

Oleum olivarum certo est de essentia Sacramenti; balsamum vero et benedictio episcopi juxta aliquos est tantum de necessitate praecepti, juxta probabiliorem et communiorem vero sententiam est pariter de necessitate sacramenti. Ratio petitur ex significatione hujus sacramenti.

Chrisma et materia huic sacramento omnino congrua. Oleum enim, eo quod pingue sit et natura sua maneat ac diffluat, gratiae plenitudinem exprimit, quae in hoc sacramento per Spiritum sanctum a capite Christo in alios redundat atque effunditur. Praeterea oleum praeprimis illud olivae roborat, nutrit et fovet lumen et ignem, quibus proprietatibus Spiritus Sancti dona adumbrantur. — Oleo admiscetur balsamum propter fragrantiam odoris, quae ab inunctis redundat ad alios, unde Apostolus 2 Cor. 2, 15 dicit: *Christi bonus odor sumus*. Et licet multa alia sint odorifera, tamen praecipue adhibetur balsamum, propterea quod praecipuum odorem habet et etiam quia incorruptionem praestat.

Nr. 270 **Materiam proximam** quod attinet, quatuor praecipue recensentur opiniones. Juxta 1am opinionem consistit in sola manuum impositione, quae principio

[1] P. 3, q. 72, art. 1.

fit ab Episcopo ad omnes confirmandos simul; juxta 2am in sola unctione; juxta 3am in alterutra seorsim sumpta; juxta 4am, quae probabilior est et nunc fere communiter recepta, in manuum impositione et Chrismatis unctione, quae simul sumptae uno verbo „Chrismatio" dici potest vel recte adnotat etiam „manus impositio": qui enim inungit, ut Bellarminus[1] recte adnotat, manus imponit et ideirco utrumque significatur, etiamsi alterum tantum exprimi videatur. Praeterea Graeci habent verum Confirmationis Sacramentum, atqui tamen apud illos nulla fit manus impositio distincta ab unctione Chrismatis. Illa ergo altera manus impositio praeambula, quae fit, dum Episcopus, antequam singulos per ordinem confirmet, manu extensa versus omnes confirmandos simul orat, ut in eos descendat Spiritus sanctus, solum caeremonialis est, ut habet communior sententia.

Doctores tenent etiam communiter, non de praecepto tantum, sed de necessitate sacramenti esse α) ut unctio fiat in fronte, β) ut fiat in forma crucis, γ) ut fiat per manus ipsius episcopi ministrantis.

Nr. 271. Hinc **forma** Confirmationis erunt ea verba, quae episcopus, dum pollice frontem inungit, pronuntiat, et sunt apud Latinos: *Signo te signo crucis et confirmo te chrismate salutis in nomine Patris et filii et Spiritus sancti*, apud Graecos vero: σφραγὶς δωρεᾶς πνεύματος ἁγίου = Signaculum doni Spiritus sancti (tibi datur), quae forma quoad substantiam non differt a nostra, praesertim si conjugatur cum oratione praecedenti, in qua Graeci expresse SS. Trinitatem invocant.

Contra paucos, qui formam reponebant in oratione episcopi vel unice vel saltem partialiter, forma supradicta in Decreto pro Armenis exclusa quavis alia nobis indicatur.

Nr. 272. **Minister** ordinarius confirmationis est solus episcopus.

Est *de fide* ex Trident. sess. 7, can. 3: „Si quis dixerit, sanctae confirmationis ordinarium ministrum

[1] Lib. 2 de Confirm. cap. 2.

non esse solum episcopum, sed quemvis simplicem sacerdotem: anath. sit."

Probatur:

1° ex Scriptura, ubi Act. 8 legimus Petrum et Joannem Apostolos missos fuisse Samariam, ut eis, qui a Philippo baptizati fuerant, manus imponerent et darent Spiritum sanctum.

2° ex Traditione. Cyprianus:[1] Qui in Ecclesia baptizantur, praepositis Ecclesiae offeruntur, ut per nostram orationem ac manuum impositionem Spiritum sanctum consequantur; Innocentius I: De consignandis vero infantibus manifestum est, non ab alio quam Episcopo fieri licere.[2]

3° Accedit, quod Nicolaus I. saeculo IX^no iterum confirmari jussit, quos sub Photio presbyteri graeci in Bulgaria consignaverant, quia, cum Bulgariae provincia ad patriarchatum occidentalem spectaret, presbyteri, qui caeterum insuperque sese ordinaria potestate praeditos arbitrabantur, non a Photio, sed a Romano pontifice delegari debuissent.

Minister **extraordinarius,** qui propositione supra allata non excluditur, imo potius supponitur, est simplex presbyter per delegationem pontificiam, qui vero uti debet Chrismate per Episcopum benedicto; nam

1° id concessit Gregorius M. presbyteris Calaritanis dicens:[3] Ubi desunt Episcopi, ut Presbyteri etiam in frontibus baptizatos chrismate ungere debeant, concedimus.

2° in Ecclesia graeca a mille annis et amplius simplices Presbyteri confirmationem conferunt, quam praxin non reprobat Ecclesia Latina, quae Graecos in suam communionem admisit in conc. Lugdun. II et Florent., nec tamen confirmationem ab eorum Presbyteris collatam rejecit ut invalidam.

Nr. 273. **Subjectum** hujus sacramenti capax est omnis et solus baptizatus necdum confirmatus: *omnis* quidem, ut constat ex praxi primitivae Ecclesiae, quae infantibus una cum Baptismo Confirmationem et Eucha-

[1] Ep. 73, de tinctis a Philippo in Samaria disserens.
[2] Epist. ad Decentium Eugubin. c. 3.
[3] Cap. Pervenit, dist. 91.

ristiam ministrabat, quam praxin nunc etiam observat Ecclesia graeca: *solus* etiam, quia Baptismus est janua caeterorum Sacramentorum.

Quoad **dispositiones** confirmando necessarias theologorum sententia haec est: Ut validum sit sacramentum, sufficit voluntas illud recipiendi; ut cum fructu recipiatur, requiritur status gratiae ad Sacramenti vivorum receptionem requisitus. — De **aetate** sic habet *Catechismus* romanus:[1] „Omnibus quidem post baptismum Confirmationis sacramentum posse administrari: sed minus tamen expedite hoc fieri, antequam pueri rationis usum habuerint. Quare si 12mus annus non expectandus videatur, usque ad septimum certe hoc sacramentum differre maxime convenit." Concilium provinciale Viennense statuit desuper: non ante 7um aetatis annum, nec ultra 14um differatur, et non detur ante, sed post primam communionem. can 788 vero in novo Codice desuper hisce verbis dijudicat: Licet sacramenti confirmationis administratio convenienter in Ecclesia Latina differatur ad septimum circiter aetatis annum, nihilominus etiam antea conferri potest, si infans in periculo mortis sit constitutus, vel ministro id expedire ob justas et graves causas videatur.

Confirmatio non est necessaria necessitate medii, quia sine ea homo potest salvari per Baptismum et Poenitentiam; sed **necessaria est tantum necessitate praecepti** divini et ecclesiastici; nam Christus praecepit Apostolis, ut Confirmationem reciperent: praecepit eis ab Jerosolymis ne discederent, sed exspectarent promissionem Patris, atqui caeteri omnes, qui perseverantes erant unanimiter in oratione cum mulieribus et Maria, Matre Jesu, et fratribus ejus, sibi praeceptum esse impositum intellexerunt. Hinc Conc. Senonense definit: „Confirmationem omnes Christiani . . . usum rationis habentes obligantur suscipere aut saltem non contemnere. Contemnere autem dicitur, quando Episcopus est praesens dare et persona hoc sciens negligit," et Can. 787 Codicis novi statuit: Quamquam hoc sacramentum non est de necessitate medii ad salutem, nemini tamen licet, oblata occasione, illud negligere: imo

[1] P. 2, c. 3, q. 17.

parochi curent ut fideles ad illud opportuno tempore accedant.

Adultis inesse debent, uti jam supra diximus: α) *status gratiae*, quia Confirmatio est sacramentum vivorum; β) *scientia* competens circa rudimenta fidei et ea quae spectant confirmationem.

In contestationem se esse satis eruditum confirmandus examen religionis subire debet coram parocho vel ejus vice fungente, qui peculiariter huic fini inservienti scidulae nomen confirmationis causa appetitum inscribit seque ipsemet subscribit apponens insuper sigillum parochiale.

Uti Codicis can. 798 exposcit, inscribat parochus, praeter hac in re annotationem in libro baptizatorum, nomina ministri, confirmatorum, parentum et patrinorum, diem ac locum confirmationis in peculiari libro.

Nr. 274. **Effectus** Confirmationis sunt:

1° gratia sanctificans, *per se* secunda, adnexam habens abundantiam virtutum et donorum Spiritus sancti, quae secundum Isaj. 11, 2 septem numerantur: donum sapientiae, intellectus, consilii, fortitudinis, scientiae, pietatis et timoris Domini. — Initio Ecclesiae cum his internis donis externa quoque charismata miraculorum, linguarum etc. saepe conjuncta cernebantur.

2° gratia sacramentalis, sive actu data, sive obtinenda tempore suo: cum scil. occasio se offeret ad fidem corde, ore et opere strenue constanterque profitendam, ad vincendas contra fidem tentationes atque adversa quaelibit pro fide patienter toleranda.

Ut significaretur confirmati admissio in Christi militiam ipseque admonitus sit et maneat de munere suo intrepide profitendi fidem, assumebatur inter ceremonias confirmationis levis inflictio alapae in maxilla confirmati. Haec ceremonia ex ritu, quo aetate media creari solebant equites est derivata. Non enim ante saeculum 10um mentio ulla de ea invenitur.

3° character indelebilis: ratione cujus hoc sacramentum iterari non potest confirmatusque militiae Christi adscribitur,

4° cognatio spiritualis, quae parem in modum ut jam ex collatione et susceptione Baptismi oritur inter

confirmatum et patrinum; ex hac cognatione spirituali patrinus obligatione tenetur confirmatum perpetuo sibi commendatum habendi ejusque christianam educationem curandi;[1] matrimonii impedimentum autem non amplius exoritur ex hac spir. cognatione.

Tractatus decimus.

De SS. Eucharistia.

Est numero tertium, dignitate autem longe primum sacramentum, cujus supremam excellentiam ipsum

Nr. 275. *Eucharistiae* **nomen** satis indicat, quae vox *bonam gratiam* vel *gratiarum actionem* significat: non solum, quia Christus eam gratias agendo Patri instituit; sed etiam, quia ipsum gratiarum fontem in se continet; quia per eam, tamquam oblationem dignam, dignas possumus Deo gratias reddere; demum quia Eucharistia animas nostras implet charitate, ut semper in laude Dei et gratiarum actione maneamus.

Caeterum Eucharistiae alia adhuc imposita sunt nomina, quae ejus naturam et excellentiam haud parum illustrant. Praecipua sunt sequentia:

1. ratione significationis commemorativae dicitur hostia, quo denotatur Passio Domini;

2. ratione significationis demonstrativae dicitur communio vel *συναξις*, quo denotatur unio membrorum Ecclesiae inter se et cum capite Christo;

3. ratione significationis prognosticae dicitur viaticum, quo denotatur patria et fruitio Dei, quo nomine appellatur, cum recipitur in periculo mortis;

4. ratione materiae transeuntis et specierum ac formae consecrationis: panis, fractio panis, panis angelorum, calix benedictionis, benedictio seu eulogia, qua ulteriori voce olim etiam dicebantur partes panis non consecrati, sed tantum benedicti, quae fidelibus distribui solebant;

5. ratione rei contentae dicitur: Corpus et san-

[1] Cf. Cod. can. 797.

guis Domini, *Ἀγαθὸν* seu bonum per excellentiam panis de coelo, panis vitae, alimonia, pharmacum et poculum immortalitatis, Sanctum, Sanctissimum, Mysterium, Venerabile, Sacramentum;

6. ratione modi, quo recipitur: mensa, epulae divinae, sacrum convivium;

7. ratione temporis, quo est instituta: Coena Domini;

8. ratione loci, ubi conficitur: Sacramentum Altaris.

Quod centrum est in circulo, quod cor in homine, quod Deus in mundo, hoc fere est in Ecclesia Christi — Eucharistia, quae dupliciter considerari potest: 1° respective ad homines quos sanctificat, et sub hac ratione est *Sacramentum;* 2° respective ad Deum seu ad ejus cultum, et sub hac ratione *Sacrificium* est.

Unde praemissis illis, quae Eucharistiam in se spectant, agendum est de Eucharistia qua sacramento et qua sacrificio.

Eucharistia in se spectata.

Nr. 276. **Christus vere, realiter et substantialiter praesens est in Eucharistia,** ita ut mere symbolica, vel mere idealis vel mere virtualis praesentia excludatur.

Est *de fide* ex Trident. sess. 14, an. 1: „Si quis negaverit in SS. Eucharistiae Sacramento contineri vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem una cum anima et divinitate Domini nostri Jesu Christi ac proinde totum Christum, sed dixerit tantum modo esse in eo ut in signo vel figura aut virtute: anath. sit."

Verae praesentiae opponitur *symbolica*, quam post Scotum Erigenam ac Berengarium statuerunt sacramentarii Zwingli, Oecolampadius et Carolostadius, juxta quos Eucharistia solum signum solamque figuram Christi exhiberet. — Reali praesentiae opponitur mere *idealis*, quam potissimum Calvinus affirmaverat Christum duntaxat fide praesentem contendens; substantiali denique praesentiae mere *virtualis* opponitur et statu-

itur pariter a Calvinistis, in quantum ii, qui fide Christi praesentiam perciperent, exinde virtutem acciperent, qui conceptus virtualis praesentiae correspondoret modo, quo Christus in reliquis sacramentis gratia sua praesens dici posset.

Probatur:

1° Ex verbis promissionis, quae referuntur Joan. VI, 51-60, quibus Christus tunc reapse promisit daturum se corpus et sanguinem suum oraliter manducandum.

Haec ejus autem verba non in alio quam sensu proprio intelligi debent: nam: α) Christus loquitur de novo cibo futuro tempore dando, ergo non est, uti quidam contendebant, doctrina sua, quam jam prius revelavit: β) si verba in sensu tropico intelligenda essent, tunc carnem alicujus manducare significaret tantum alteri injuriam inferre, imprimis per calumniam; γ) Christus accurate distinguit inter carnem manducandam et sanguinem bibendum: si esset doctrina intelligenda, distinctio sensu careret: δ) nullibi in SS. Litteris doctrina Christi caro vocatur; ε) Judaei non aliter quam in sensu proprio haec verba intellexerunt, de modo tantum dubitantes; Christus vero eos non correxit, quod autem, si falsum habuissent sensum, facere debuisset, sicut et fecit in aliis occasionibus: v. gr. cum Christo dicenti: „Lazarus amicus noster dormit", Apostoli responderent: „Domine! si dormit, salvus erit", subito eos correxit explicans: Lazarus mortuus est. ζ) Si verba Joannis non de Eucharistia essent intelligenda, tunc Christus nullibi de necessitate Eucharistiam sumendi, de ejus dignitate, de fructibus etc. sermonem instituisset: hoc autem uti in se, sic etiam exinde improbabile est, quod Apostoli, cum Christus in ultima coena instituerat Eucharistiam, minime de rei novitate et extraordinarietate sunt mirati, ergo erant jam praeparati, certo illis promissionis verbis, quae propterea η) etiam a cunctis SS. Patribus de Christi vero corpore intellecta fuisse scimus.

2° ex verbis institutionis, Matth. 26, 16: *Hoc est corpus meum . . . his est sanguis meus*, quae verba iterum in sensu proprio et nullo alio intelligenda sunt,

cum nulla sit ratio recedendi a significatione litterali, sed potius sint gravissimae rationes, ei adhaerendi:

naempe: α) Christus in ultima coena rem plane novam instituit, quam testamentum suum nuncupavit in fine vitae; oportuit ergo eum uti verbis claris nullum dubium de vero sensu relinquentibus; β) fecit verba illa ad Apostolos, quibus ut futuris generis humani magistris rem novam clare proponere debuit et γ) fecit illa verba eo tempore, quo ad Patres erat transiturus, et in quo adimpleri oportuit illud ejus effatum: *Venit hora, cum jam non in parabolis loquar vobis, sed palam de Patre annuntiabo vobis;* δ) e quavis altera interpretatione sequerentur absurda: Christus etenim decepisset Apostolos et per eos Ecclesiam universam, quae semper verba illa litteraliter accepit.

3° ex verbis Apostoli 1 Cor. 10, 15 sqq.: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini?* — Vult enim Paulus Corinthios avocare ab idolothytis gentilium propterea que dicit: si enim monducatis, participes estis sacrificii daemonibus oblati, sicut etiam fideles accumbentes mensae Domini corporis et sanguinis Jesu Christi participant. Jam vero hujusmodi comparatio supponit carnem Christi a fidelibus non minus realiter quam carnem victimarum a Judaeis et gentilibus manducari.

4° ex Patrum unanimi suffragio, qui dogma nostrum vario testantur modo, quorumque plura exhibentur testimonia in Breviario lect. fest. Corp. Dom. per totam Octavam. — SS. Patres, α) aeai jam contra Sacramentarios agerent, dicunt Eucharistiam non esse imaginem corporis, sed ipsum corpus, seque ad manna habere sicut veritatem ad figuram vel corpus ad umbram, esse etenim vere corpus et vere sanguinem pretiosum Christi: — β) docent esse in Eucharistia eandem carnem, qua passa et crucifixa est pro nobis; eosque, qui indigne suscipiunt et lacessunt corpus Christi, vim inferre corpori et sanguini Domini esseque instar Judae proditoris; γ) affirmant in Eucharistia magnum fieri oraculum, sensibus inacceptum, *transelementationem* scilicet, ita ut quod videtur panis vel vinum, non sit.

sed Christi corpus et sanguis; — δ) haereticis annumerant, qui realem praesentiam negant

5° ex praescriptione: Haec fides in Ecclesia catholica est, ergo semper fuit estque apostolica et divina, quia tanta variatio, quae impiissima foret idololatria, in Ecclesia sanctorum non modo facta non est, sed nec ullo pacto fieri potuit:

Facta non est, cum nulla sint hujusmodi facti testimonia; contra vero omnia, vel antiquissima, tam Occidentalium quam Orientalium Ecclesiarum monumenta et Liturgiae contrarium testentur;

fieri non potuit, cum non possint tot viri sancti et docti, in universo orbe, in tantam impietatem conspirare, aut in tantum errorem prorumpere.

Nr. 277. **Christus in Eucharistia praesens fit per transsubstantiationem, i. e. per conversionem totius substantiae panis et vini in corpus et sanguinem ipsius.**

Est *de fide* ex Trident. sess. 13. can. 2: „Si quis dixerit, in Sacrosancto Eucharistiae Sacramento remanere substantiam panis et vini una cum corpore et sanguine Domini N. J. Christi, negaveritque illam mirabilem et singularem conversionem totius substantiae panis in corpus et totius substantiae vini in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis et vini, quam quidem conversionem Ecclesia catholica aptissime transsubstantiationem appellat, anath. sit."

Quoad modum, quo Christus in Eucharistia praesens constituatur, Osiander jam praeeuntibus quibusdam Berengarii discipulis impanationem docuit, hoc nomine intelligens hypostaticam Christi cum pane conjunctionem, Lutherus vero consubstantiationem docuerat, supponens Corpus Christi adesse una cum substantia panis, quae permaneat, ita ut sub accidentibus panis consociatae sint duae substantiae. E contra **transsubstantiatio**, quae vox a Scholasticis pridem usurpata, deinde auctoritate Concilii Lateranensis IV^ti sancita et confirmata fuit, est „mirabilis et singularis conversio totius substantiae panis in Corpus Christi et totius substantiae vini in ejus Sanguinem, manentibus dumtaxat panis vinique speciebus."

Probatur:

1° ex verbis institutionis: *Hoc est corpus meum* etc. quorum verus et genuinus sensus est hujusmodi: omne id, quod substat istis speciebus ad modum substantiae, omne id est corpus meum et sanguis meus.

2° ex Traditione: Patres et liturgiae α) docent, post consecrationem non esse amplius panem et vinum, sed corpus et sanguinem Christi; β) vocant hanc conversionem transelementationem = *μεταστοιχείωσιν* vel transformationem; γ) illustrant variiis exemplis conversionum naturalium, e. gr. cibi in corpus nostrum vel etiam supernaturalium, praesertim conversionis aquae in vinum in nuptiis Canensibus.

Transsubstantiatio postulat α) ut aliquid adsit, quod esse desinit, sicque differt a creatione, quae fit ex nihilo; β) ut aliquid succedat in locum illius, quod esse desinit, sicque differt ab annihilatione; γ) ut inter prioris rei desinitionem et alterius rei successionem sit aliqua dependentia: illud, quod desinit, non tendit ad nihil, sed ad successionem alterius. Theologi rem, quae convertitur, dicunt terminum *a quo*; rem, in quam convertitur, terminum *in quem*.

Actio, qua Christi corpus existere incipit, non ergo est creatio, quia corpus Christi non producitur ex nihilo; nec *adductio*, quasi corpus Christi per motum localem adducatur et loco panis substituatur; nec *unio* corporis cum speciebus; sed rectius productio, immo reproductio, quia corpus Christi, quod est in coelo et manet, sub speciebus existere incipit adeoque reproducitur.

Nr. 278. **Totus Christus sub quavis specie et sub qualibet speciei parte praesens est, separatione facta.**

Est *de fide* ex Trident. sess. 13, can. 3: „Si quis negaverit, in venerabili sacramento Eucharistiae sub unaquaque specie et sub singulis cujusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri, anath. sit."

Dicitur „seperatione facta"; propositio enim, sicut conc. Tridentinum, solummodo agit de particulis separatis, praescindendo a quaestione: utrum Christus sit quoque totus in singulis partibus hostiae non

separatis. Si enim agatur de partibus ante separationem est theologice certa: nam α) Christus in ipsa institutione divisit consecratas species panis et vini Apostolis; β) per divisionem non fit nova consecratio, quae de novo sistat corpus praesens: ergo si non est praesens ante divisionem, nec est praesens post divisionem, quod est haereticum; γ) Tridentinum propterea ipsam restrictionem „separatione facta", quam canoni 3. apposuit, in capite 3. omiserat.

Probatur:

1° ex SS. Litteris. Joan 6, 58: *Qui manducat me, et ipse vivet propter me;* cum enim dicatur Christus vere comedi sub specie panis, vere sub hac specie esse debet, quia alioquin non posset comedi sub illa; 1 Corinth. 11, 27: *Quicunque manducaverit panem hunc vel biberit calicem Domini indigne, reus erit Corporis et Sanguinis Domini.*

2° ex Traditione: s. Gregorius M.:[1] Singuli accipiunt Christum Dominum, et in singulis portionibus totus est, nec per singulas minuitur, sed integrum se praebet in singulis; SS. Patres generatim docent nos Christum suscipere suscipiendo vel tantum speciem panis, ex quo jam nos „Christiferos" vocant.

3° ex praxi antiquae Ecclesiae, quae illud in usu habuit, ut post consecrationem eandem hostiam frangeret in plures partes, quas deinde fidelibus distribuit.

Annotare autem cum conc. Trident praestat, *ex verborum* praesens fieri solum corpus sub specie panis et solum Sanguinem sub specie vini, quia per verba consecrationis panis solum Corpus, et per verba consecrationis vini solus Sanguis expresse significatur; *per concomitantiam* autem sub specie panis sanguinem, animam et divinitatem, sub vini vero specie corpus, animam et divinitatem; et quidem partes omnes humanitatis sub speciebus illis propter inseparabilitatem naturalem, quam habent in Christo suscitato et non amplius morituro, divinitatem vero propter unionem hypostaticam.[2]

[1] In Sacr. dom. 5. post Epiph. [2] Hinc in *divina eucharistia* praesens erat corpus Christi cum sanguine et anima, sed adhuc mortale; in *cibo mystico*, si consecratum fuisset,

Nr. 279. **Christus praesens est in Eucharistia modo permanente.**

Est *de fide* ex conc. Trident. sess. 13. can. 4: „Si quis dixerit, peracta consecratione in admirabili Eucharistiae sacramento non esse corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi, sed tantum in usu, dum sumitur, non autem ante vel post et in hostiis seu particulis consecratis, quae post communionem reservantur vel supersunt, non remanere corpus Domini, anath. sit."

Probatur:

1° ex verbis *promissionis*, quia Christus suam carnem tamquam cibum daturum promisit, cibus autem jam ante sumptionem adest: item ex verbis *institutionis*, quibus ipsis, non vero sumptione demum praesens constituitur Christus,

2° ex Ecclesiae antiquissima praxi, quam exhibent α) liturgiae, in quibus praescribitur, ut consecratione facta corpus Domini adorandum elevetur; β) Missa praesanctificatorum, quae frequentius apud Graecos et in die Parasceves apud Latinos celebrari consuevit; γ) Eucharistia servata in domibus et in itineribus, delata per diaconos ad absentes, ab episcopis ad episcopos missa.

3° ex ratione theologica: α) Cum etenim panis convertatur in corpus Christi, et hoc in locum substantiae panis succedat: corpus Christi tamdiu praesens esse debet, quamdiu praesens est substantia panis. Atqui substantia panis tamdiu manet, quamdiu species manent incorruptae: nam rerum substantiae ex accidentibus cognoscuntur, iisque tamquam suis naturalibus manifestationibus respondent: unde mutatio essentialis accidentium est signum mutatae substantiae. Corruptis ergo speciebus desinit adesse corpus Christi, atque a Deo creatur substantia corruptis speciebus respondens, e. gr. acetum; β) Sacramenta sequuntur naturam actus: uti e. gr. poenitentia naturam judicii, sic sequitur Eucharistia, quae cibus est animae, na-

---

per verba consecrationis primae praesens fuisset corpus exsangue, inanimatum et unitum Verbo; per verba consecrationis secundae praesens fuisset sanguis separatus ut tunc erat, a corpore, sed unitus personae Verbi.

turam cibi; cibus vero in ordine naturae est cibus iam ante sumptionem. Ergo —

Nr. 280. **Jesus Christus in Eucharistia cultu latriae etiam externo est adorandus.**

Est *de fide* contra Protestantes ex Trident. sess. 13, can. 6: „Si quis dixerit, in Sancto Eucharistiae Sacramento Christum unigenitum Dei filium non esse cultu latriae etiam externo adorandum . . . et ejus adoratores esse idololatras: anath. sit."

Probatur:

1° ex ejus reali praesentia;

2° ex unanimi SS Patrum testimonio: s. Augustinus:[1] „Nemo illam carnem manducat, nisi prius adoraverit"; Chrysostomus:[2] „Hoc corpus in praesepi jacens reveriti sunt Magi, et venientes cum timore et tremore multo ipsum adoraverunt . . . tu vero non in praesepi respicis, sed in altari . . . Excitemus itaque nos ipsos, et multo majorem quam barbari illi pietatem exhibeamus."

3° ex Ecclesiae speciali festo Corporis Christi instituto.

Dum ex theologis alii censuerunt, solum Christum in Sacramento adorari, non simul species, dicunt e contra alii, una cum Christo etiam adorari species, utpote cum ipso, licet unione accidentali, conjunctas. Quae sententia videtur verior magisque propriam referri *Sacramenti* adorationem. Etenim Sacramentum adorare idem est ac id colere, quod essentialiter Sacramentum constituit: videlicet non tantum corpus Christi, sed mirabile illud ex Christi corpore et speciebus compositum. Per concomitantiam ergo et species adorantur, potiore adhuc jure, quam vestes Christi aliquando coadorabantur cum ipso.

Nr. 281. Haud inutile erit hac in re dinumerare Codicis jur. can. novi **de cultu et custodia sanctissimae Eucharistiae constitutiones** attentas magni momenti, per canones 1265—1275 nobis propositas.

Enumeratis in can. 1265 ecclesiarum generibus, in quibus SS. Eucharistia custodiri debet vel potest, dummodo sit qui ejus curam habeat et regulariter sa-

[1] In Ps. 98, n. 9. [2] Hom. 24 in Cor. n. 5.

cerdos semel saltem in hebdomada Missam in sacro loco celebret et adposita admonitione: nemini licere SS. Eucharistiam apud se retinere aut secum deferre. praescribuntur in reliquis canonibus in specie praeprimis haec insequentia:

Ecclesiae in quibus SS. Eucharistia asservatur, praesertim paroeciales, quotidie per aliquot saltem horas fidelibus pateant;

Revocato quolibet contrario privilegio in ipsa religiosa vel pia domo SS. Eucharistia custodiri nequit, nisi vel in ecclesia vel in principali oratorio; nec apud moniales intra chorum vel septa monasterii;

SS. Eucharistia continuo seu habitualiter custodiri nequit, nisi in uno tantum ejusdem ecclesiae altari, et quidem regulariter in altari majore[1], servato praescripto legum liturgicarum quod ad ultimos dies hebdomadae majoris attinet;

Altare, in quo SS. Eucharistia asservatur sit prae omnibus aliis ornatum, ita ut suo ipso apparatu magis moveat fidelium pietatem ac devotionem.

SS. Eucharistia servari debet in tabernaculo inamovibili in media partis altaris posito; tabernaculum autem sit affabre (kunstreich) exstructum undequaque solide clausum, decenter ornatum ad normam legum liturgicarum, ab omni alia re vacuum, ac tam sedulo custoditum, ut periculum cujusvis sacrilegae profanationis arceatur.

Gravi aliqua suadente causa ab Ordinario loci probata, non est vetitum SS. Eucharistiam nocturno tempore extra altare, super corporali tamen, in loco tutiore et decenti asservari.

In memoriam revocatis praescriptis: α) ut lampas diu noctuque luceat coram Sanctissimo asservato; β) ut hostiae communioni fidelium vel expositioni Sanctissimi inservientes recentes sint et frequenter renovatae: γ) in pyxide munda, bene clausa et cooperta albo velo serico et, quantum res fert, ornato, admonentur qui in religiosam fidelium institutionem incum-

[1] Quoad ecclesias autem, in quibus ad altare majus chorales functiones persolvendae sunt, dicit can. 1268 § 3 opportunum esse, ut SS. Eucharistia in alio sacello seu altari custodiatur, ne ecclesiasticis officiis impedimentum afferatur.

bunt; nihil omittere, ut pietatem erga sanctissimam Eucharistiam in eorum animis excitent eosque praesertim hortentur ut, non modo diebus dominicis et festis de praecepto, sed etiam diebus ferialibus intra hebdomadam, frequenter quantum fieri potest, Missae sacrificio assistant et sanctissimum Sacramentum visitent; curare porro, ut supplicatio Quadraginta Horarum statutis de consensu Ordinarii loci diebus, majore qua fieri potest solemnitate quotannis habeatur vel vero, si haec supplicatio nequeat fieri, ut saltem per aliquot continuas horas, statis diebus, SS. Sacramentum solemniore ritu exponatur.

Can. 1274 antecedens agit de expositione SS. Eucharistiae expositione, quae fieri potest *privata* cum pyxide ex qualibet causa sine Ordinarii licentia vel vero *publica* cum ostensorio α) die festo corporis Christi et infra Octavam inter Missarum sollemnia et ad Vesperas, β) aliis vero temporibus nonnisi ex justa et gravi causa praesertim publica et de Ordinarii loci licentia.

Nr. 282. **Quaeritur**: Utrum corpus Christi in Eucharistia habeat suam quantitatem?

1. Habet quantitatem internam: nam quantitas interna est accidens, quod distinguit partes a partibus in ordine ad se, cum proxima aptitudine ad extensionem externam et impenetrationem; atque corpus Christi in Eucharistia, cum sit materialiter divisibile in caput, manus, pedes etc. et per hoc a substantiis pure spiritualibus differat, habet partes extra partes in ordine ad se cum aptitudine ad extensionem externam et impenetrationem.

2. Non habet quantitatem externam: nam quantitas externa est accidens sensu perceptibile, quod extendit substantiam in ordine ad locum, ita ut una pars respondeat uni parti loci, altera alteri, cum actuali impenetratione et resistentia; atqui corpus Christi in Eucharistia nullum locum occupat per partes, nec est actu extensum, divisibile, et impenetrabile, neque ullo sensu percipi potest.

Ex dictis **consequitur**: α) Licet Christus in Eucharistia possit elicere actiones spirituales, ut sunt volitio, intellectio, non potest tamen elicere actiones a sensibus

dependentes, ut sunt visio, auditio, quia, cum ejus sensus non habeant suam extensionem externam, nullas possunt species ab objectis recipere; atqui sensus externi non agunt nisi per species ab objectis receptas; ergo.

β) Christus in Eucharistia non potest pati alterationem ab agentibus naturalibus, v. gr. calefieri, frigefieri etc., quia alteratio requirit contactum quantitativum, cujus non est capax corpus quantitate externa privatum. Propter eandem rationem non potest moveri per se, sed tantum per accidens: ad motum scilicet specierum, ut patet, cum ex Conc. Trident. deferatur ad infirmos.

Nr. 283. **Quaeritur** porro: „Utrum accidentia post consecrationem remanentia habeant aliquod subjectum?"

Accidentium subjectum duplex est: mediatum, quod est substantia, cui inhaeret tota collectio accidentium; immediatum, quod est quantitas, cui insunt alia accidentia. — His praemissis dicimus:

1. Non habent subjectum mediatum, quia tota substantia panis et vini conversa est in Corpus et Sanguinem Christi, uti definivit conc. Trident. sess. 13, can. 2. Propterea a conc. Constantiensi damnata fuit Wicleffi propositio: „Accidentia panis non manent sine subjecto."

2. Habent subjectum immediatum, quia sicut accidentia panis et vini, puta color, frigus etc. subjectabantur immediate in quantitate ante consecrationem, et mediante quantitate in ipsa panis substantia, ita et post consecrationem, sublata substantia, subjectantur in quantitate.

Eucharistia sub ratione Sacramenti.

Nr. 284. **SS. Eucharistia est verum et proprium novae legis sacramentum.**

Est *de fide* ex conciliis Later. IV., Florent. et Trident. sess. 13 per totam ac sess. 7, can. 1, ubi Eucharistia inter septem sacramenta novae legis enumeratur.

Probatur vero exinde, quod Eucharistiae conveniant omnia sacramenti constitutiva elementa, naempe:

1° institutio Christi et mandatum divinum utendi hoc permanente medio salutis, ex Luc. 22, 19: *Hoc facite in meam commemorationem;*

2° gratia sanctificans, quae colligitur ex Joan. 6, 59: *Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum,* et quia Eucharistia ipsum auctorem gratiae continet et animam illi incorporat;

3° signum sensibile, quod species panis et vini constituunt, quae, quatenus corpus Christi significant et continent gratiam producunt.

Nr. 285. Eucharistia **definitur**: „Est Sacramentum corporis et sanguinis Domini sub speciebus panis et vini consecratis, ad spiritualem animarum refectionem."

Considerari potest hoc sacramentum in *fieri*, in *esse* et in *usu*, seu ratione consecrationis, praesentiae permanentis et communionis. Jam vero **essentia Eucharistiae** sacramenti non consistit in *consecratione*, quia hac producitur quidem signum sensibile efficax gratiae, sed tale ipsa non est, et insuper ipsa est transiens, sacramentum vero aliquid permanens. Neque consistit in *usu*, ut ex demonstratis[1] constat. **Consistit** igitur in speciebus simul cum corpore et sanguine Christi.

Notandum autem cum Bellarmino, etsi tam species panis et vini quam corpus et sanguis Domini ad essentiam Sacramenti pertinent, rationem tamen Sacramenti magis convenire speciebus, ut continent Corpus Christi, quam corpori Christi, ut sub speciebus contento. Atque hoc discrimine differt Sacramentum Eucharistiae a Sacrificio, in cujus ratione contrarium invenitur.

Nr. 286. **Materia** *remota* pro consecrando Corpore est panis triticeus, et vinum de vite pro consecrando Sanguine, uti Florentinum in decreto pro Armenis expresse ait: „Tertium est Eucharistiae Sacramentum, cujus materia est panis triticeus et vinum de vite", qua de re etiam Codex j. c. loquitur in can. 815, qui sonat § 1: Panis debet esse mere triticeus et recenter

[1] Cf pag 363, Nr 279. [2] Ut etiam hostiarum consecratarum corruptioni occuratur statuit Codicis can 1272 „Hostiae consecratae, sive propter fidelium communionem sive propter expositionem sanctissimi Sacramenti, et recentes sint et frequenter renoventur, veteribus rite consumptis."

confectus, ita ut nullum sit periculum corruptionis; § 2: Vinum debet esse naturale de genimine vitis et non corruptum.

1. Est **panis triticeus** et non alius; nam panis, quo Christus usus est, dum Eucharistiam instituit, vocatur panis simpliciter et sine addito, in quo casu semper triticeus intelligendus est; alii vero panes dicuntur panes *secundum quid* et cum addito, v. gr. panis *hordeaceus*, panis *ex fabis* etc. Insuper Judaei in festo paschali non alio pane utebantur, quam triticeo.

At panis triticeus duplici modo confici solet; vel enim in ejus confectione fermentum miscetur et dicitur fermentatus, vel sine fermento paratur ex farina triticea aqua naturali subacta et igne cocta et vocatur azymus.

Ad Sacramenti substantiam aeque valet panis fermentatus et azymus, quia uterque est verus panis simpliciter dictus, nec differunt inter se, nisi accidentaliter. *Ut autem consecratio sit licita, quilibet sacerdos tenetur sequi leges Ecclesiae*, quae in Concilio Florent. definit, ut latini sacerdotes azymum, graeci vero fermentatum consecrent „juxta suae Ecclesiae occidentalis sive orientalis consuetudinem."

Azymi usus convenientior videtur; nam α) melius significat corpus Christi, quod sine corruptione conceptum est; β) melius quoque significat integritatem et mentis munditiem, quam fideles ad hoc Sacramentum afferre debent, juxta illud Apostoli 1 Cor. 5, 7: *Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi.* γ) Etiam Christus consecravit in azymo, celebrans enim sacram Coenam, ut tres priores Evangelistae testantur, in primis vesperis Paschatis, qui erat primus dies azymorum, secundum Exod. 12, 15: *Septem diebus azyma comedetis; in die primo non erit fermentum in domibus vestris* etc.

Quod si Graeci negant putantque Christum pascha celebrasse uno die ante Judaeos, haec eorum opinio nititur dumtaxat in falsa interpretatione textus Joan 18. 28, ubi non de agno, sed de reliquis oblationibus paschalibus sermo est. Neque obstat idem Joannes, cap. 13 enarrans Christum ultimam coenam instituisse *ante diem festum Paschae;* loquitur enim de die naturali Paschae, quae incipiebat ab ortu solis ad occasum.

et eo anno incidebat in diem Veneris. sed non cum caeteris Evangelistis loquitur de die caeremoniali. quae inceperat die Jovis ad vesperam. Secundum computum priorem dies, quo Christus instituit hoc Sacramentum, scil. 14tus mensis Nisan. erat ante diem Paschatis seu azymorum; secundum computum Judaeorum vero jam inceperat dies primus festorum paschalium.[1]

2. Est **vinum de vite;** nam secundum Matth. 26. 29 Christus dixit: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis.* Hinc invalida est consecratio tentata in omphacio. aceto etc. Nec uva, ex qua nondum expressum est vinum, quia non est potabilis sed tantum manducabilis. Valet tamen consecratio in musto et vino acescente. quia retinent naturam vini; est tamen illicita ob faeces injunctas et alterationem.

Ex praecepto ecclesiastico, non tamen de necessitate sacramenti *vino aliquantulum aquae admiscendum est.* Conc. Tridentinum. quod in sess. 22. cap. 7 hoc praeceptum exhibet, enumerat ibi simul praecepti rationes: α) quia ex more Judaeorum[2] Christus ipse hoc fecisse creditur: β) quia e latere Jesu crucifixi aqua simul cum sanguine exierit, quod sacramentum hac mixtione recolitur; et γ) cum aquae in Apocalypsi populi dicantur. ipsius populi fidelis cum capite Christo unio repraesentatur.

Admixtio aquae autem non est de necessitate Sacramenti: nam α) hoc omnes theologi concedunt: β) non sufficiens fundamentum reperitur hanc necessitatem asserendi; γ) eam non adesse supponunt rubricae missalis. quae statuunt. si ex oblivione non fuerit aqua apposita. non debere post consecrationem apponi; δ) Armenis aquam vino non admiscentibus Eugenius IV. non rei necessitatem, sed universae Ecclesiae observantiam. a qua discrepabant, proposuit.

Quaeritur: *An aqua pariter convertitur in sanguinem,* an manet post consecrationem: et si convertitur. an tunc immediate. an vero mediate fit. prius scil. in vinum dein ex vino in sanguinem Christi?

Sententia communis est aquam converti in sanguinem et quidem immediate: nam α) Tridentinum

[1] Cf. Catech. Rom. c. 4, q. 1°. [2] Cf. Prov. 9, 2 sqq

sess. 13. can. 2. verbis „manentibus duntaxat speciebus panis et vini" transsubstantiationem exponens aquam non commemorat: β) per formam demonstratur totum hoc, quod adest in calice, sicque vinum cum aqua est Sanguis; γ) chemici recentiores negant transmutationem elementorum naturalem: ergo aqua non in vinum prius, sed immediate in Sanguinem convertitur.

Nr. 287. **Materia** *proxima* sunt species, quatenus continent corpus et sanguinem Domini.

Materia proxima enim est illud signum sacramentale, quod simul cum forma gratiam continet et producit. Atqui hoc signum non consistit in pane et vino, quia haec post consecrationem cessant: nec in solo corpore Christi, quod per se non est sensibile; nec in solis speciebus, quia per se non producunt gratiam. Ergo in speciebus, quatenus continent corpus Christi, quia sic sensibiles sunt et gratiam producunt. Hoc innuit etiam Tridentinum sess. 13, can. 3: „Commune hoc quidem est sanctissimae Eucharistiae cum ceteris sacramentis, symbolum esse rei sacrae et invisibilis gratiae formam visibilem."

Adnotandum est, quod consecratio tantum utriusque speciei fieri potest, non alterius, et quidem ex praecepto divino consecrandi utramque materiam: *Hoc facite in meam commemorationem.* Christus enim Eucharistiam non instituit, ut sit sacramentum tantum, sed ut sit simul sacrificium, ad quod autem utraque requiritur species, cum secus non esset repraesentatio realis mortis Christi. Exinde sunt theologi, qui dicunt: si sacerdos haberet intentionem unam tantum speciem consecrandi, non valeret consecratio, quia deest intentio faciendi, quod Christus fecit; licet jam alii dicant: etsi nun vult facere totum illud, quod Christus fecit, tamen vult ex parte; ergo valet, nihilominus nunquam est licita consecratio unius tantum speciei.

Nr. 288. **Forma Eucharistiae** sunt verba Christi: Hoc est corpus meum — hic est sanguis meus.

Est sententia *certa*, imo *fidei proxima* ex decreto Eugenii IV. pro Armenis, et statuitur contra Graecos schismaticos affirmantes transsubstantiationem effici non tam verbis illis quam invocatione Spiritus sancti, quae invocatio ἐπίκλησις dicitur et in Liturgia s. Chry-

sostomi verba illa subsequitur sicque sonat: „Emitte Spiritum s. tuum super nos et super proposita haec dona et fac panem istum quidem pretiosum corpus Christi tui et, quod est in calice isto, pretiosum sanguinem Christi tui, immutans Spiritu sancto tuo."

Formam Eucharistiae esse illa supra allata verba, **probatur:**

1° ex lege Christi, qui iisdem verbis usus est simulque Apostolos idem facere jussit.

2° ex fide SS. Patrum, quorum unanimem sententiam s. Chrysostomus eloquitur[1] dicens: Sicut enim verba, quae Deus loquutus est, eadem sunt, quae nunc sacerdos dicit, sic oblatio eadem est; vel Tertullianus:[2] Acceptum panem et distributum discipulis corpus illud suum fecit „Hoc est corpus meum" dicendo.

3° ex ipsa Ecclesia graeca, in qua statim ac verba „hoc est corpus meum" prolata sunt, cultus latriae exhibetur: juxta liturgiam s. Chrysostomi enim diaconus statim post praedicta verba accedit ad sacerdotem, et ambo ter adorant, populus vero respondet: Amen! — Insuper in concilio Florentino Graeci expresse declararunt, transsubstantiationem epiclesi non fieri, quae ergo ad formam Eucharistiae haud pertinet nihilque aliud vult, quam α) declarare distinctius id, quod per verba institutionis jam factum est; β) rogare, ut id, quod in se jam factum est, fiat nobis invocantibus ad salutem. Colligitur hoc jam ex eo, quod, uti quoque Arcudius lib. 3. cap. 33 refert, Latini s. Chrysostomi verba male omnino reddiderunt, quae juxta textum graecum sic reddi debent: „Fac ut panis, quem Spiritu sancto transmutasti in pretiosum Corpus Christi tui, fiat suscipientibus in salutem." Epiclesi Graecorum in liturgia romana respondere videtur oratio: „Supplices te rogamus."

Verba consecrationis a sacerdote proferuntur historice simul et assertive; et quidem *assertive*, quia ea profert ex intentione loquendi in persona Christi et ita efficiendi transsubstantiationem, significandique corporis et sanguinis Domini praesentiam sub specie-

[1] Hom. 3 in 2 Tim. c. 1. [2] Contr. Marc. L. 4, c. 4.

bus panis et vini; *historice* vero, quia proferuntur ab eo ex intentione narrandi, quod Christus fecit in ultima coena.

Quum praefata verba perfecte significent ac efficiant transsubstantiationem panis in corpus et vini in sanguinem Christi, sunt illa omnia ac simul sola, quae essentialem Eucharistiae formam constituunt; reliqua vero verba, sicut particula „enim", vel „qui pridie quam pateretur etc." vel etiam verba „Accipite, manducate, et bibite . . , novi et aeterni Testamenti", non sunt de essentia formae, quia partim non sunt verba Christi, partim autem non significant transsubstantiationem. Propterea Rubricae praecipiunt, ut, si quid omissum fuerit, nil repetatur praeter verba consecrationis, prout in Missali praescribuntur.

Nr. 289. **Minister** duplex distinguitur: alius conficiendae, alius dispensandae Eucharistiae.

Minister Eucharistae *conficiendae* idem est ac minister sacrificii, de quo infra agetur; minister Eucharistiae *dispensandae* ordinarius jure divino est solus Sacerdos, extraordinarius vero diaconus, videlicet cum licentia episcopi aut presbyteri in casu necessitatis.

1. Solum sacerdotem esse ministrum ordinarium Eucharistiae distribuendae constat α) ex Trident. sess. 13, cap. 8 definiente: Semper in Ecclesia mos fuit, ut laici a sacerdotibus communionem acciperent, sacerdotes autem celebrantes se ipsos communicarent: qui mos, tamquam ex traditione apostolica descendens, jure ac merito retineri debet; β) ex ratione theologica, quia dispensatio ordinarie ad eum pertinet, qui habet potestatem confectionis.

2. Diaconum vero esse ministrum extraordinarium constat ex antiquissima traditione, concilio Carthag. 4to et Constitutionibus Apostolicis hanc facultatem diaconis concedentibus.

Usus primaevae Ecclesiae, dispensandi Eucharistiam in casu necessitatis etiam per clericos inferiores quin et per laicos, a pluribus saeculis, cessantibus ejus causis, cessavit in Ecclesia. A qua tamen disciplina dispensatum fuit, saeculo 16to cum Maria, Scotorum regina, quae in carcere detenta mortique vicina

Eucharistiam, quam apud se habebat, sibi ministrasse dicitur.

Nr. 290. Circa **subjectum Eucharistiae** tenenda sunt sequentia:

1. Omnes fideles hoc sacramentum suscipere possunt estque exoptandum ut frequenter, etiam quotidie, suscipiant.[1]

2. Imo omnes adulti aliquando illud suscipere debent ex praecepto ecclesiastico et divino.

3. Non tamen ejus susceptio necessaria est necessitate medii;

4. Neque necessaria est laicis sumptio Eucharistiae sub utraque specie.

Nr. 291. **Omnes fideles hoc sacramentum suscipere possunt.**

Patet ex Christi manifesto ad omnes spectantibus verbis: *Qui manducat meam carnem* etc.: *nisi manducaveritis carnem filii hominis* etc.

Eapropter olim Eucharistia etiam infantibus dabatur, qui mos in Ecclesia Graeca adhuc dum viget, in Ecclesia Latina autem inde a saeculo 12mo paulatim desiit, quae abrogatio dein fuit approbata a conc. Tridentino sess. 21. can. 4. declarante: „Si quis dixerit, parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiae communionem: anath. sit."

Causae immutatae disciplinae in Occidente sequentes esse videntur: α) Cum usus calicis in Occidente abrogatus esset, abrogatus est quoque usus dandi Eucharistiam infantibus, quibus nonnisi sub vini specie exhiberi consueverat; β) non raro quidpiam eveniebat irreverantiae, dum e. gr. sacrae species exspuebantur ab infantibus, γ) neque susceptio congruit indoli infantis, quippe qui hunc cibum a communi discernere et seipsum probare non valet.

[1] Cont. Cod. can. 853: „Quilibet baptizatus, qui jure non prohibetur, admitti potest et debet ad sacram communionem." et can. 863: „Vertentur fideles ut frequenter, etiam quotidie, pane Eucharistico reficiantur ad normas in decretis Apostolicae Sedis traditas, ut ut Missae adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam sanctissimae Eucharistiae perceptione, rite dispositi, communicent.

Hodierna praxis Ecclesiae ex iisdem aut similibus causis omnibus quoque *adultis* Eucharistiam denegat, quorum eadem est ac infantium conditio, cujusmodi sunt perpetuo amentes atque sensuum omnium usu destituti; qui *debilem* tantum usum rationis habent, a sacra synaxi prorsus arcendi quidem non sunt, sed etiam haud crebro admittendi: tum solummodo, quando urget praeceptum, proinde in Paschate et in articulo mortis; vel quando gravior suadet ratio, v. gr. tempus Jubilaei.

Nr. 292. **De aetate admittendorum ad primam Communionem** nostris diebus a Papa nostro Pio X. statuebantur principia observanda, quorum tria priora praesertim, ut hicce verbotenus allegentur, necessaria habemus, quae jam sonant:[1]

1° Aetas discretionis tum ad Confessionem tum ad S. Communionem ea est, in qua puer incipit ratiocinari, hoc est circa septimum annum, sive supra, sive etiam infra. Ex hoc tempore incipit obligatio satisfaciendi utrique praecepto Confessionis et Communionis. — 2° Ad primam Confessionem et ad primam Communionem necessaria non est plena et perfecta doctrinae christianae cognitio. Puer tamen postea debebit integrum catechismum pro modo suae intelligentiae gradatim addiscere. — 3° Cognitio religionis quae in puero requiritur, ut ipse ad primam Communionem convenienter se praeparet, ea est, qua ipse fidei mysteria necessaria necessitate medii pro suo captu percipiat, atque eucharisticum panem a communi et corporali distinguat ut ea devotione, quam ipsius fert aetas, ad SS. Eucharistiam accedat.

Haec Decreti verba sunt veluti commentarium antecedens canonis 851 in novo Codice j. c. contenti, qui statuit:

[1] Cf. Decretum „Quam singulari" dto 8. August. 1910, cujus § 5 insuper statuit, „ut semel aut pluries in anno curent parochi indicere atque habere Communionem generalem puerorum, ad eamque, non modo novensiles admittere, sed etiam alios, qui parentum confessariive consensu iam antea primitus de altari sancta libarunt. Pro utrisque dies aliquot instructionis et praeparationis praemittantur."

§ 1. Pueris, qui propter aetatis imbecillitatem nondum hujus sacramenti cognitionem et gustum habent, Eucharistia ne ministretur.

§ 2. In periculo mortis, ut sanctissima Eucharistia pueris ministrari possit ac debeat, satis est ut sciant Corpus Christi a communi cibo discernere illudque reverenter adorare.

§ 3. Extra mortis periculum plenior cognitio doctrinae christianae et accuratior praeparatio merito exigitur, ea scilicet, qua ipsi fidei saltem mysteria necessaria necessitate medii ad salutem pro suo captu percipiant, et devote pro suae aetatis modulo ad sanctissimam Eucharistiam accedant.

§ 4. De sufficienti puerorum dispositione ad primam communionem judicium esto sacerdoti a confessionibus eorumque parentibus aut iis qui loco parentum sunt.

§ 5. Parocho autem est officium invigilandi, etiam per examen, si opportunum prudenter judicaverit, ne pueri ad sacram Synaxim accedant ante adeptum usum rationis vel sine sufficienti dispositione; itemque curandi ut usum rationis assecuti et sufficienter dispositi quamprimum hoc divino cibo reficiantur.

Nr. 293. **Ut autem quis Eucharistiam digne suscipiat, in statu gratiae constitutus esse debet,** ideoque innocentiam baptismalem vel conservasse, vel sincera poenitentia reparasse.

Constat ex Trident., quod sess. 13. cap. 7. praecipit: Ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque praemissa sacramentali Confessione ad s. Eucharistiam accedere debeat.

Probatur:

1° ex verbis Apostoli 1 Cor. 11, 28: *Probet seipsum homo et sic de pane illo edat et de calice bibat*, nec non ex Christi parabola de veste nuptiali.

2° ex praxi Ecclesiae, qua poenitentes nondum absoluti sicut Catechumeni ab ipso Eucharistiae aspectu arcebantur, eo magis a sumptione.

3° ex natura rei: Sacramentum est cibus spiritualis; in ordine naturali cibus non datur mortuis: cum autem Sacramenta naturam actus sequantur. Eu

charistia vitam spiritualem exigit ac praesupponit, quam ut adipiscatur ex lege divina homo contritionem perfectam elicere, ex lege ecclesiastica vero confiteri debet.

Nr. 294. Praeter statum gratiae aliae adhuc requiruntur **dispositiones** tum quoad animam tum quoad corpus, et quidem:

α) quoad animam *devotus animus* Christo Domino adferendus praesertim per singularem reverentiam erga mysterium Eucharistiae, nec non *immunitas ab effectu peccati venialis*, quae si deesset, obicem poneret uni ex effectibus hujus Sacramenti;

β) quoad corpus vero jejunium naturale et mundities moralis aeque ac exterior, qua accedens sacrae mensae liber sit ab omni (per pollutionem voluntariam causata) sorde venerea, et decentiam modestiamque prae se ferat.

A jejunio naturali excipitur: 1. cum Eucharistia datur in viaticum; 2. cum periculum est, ne hostia male tractetur ab haereticis; 3. cum sacerdos, inchoata missa recordatur se non esse jejunum nec potest sine scandalo recedere; 4. cum Sacerdos celebrans post consecrationem impotens evadit ulterius prosequendi, tunc Sacerdos non jejunus, jejuno deficiente, sacrificium absolvere tenetur; 5. cum Sacerdos advertit in Calice, quem hausit, solam aquam appositam fuisse, curare debet vinum infundi, illud consecrare et haurire, quia tenetur sacrificium perficere; 6. cum post ablutionem apprehendit celebrans aliquas particulas, quae commode asservari non possunt, nam sumuntur per modum unius refectionis.

Protestantium sententia: solam fidem in accedente ad mensam sacram sufficere, ut falsa damnata fuit a Trident. sess. 13, can. 11: „Si quis dixerit, solam fidem esse sufficientem praeparationem ad sumendum Eucharistiae Sacramentum, anath. sit."

Nr. 295. **Omnes adulti Eucharistiam aliquando suscipere tenentur**

α) ex praecepto divino: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis;*

β) ex praecepto ecclesiastico, quod in Lateran. IV. cap. 21. continetur, innovatum fuit a Trident. sess. 13. can. 9. ac sonat: „Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia peccata sua saltem semel in anno fideliter confiteatur . . . suscipiens reverenter ad minus in Pascha[1] Eucharistiae sacramentum, nisi forte de proprii sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab ejusmodi perceptione duxerit abstinendum. Alioquin et vivens ab ingressu Ecclesiae arceatur et moriens christiana careat sepultura."

Hoc dictum praeceptum iterum ad verbum innovatum praebet Codicis novi can. 859 in § 1mo.

Sunt autem hac in re in Codice nostro superaddita quaedam alia adhuc praecepta bene observanda, praeprimis

can. 860: Obligatio praecepti communionis (pasch.) sumendae, quae impuberes gravat, in eos quoque ac praecipue recidit, qui ipsorum curam habere debent idest in parentes, tutores, confessarium, institutores et parochum.

can. 861: Praecepto communionis recipiendae non satisfit per sacrilegam communionem.

can. 862: Expedit ut feria V. majoris hebdomadae omnes clerici, etiam sacerdotes qui ea die a Sacro litando abstinent, sanctissimo Christi Corpore in Missa sollemni seu conventuali reficiantur.

can. 864, § 1: In periculo mortis, quavis ex causa procedat, fideles sacrae communionis recipiendae praecepto tenentur.

§ 2: Etiamsi eadem die sacra communione fuerint refecti, valde tamen suadendum, ut in vitae discrimen adducti denuo communicent.

can. 867, § 1: Omnibus diebus licet sanctiss. Eucharistiam distribuere.

---

[1] Can. 859 in suo § 2do statuit quidem: „Paschalis communio tat a Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis", permittit autem simul locorum Ordinariis hoc tempus anticipare vel etiam prorogare, pro solito vero non ante Dominicam 4tam Quadragesimae et non ultra festum ss. Trinitatis.

§ 2: Feria tamen VI. majoris hebdomadae solum licet sacrum Viaticum ad infirmos deferre.

§ 3: In Sabbato Sancto sacra communio nequit fidelibus ministrari nisi inter Missarum sollemnia vel continuo ac statim ab iis expletis.

Nr. 296. **Eucharistia nec parvulis nec adultis est necessaria necessitate medii.**

Quoad parvulos est dogma definitum a Trident. illo supra laudato canone, dum concilium in cap. 4o ejusdem sessionis 21mae hanc praecipuam affert rationem „si quidem per baptismi lavacrum regenerati et Christo incorporati adeptam jam filiorum Dei gratiam in illa aetate amittere non possunt", adeoque, si moriuntur, vitam consequuntur aeternam.

Quoad adultos vero theologi thesim nostram probant ex eo, quod ad salutem obtinendam sufficit status gratiae, qui ab Eucharistia supponitur, non primum producitur. Confirmatur praxi, qua antiquitas passim etiam in articulo mortis lapsis in graviora peccata, item phreneticis, infirmis ad vomitum proclivibus communionem denegavit.

Ceterum negari non debet, ss. Eucharistiae perceptionem adultis, ut diu in gratia perseverent, moraliter esse necessariam.

Nr. 297. Propterea mirum haud erit, quod nostris diebus a Papa nostro Pio X. **quotidiana ss. Eucharistiae sumptio** commendaretur decreto suo dato Romae die 20. Decembr. 1905, quod jam incipit hisce verbis: „Sacra Tridentina Synodus, perspectas habens ineffabiles quae Christifidelibus obveniunt gratiarum divitias, sanctissimam Eucharistiam sumentibus[1] ait: Optaret quidem sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiae perceptione communicarent. Quae verba satis aperte produnt Ecclesiae desiderium, ut omnes Christifideles illo coelesti convivio quotidie reficiantur, et pleniores ex eo sanctificationis hauriant effectus."

Sacra igitur Concilii Congregatio in plenariis Comitiis (diei 16 mensis Decembr. 1905) hanc rem

[1] Sess. 22, cap. 6.

ad examen accuratissimum revocavit et rationibus hinc inde adductis sedula maturitate perpensis statuit et declaravit: Communio frequens et quotidiana, utpote a Christo Domino et a Catholica Ecclesia optatissima, omnibus Christifidelibus cuiusvis ordinis aut conditionis pateat; ita ut nemo, qui in statu gratiae sit et cum recta piaque mente ad S. Mensam accedat, prohiberi ab ea possit . . . cumque perspicuum sit ex frequenti seu quotidiana S. Eucharistiae sumptione unionem cum Christo augeri, spiritualem vitam uberius ali, animam virtutibus effusius instrui, et aeternae felicitatis pignus vel firmius sumenti donari, ideirco Parochi, Confessarii et concionatores juxta probatam Catechismi Romani doctrinam,[1] christianum populum ad hunc tam pium ac tam salutarem usum crebris admonitionibus multoque studio cohortentur.

Nr. 298. **Necessaria non est laicis communio sub utraque specie.**

Est contra Calixtinos ex secta Hussitarum, Protestantes et Calvinistas *de fide* ex Trident. sess. 21, can. 1: „Si quis dixerit, ex Dei praecepto vel necessitate salutis, omnes et singulos Christi fideles utramque speciem ss. Eucharistiae sacramenti sumere debere, anath. sit."

Probatur:

1° Si communio sub utraque specie esset necessaria, ideo esset, vel quia id postulat sacramenti natura vel Christi praeceptum. Atqui neutrum locum habet: Non primum, quia cum Christus totus sub quavis specie praesens sit, sub alterutra specie adest signum sensibile cum integro Christo, adest consequenter idem effectus, adest significatio refectionis spiritualis animae, quae in una specie panis sufficienter indicatur, non alterum, nam: qui dixit, argumentatur Trident. sess. 21, c. 1: „Nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis ejus sanguinem etc." dixit quoque: „Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum."

2° Antiqua Ecclesia, quae quamvis soleret usque ad saeculum 12um communionem sub utraque specie

[1] Part. II, c. 63.

administrare, haud raro tamen illam etiam sub una distribuit, quod prorsus non fecisset, si praeceptum exstaret divinum sumendi sub utraque specie. — Cernitur autem haec praxis in *communione domestica* sub panis specie sola sumpta; in *communione infantium* nec non *infirmorum*, quibus una tantum species, his panis eucharisticus, illis vero statim post baptismum sanguis Domini e calice dari solebat; denique in *missis praesanctificatorum*, quarum usus frequentior est in Ecclesia graeca.

Rationes, ob quas Ecclesia inducta fuit, ut usum calicis paulatim interdiceret, juxta Catechismum Rom. sequentes recensentur: periculum effusionis, periculum corruptionis hujus speciei, quae cito acescit, nausea abstemiorum, aversatio vasis pluribus communis, vini caritas et penuria multis in locis, maxime vero utilitas fidelium, quibus hoc modo magis ob oculos ponitur veritas, Christum totum sub una specie praesentem esse.

Nr. 299. **Effectus Eucharistiae** sunt uberrimi; nam si cetera sacramenta todidem rivuli sunt gratiarum in Ecclesia jugiter manantes, Eucharistia fons omnium gratiarum merito dicitur.

Illos effectus autem post S. Thomam conc. Florentinum deducit ex principio illo, quod Eucharistia, cum ad modum *cibi* et potus sit instituta, id in anima efficit, quod cibus materialis in corpore; sacramenta enim id praestant, quod significant.

Cibus materialis jam vero, licet corpori vitam non det, ipsi tamen vitam conservat et perficit, vires per laborem et calorem naturalem deperditas reparat: delectat, et cum voluptate a recte valentibus percipitur: ergo Eucharistia quoque eosdem producit effectus, conferens scil. gratiam nutrientem, qua vita spiritualis in nobis auctâ gratiâ sustentatur et augetur, nec non charitate inflammata a peccatis venialibus liberamur et a mortalibus praeservamur, simulque intime cum Deo conjungimur et ad futuram gloriosam resurrectionem praeparamur.

Huc spectant Christi promissiones Joan. 6: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me*

manet et ego in illo . . . habet vitam aeternam et ego resuscitabo eum in novissimo die, et Tridentini sess. 13. can. 2dus, ubi Eucharistia vocatur *antidotum*, quo liberamur a culpis quotidianis et a peccatis mortalibus praeservamur, quatenus scil. excitat devotionem et charitatis fervorem, quibus actibus homo ipse suas culpas delet, aut etiam, quia lomitem minuit vel nos diabolo formidandos efficit.

Nr. 300. Cum propterea juxta systema catholicum, in suscipiente Eucharistiam jam supponatur status gratiae, minime esse potest **nec unicus, nec primarius effectus remissio peccatorum.**

Est contra Lutherum et Calvinum, *de fide* ex conc. Trident. sess. 13. can. 5: „Si quis dixerit, vel praecipuum fructum SS. Eucharistiae esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios fructus provenire, anath. sit."

Probatur autem:

α) ex institutione Eucharistiae per modum cibi, quem sumere nequit, nisi qui vivit;

β) ex probatione, quam Apostolus ad dignam sumptionem exigit;

γ) ex minis contra indigne sumentes;

δ) ex Patrum doctrina, qui conscientiae puritatem requisitam figuratam agnoscunt in pedum lotione ultimae Christi coenae et in parabola de veste nuptiali.

ε) ex Ecclesiae antiquae praxi: diaconus enim initio missae clamabat: „Exite catechumeni, poenitentes et indigni!"

Nihilominus vero potest Eucharistia etiam *justitiam primam* conferre adeoque peccatum mortale remittere, sed *per accidens* solummodo, si nempe, uti s. Thomas[1] habet, percipitur ab eo, qui est in peccato mortali, cujus conscientiam et affectum non habet: forte enim primo non fuit sufficienter contritus, sed devote et reverenter accedens consequitur per hoc Sacramentum gratiam charitatis quae contritionem perficiet et remissionem peccati.

[1] q. 78, *art.* 3

Eucharistia ratione Sacrificii.

Nr. 301. **Sacrificium,** quod pro suo etymo idem est ac sacrum factum, sensu latiore et strictiore sumi potest.

Sensu latiore et improprio sacrificium dicitur *quivis actus* honestus, sive internus sive externus *Dei causa susceptus.*

Sensu vero strictiore ac proprio sacrificium est oblatio rei visibilis, a ministro legitimo facta Deo, per destructionem aut aliam rei immutationem, ad testandum supremum Dei in nos dominium nostrique subjectionem.

Destructio illa realis potest esse: α) physica, si fit modo physico, e. gr. animal cultro occiditur vel comburitur igne; β) moralis, si fit morali modo, quae ex communi aestimatione aequivalet destructionem physicam, si naempe res ita immutatur, ut amplius non sit apta ad consuetos usus naturales, e. gr. si vinum in terram effunditur.

Sacrificium **distinguitur** ratione *diversi status mundi* in Sacrificium Legis naturae, Legis mosaicae et Legis evangelicae: 1. Sacrificia legis naturae videntur quoad rem et formam ab hominibus fuisse determinata, licet nonnulla ab ipso Deo praescribi potuerint; 2. sacrificia mosaica a Deo fuerunt immediate instituta, a Moyse autem promulgata: 3. sacrificium legis novae unicum tantum est, a Christo institutum, ut mox demonstrabimus, cujus figurae fuerunt varia illa veteris Legis sacrificia.

302. Haec mosaica sacrificia ratione materiae, formae et finis discernuntur.

Ratione *materiae:* α) in victimas, quae erant ex animantibus; β) immolationes, quae erant ex rebus inanimatis, sed solidis, v. gr. farina, pane etc. et γ) libamina, quae erant ex rebus liquidis, v. gr. vino, oleo etc.

Ratione *formae:* α) in holocaustum, quo res oblata tota cremabatur; β) in hostiam pro peccato, cuius una pars cremabatur, altera cedebat in usum Sacerdotum, qui in atrio templi ex ea vescebantur;

γ) in hostiam pacificam, cujus una pars cremabatur, altera in usum Sacerdotum et offerentium cedebat.

Ratione *finis* denique: α) in latreuticum, quod offerebatur ad Deum latria colendum et potissimum fiebat holocausto; β) in propitiatorium sive expiatorium, quod pro peccatis et peccatorum poenis et flagellis avertendis offerebatur et idem erat, quod hostia pro peccato; γ) in eucharisticum, quod in gratiarum actionem fiebat pro beneficiis acceptis, dum δ) impetratorium pro beneficiis accipiendis offerebatur. Utrumque postremum in vetere Lege dicebatur hostia pacifica.

Nr. 303. **In lege nova,** ut dictum est, **Sacrificium est unicum:** unicum, inquam, quoad substantiam. Sacrificium scil. Christi, sive in Calvaria sive in altare immolati.

Quod si autem spectetur modus et ritus offerendi, aut etiam effectus, Sacrificium illud sub tali respectu est cruentum et incruentum, vel redemptionis et applicationis.

Sacrificium Christi in altari immolati **Missa** vocatur et **definiri** potest: est „Sacrificium novae legis, in quo Christus sub speciebus panis et vini, imagine mortis, realiter praesens, tamquam pro nobis passus ac mortuus Patri modo incruento offertur".

Hinc Trident. sess. 22, cap. 2, de hoc Missae sacrificio docet: „Una eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa."

Nr. 304. **Differentiae inter sacrificium eucharisticum et sacrificium crucis** praeter varias circumstantias loci, temporis, caeremoniarum, sequentes sunt:

1° Christus in cruce oblatus fuit mortalis et passibilis: in Eucharistia offertur immortalis et impassibilis.

2° in cruce se ipse obtulit, hic ministerio sacerdotum;

3° in cruce cruento, hic incruento modo;

4° in cruce solutum est pretium redemptionis nostrae, hic nobis applicatur;

5° sacrificium crucis semel tantum oblatum est,

sacrificium Missae usque ad cumsummationem saeculi in Ecclesia est offerendum;

6° illud est simpliciter absolutum, hoc autem et simul relativum.

Sacrificium absolutum illud dicitur, quod est tale in se ac per se, seu illud, in quo hostia Deo per veram ejus destructionem sacrificatur et immolatur, quod itaque etiam in se et per se contestatio supremi Dei dominii est, in quo vera et propria ratio sacrificii est.

Sacrificium relativum e contra illud dicitur, quod est sacrificium non per se, sed dumtaxat per relationem ad sacrificium absolutum, quatenus videlicet est sacrificii absoluti realis repraesentatio ac commemoratio, i. e. quatenus in eo Deo hostia non in se, per veram destructionem sacrificatur, sed tamquam jam immolata sub imagine seu symbolo destructionis factae offertur seu litatur, et hinc eatenus quoque, quatenus eo sacrificium absolutum, attestans supremum Dei dominium, exhibetur, nova ejusdem supremi dominii contestatio est.

Nr. 305. Vocabulum **Missa** alii ab hebraico missach = oblatio, alii a voce graeca *μυέω* = sacris initio derivare volunt; ast frustra: cum nemo scriptorum graecorum voce „Missa“ usus sit, certe nec graecae nec hebraicae est originis.

Vocabulum illud potius a verbo *mittere* derivandum est, ita ut Missa sit idem ac missio, prout remissa idem sonat ac remissio, collecta idem ac collectio, et quidem vel ideo, quia oblatio sacra ex donis a populo missis fiebat, vel quia ad Deum quasi mittitur, vel vero, quod probabilissimum est, a missione seu dimissione populi, quae duplex fiebat in Ecclesia: una post Evangelium, quando Catechumeni, infideles etc. dimittebantur et haec dicebatur „Missa Catechumenorum“: altera cum re divina peractâ omnes initiati discedebant clamante Diacono: „Ite, Missa est“! et haec „Missa fidelium“ vocabatur. Quoniam enim dimissio tunc tantum locum habet, ubi est congregratio populi, usu inductum est, ut haec ipsa congregatio et dein ipsum officium divinum, ad quod celebrandum populus convenerat, Missa diceretur, dum olim apud Veteres *λειτουργία* = functio, *λατρεία* = ministerium (divi-

num), *εὐλογία* = benedictio, *ἱερουργία* = sacra actio, *θυσία* = hostia, *συναξις* = congregatio, *μυσταγωγία* = initiatio, consecratio vel Dominicum etc. vocabatur.

Nr. 306. **In Missa offertur Deo verum et proprium sacrificium.**

Est *de fide* ex conc. Trident. sess. 22. can. 1: „Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo verum et proprium sacrificium, aut quod offerri non sit aliud, quam nobis Christum ad manducandum dari: anath. sit."

Probatur:

1° ex veteris Testamenti figuris, quibus fuit praesignatum, praesertim sacrificio Melchisedechi, nec non vaticinio celebri Malachiae 1, 10: *Non est mihi voluntas in vobis . . . et munus non accipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda*, cum vel nullum sit ejusmodi sacrificium, vel celebratio Missae sit illud a Malachia praenuntiatum sacrificium.

2° ex novi Testamenti scriptura, qua Christi agendi rationem in ultima coena observatam ita describit, ut juxta supra dicta censeri debeat ceu actio sacrificialis idque eo magis, cum intentio sacrificialis etiam expresse edicatur,[1] id vero, quod Christus fecit, Apostoli jubentur facere in Christi commemorationem. Hinc Christus in ultima coena anticipavit sacrificium cruets, Apostoli vero eorumque successores hoc semper in Missa realiter commemorant et repraesentant.

3° ex Patribus, qui α) dicunt Melchisedechum, cum offerret panem et vinum, fuisse figuram Christi sacrificantis in coena; β) interpretantur Malachiae vaticinium de Sacrificio Eucharistico; γ) adhibent voces, quae verum Sacrificium in Eucharistia situm experimunt; δ) requirunt pro Eucharistia altaria; ε) vocant Eucharistiae ministros nomine sacerdotum; ζ) testantur

[1] Huc pertinent praesertim Luc. 22, 19: corpus quod pro vobis tradetur: Matth. 26, 28: sanguis, qui pro vobis vel pro multis fundetur: Luc. 22, 20: sanguis foederis. Hebr. 13, 10: Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo inserviunt; denique illud 1 Cor. 10, 16—21, ubi epulae sacrificiales gentilium mensae **eucharisticae opponuntur.**

Missam celebrari pro vivis atque defunctis, ac pro quibusque necessitatibus celebrari, quae omnia nisi sacrificio convenire non possunt.

4° ex reliquis Traditionis argumentis, quae nobis sunt obviam α) in Liturgiis antiquissimis tum Orientis tum Occidentis, quae ritum Sacrificii Eucharistici, secundum quem in variis Ecclesiis offerebatur, exhibent; β) in altaribus et imaginibus, quae in catacumbis reperiuntur; γ) in variis conciliis, v. gr. Nicaeno I°, cujus canon 18mus vetat, ne diaconi audeant Christi corpus presbyteris celebrantibus dispensare „quia nec regula nec consuetudo tradidit, ut ab his, qui potestatem non habent offerendi, illi, qui offerunt, Christi corpus accipiant".

5° ex ratione theologica α) Sacrificium pertinet ad essentiam cultus divini: quare in religione christiana, quae omnium perfectissima est, deesse nequit. β) Cultus Judaeorum totus typicus fuit; ergo etiam sacrificiis, quae pars praecipua cultus Mosaici fuerunt, in novo foedere aliquid respondere debet, dum vero praeter Eucharistiam nil invenitur in religione christiana, quod sacrificii rationem haberet. γ) In Missa omnia elementa veri sacrificii adsunt, ergo et veri sacrificii rationem habet.

Reperitur etenim 1. institutio legitima; 2. finis proprius, naempe cultus Dei; 3. sacerdos, qui est ipse Christus, principalis offerens presbyterorum ministerio; 4. victima, idem ipse Christus, verissimo, licet incruento modo immolatus, tum mystice, tum realiter — mystice quidem i. e. in signo, dum sejunctis panis et vini speciebus, atque vi verborum, corpus Christi a sanguine separatum repraesentantur; realiter vero i. e. in re, dum revera Christi humanitas quod externam vitam mortua sub speciebus existit: imo, respectu hominum, non tantum mortua est, sed velut in nihilum redacta, mutata nempe in cibum ad consumptionem ordinatum; 5. demum adest actio sacrifica, quae consecratio est: hac enim fit mutatio seu divinae victimae immolatio, protestatio subjectionis hominis erga Deum.

Nr. 307. **Essentia sacrificii in consecratione, non in aliis Missae partibus consistit.**

Probatur:

1° positive. Sacrificium perficitur actione sacerdotis: atqui sacrificii eucharistici sacerdos est ipse Christus, cujus nonnisi vicem alii sacerdotes gerunt: ergo ea actione perficitur, in qua sacerdos secundarius maxime suam exuit personam atque personam induit Christi, quod vero fit in consecratione.

2° exclusive. Ad sacrificium Missae enim non pertinet offertorium, quia victima nondum adest; nec orationes antecedentes et consequentes, quia actio sacrificalis nequit in oratione consistere; nec communio, quia manducatio jam supponit victimam immolatam et potius importat participationem, quam oblationem hostiae. Manet adhuc consecratio, quae ergo sola ad essentiam sacrificii Missae pertinet, dum ex altera parte oblatio et maxime communio non quidem ad essentiam, attamen ad *integritatem* ejusdem pertinent, eo quod hoc sacrificium rationem cibi habet ac hostiae pacificae, cui offerens per sumptionem partis hostiae communicat.

3° ex Patribus. S. Chrysostomus:[1] „Vox haec (consecrationis) semel prolata in ecclesiis ad unamquamque mensam, ab illo ad hodiernum usque tempus et usque ad adventum ejus sacrificium perfectum efficit."

Nr. 303. **Consistit autem haec essentia sacrificii Missae in consecratione utriusque speciei.**

Dum omnibus ex Christi sub utraque specie consecrantis mandato: „Hoc facite in meam commemorationem" manifesto patet, consecrationem sub utraque specie esse de necessitate praecepti, controvertitur, utrum hoc etiam sit de necessitate sacrificii.

Quidam negarunt, eo quod in unaquaque consecratione tota victima praesens sistitur et Deo offertur. Nihilominus communius et verius nostra propositio ex hac duplici tenetur ratione:

1° id ad essentiam sacrificii pertinere dicendum est, quod Christus instituit. Christus autem consecrationem sub utraque specie instituit. Sane si quis sub una tantum specie consecrare praesumeret, esset sacrilegium, non sacrificium.

[1] Hom. 1, de prodit. Jud. n. 6.

2° Missa est sacrificium non tam absolutum, quam potius relativum, scil. repraesentatio et renovatio incruenta ipsius sacrificii crucis, quae autem repraesentatio non fit per consecrationem sub una specie, quia consecratio corporis solius non satis significat corpus mortuum, sed praescindit ab hoc, vivumne sit an mortuum. At vero quando sanguis statim post corpus separatim consecratur, quasi in viva imagine repraesentatur effusio sanguinis.[1] Licet ergo unica consecratio absolute loquendo et *aptitudinaliter* possit esse sacrificium, non tamen est *actualiter* sacrificium incruentum a Christo in memoriam et repraesentationem sacrificii incruenti crucis institutum.

Nr. 309. **Cum igitur essentia sacrificii consistat in consecratione, haec consecratio necessario omnes notas sacrificio essentiales habere debet.**

Equidem plures ex superius recensitis notis omnino in propatulo sunt; puta quod Missa est oblatio rei substantialis et sensibilis, scil. corporis et sanguinis Domini sub specie accidentium sensibilium panis et vini, facta in agnitionem Domini etc.

Difficultas vero est in concipienda ipsa actione sacrificiali, quae ex demonstratis debet esse immutatio in pejus seu destructio vel realis vel aequivalens Theologi alii aliis modis difficultatem solvere satagebant. Satis erit principaliores hic enumerare sententias:

1. Vasquez distinguens inter sacrificium absolutum et relativum, ad illud quidem requirit victimae destructionem, non vero ad sacrificium relativum: cum vero sacrificium Missae relativum sit, hinc nulla in ea requiritur victimae destructio, sed sufficit, quod consecratione corpus et sanguis Christi ita fiant praesentia, ut repraesentent sacrificium in cruce oblatum ejusque sint commemoratio. Ponit itaque essentiam sacrificii in *commemoratione* crucis.

2. Lessius, secundum quem consecratio est vere sacrificativa, quia per eam vi verborum separatur corpus a sanguine, vel quia verba, quantum sunt ex se, separant corpus a sanguine et instar gladii mystici dis-

[1] Ita recte observat Suaresius n. 7.

solvunt illud compositum atque ideo mactant illud. ponit essentiam sacrificii in *separata consecratione*.

3. Suarez, putans quidem in quolibet vero et proprio sacrificio requiri hostiae immutationem, dicit hanc non debere necessario fieri per destructionem: eam fuisse propriam sacrificiis veteris Testamenti; in nostro vero sacrificio Missae immutationem necessariam et sufficientem adesse, eo quod panis et vinum velut terminus a quo destruitur et *victima producitur* et offertur in honorem Dei.

4. Cardinalis de Lugo in eo vim ponit, quod corpus Christi in Eucharistia sistitur in statu exinanitionis seu in statu deliviori, quod redditur inutile ad usus corporis humani et aptum ad alios usus *per modum cibi et potus*.

5. Inter recentiores Thalhofer existimat, formam sacrificii consistere in actu interno, quo se Christus in cruce immolavit, et qui adhuc dum perdurat ac reproducitur: expressionem hujus formae consistere in separatione mystica corporis et sanguinis per distinctam consecrationem.

Inter has jam *Lugonis sententia*, quam inter alios Card. Franzelin adoptat et expolit, *probabilior* videtur, quia veritatem catholicam, quod Missa sit verum sacrificium relativum, caeteris melius tuetur. Exhibet enim non solum relationem ad sacrificium crucis, quia secundum hanc sententiam, licet non fiat separatio corporis et sanguinis Domini, ea tamen per distinctam consecrationem et per distinctas species ad vivum repraesentatur; sed exhibet simul Missam ceu in se verum et proprium sacrificium incruentum, cum status cibi, in quo corpus Christi ponitur, importet, ut omnis actus connaturalis vitae corporeae pendens a sensibus suspendatur, utque corpus ac sanguis Christi permittatur quodam modo arbitrio creaturarum non secus, ac si esset res inanimata. Atqui haec mutatio revera continet mysticam et suo modo realem victimae immolationem. Ergo Missa non solum repraesentativ sacrificii crucis sed et ipsa in se verum sacrificium est.

Probatur insuper exclusive: In sententia Vasquesii apparet quidem esse representationem sacri-

ficii crucis, quomodo autem ipsa sit sacrificium non apparet: quemadmodum si rex ipse repraesentaret in theatro proelium a se commissum, esset quidem spectaculum sed non proelium. Lessius autem vi verborum fieri veram separationem corporis et sanguinis falso supponit, quia verba consecrationis praescindunt a conjunctione, non eam negant: praeterea semper declarandum restat, quomodo ibi sit verum sacrificium, ubi victima realiter non immolatur. Deniqua nec Suaresii nec Thalhoferi sententia explicant, quomodo corpus et sanguis Domini in Eucharistia sint in statu formali victimae, quod autem ad rationem sacrificii necessarium est.

Nr. 310. **Sacrificium a sacramento Eucharistiae praecipue in sequentibus differt:**

1. Sacramentum consistit in re permanente, Sacrificium in actione victimae sacrificativa et transeunte.

2. Ad rationem Sacrificii *per se* requiritur consecratio utriusque speciei.

3. Sacrificium *per se* et primario ordinatur ad cultum Dei; Sacramentum ad nostram sanctificationem est institutum.

4. Alii sunt effectus Sacramenti, alii Sacrificii.

5. Sacramentum ex opere operato prodest soli suscipienti; Sacrificium vero non solum celebranti, sed etiam aliis.

Nr. 311. **Sacrificium Missae non tantum latreuticum est et eucharisticum, sed etiam impetratorium et propitiatorium pro vivis et defunctis.**

Prospositio, statuta contra Melanchton, qui S. Coenam autumat esse sacrificium improprie dictum, illudque nonnisi eucharisticum seu gratiarum actionis nequaquam autem propitiatorium esse contendit, est *de fide* ex conc. Trident. sess. 22, can. 3: „Si quis dixerit, Missae sacrificium tantum esse laudis et gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium, vel soli prodesse sumenti: neque pro vivis et defunctis pro peccatis, poenis, satisfactionibus et aliis necessariis offerri debere: anath. sit."

Probatur:

1° argumento generali: Missae sacrificium successit, juxta Patres, in locum sacrificiorum veteris Legis: ergo eorum differentias omnes in se uno continere debet: si enim hanc multiformem virtutem non haberet, sacrificiis antiquis, quae tamen non nisi umbrae fuerunt, vinceretur.

2° argumentis specialibus: α) est enim oblatio illius sanguinis, qui ex Luc. 22, 20: „effusus est in remissionem peccatorum"; — β) de ratione veri sacrificii est, ut Deum, cui offertur, placet reddatque propitium, ac ab eo impetret sive veniam peccatorum, sive poenarum remissionem, sive alia bona; — γ) teste Paulo Hebr. 5, 1 sacerdotis est offerre sacrificia pro peccatis; atqui in novo Testamento veri sunt sacerdotes et vel Eucharistia sacrificium, vel nullum est; — δ) confirmatur Traditione et praxi Ecclesiae, cujus monumenta certissima omnes antiquae Liturgiae suppeditant: v. gr. Cyrillus Hieros. non solum vocat Eucharistiam „hostiam propitiationis", sed praeterea scribit:[1] „Christum mactatum pro peccatis nostris offerimus, clementem Deum cum pro illis (defunctis) tum pro nobis demereri et propitiare satagentes"; Tertullianus:[2] „Oblationes pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus"; Augustinus pro matre sua defuncta Sacrificium se obtulisse testatur.[3]

Nr. 312. **Missae sacrificium omnes effectus commemoratos ex opere operato producit**, intuitu meritorum Christi et ejus promissionis, independenter a bonitate vel malitia sacerdotis celebrantis.

Licet propterea illud ex opere operato non minus prosit, si a sacerdote indigno quam si a digno offeratur, possunt tamen hi fructus Missae ex opere operato provenientes augeri:

α) ex opere operantis, sacerdotis celebrantis, et operantium, fidelium, ita ut eo uberior sit fructus, quo major est vel sacerdotis offerentis vel fidelium, pro quibus offert, dignitas et devotio:

[1] Catech. myst. 5, n. 10. [2] De corona, cap. 3
[3] Confess. L. 9, c. 13.

β) ratione precum Ecclesiae, quare v. gr. Missa de Requiem, licet ex parte sacrificii non magis defunctis prosit, quam Missa de Sanctis, tamen ex parte oratorum magis prodest, quarum defectus autem suppleri potest per majorem devotionem sive celebrantis sive celebrari jubentis, imo etiam per intercessionem Sancti, cujus suffragium in Missa imploratur.

Nr. 313. **Efficacia sacrificii Missae** exinde ea est, ut Deo tribuat adorationem et gratiarum actionem, nobis vero peccatorum poenarumque remissionem et donorum impetrationem. Dicitur autem Missa nostrum sacrificium

1. latreuticum, quatenus perfectissimam laudem et adorationem sanctissimae Trinitati exhibet. Quia offertur in commemorationem illius sacrificii crucis, quod Christi divina persona obtulit pro peccatis nostris: mors haec Jesu Christi manifestans dignitatem justitiamque Dei aptissima est ad nos promovendum, ut Dei infinitam bonitatem celebremus. Qui effectus est primarius, cui reliqui subordinantur.

2. eucharisticum, cum perfectissimam beneficiorum recognitionem et acceptissimam gratiarum actionem pro beneficiis concessis Deo praestet. Respiciendo enim, quare Christus mortuus sit, ut Deum propitium nobis reddat; recolendo igitur, quam grata Deo debet esse mors Unigeniti filii sui, sponte animadvertemus, gratiosius quid quam Jesu Christi mortem nos Deo offerre non posse, ideoque Apostolus dicit: *Omne, quodcunque facitis in verbo aut opere, omnia in nomine Domini N. J. Christi gratias agentes Deo et Patri per ipsum.*[1]

3. propitiatorium, quatenus Deum peccatis offensum placat, ut peccata poenasque remittat et quidem:

α) remissionem peccatorum sacrificium altaris non immediate Sacramenti instar praestat, sed mediate, quatenus impetrat auxilia gratiae, quibus peccator moveatur ad perfectam eliciendam contritionem, vel ad suscipiendum cum attritione Sacramentum Poenitentiae: dicit enim Trident. sess. 22. cap. 2: „hujus sacrificii

[1] Colos. 3, 17.

oblatione placatus Dominus gratiam et donum poenitentiae concedens, crimina et peccata etiam ingentia dimittit."

β) remissionem poenarum temporalium justis impetrat pro culpis remissis, ut constat ex Tridentino, quod l. c. sacrificium etiam pro poenis, satisfactionibus offerri dicit. Haec porro poenarum remissio fit immediate per hoc, quod satisfactiones Christi applicantur: nam secundum Trident. sess. 25. cap. 1. animae in purgatorio detentae potissimum acceptabili sacrificio juvantur: atqui illae juvari nequeunt, nisi immediata poenarum remissione. Attendi autem debet, quod non omnes remittantur poenae. Mensura quoad justos vivos dependet a majore vel minore dispositione; quoad defunctos in purgatorio a majore vel minore misericordia divina: ideo fieri potest, ut pro uno defuncto saepius offeratur Missa et nondum omnis poena temporalis sit remissa.

4. impetratorium denique est Missae sacrificium, quia bona spiritualia nec non temporalia, sed haec, quaetenus ad salutem animae conducunt, a Deo impetrat iis, qui offerunt vel pro quibus offertur, uti hoc idem a conc. Trident. innuitur, quod sacrificium offerri etiam pro aliis necessitatibus definivit. Et hinc quoque, sed mediate tantum, efficit augmentum gratiae sanctificantis, nempe impetrando auxilia divina ad perficiendos actus, quibus gratia haec augetur.

Nr. 314. **Quaeritur,** an causet infallibiliter?

Missae sacrificium, quantum de se est, effectus suos infallibiliter producit. Quod plane evidens est quoad eos effectus, qui spectant ad Deum: quatenus enim sacrificium est *latreuticum* et *eucharisticum*, ex eo semper laus et honor et gratiarum resolutio in Deum redundat.

Porro ut est *propitiatorium*, infallibiliter impetrat subjecto capaci donum poenitentiae tempore opportuno: quodsi peccator non convertatur, id non ex defectu sacrificii, sed ex defectu cooperationis evenit, itemque certo impetrat remissionem poenarum temporalium, modo indignitas non obstet in iis, pro quibus offertur. Ratio est, quia ex institutione Christi vim habet ab-

solutam applicandi fructus passionis et satisfactionis Christi, ut colligitur ex Trident. sess. 22. cap. 1.

Denique ut *impetratorium* etiam producit infallibilem effectum, cum non minus efficax esse possit, quam oratio, quae ex divina promissione talem habet effectum: et quamvis non semper obtineatur id bonum, quod petitur, accipitur tamen aliud, quod salubrius est: et si non statim, certe tempore opportuno, prout Deo visum fuerit: quocirca sacrificium impetratorium numquam effectu caret, dummodo ex parte nostra obstaculum non ponatur.

Nr. 315. Effectus sacrificii Missae, quatenus nobis applicantur, nempe propitiatio et impetratio, **fructus sacrificii** proprie appellantur. Intuitu participantium seu respectu eorum, quibus Missa prodest, fructus sacrificii **dividuntur** in generales, speciales et specialissimos.

Fructus *generales* adveniunt toti Ecclesiae, fidelibus omnibus, vivis et defunctis. De hoc fructu copiosius ceteris participant adstantes sacrificio, et abundantius adhuc illi cooperantes, e. gr. sacerdoti inservientes. Imo indirecte ad ipsos infideles et avulsos ab Ecclesia, ut qui membra Ecclesiae non sunt, ejus membra fiant, hi fructus generales extenduntur.

Fructus *specialissimi* obtingunt, supposita sufficiente dispositione, soli sacerdoti, qui fructum praedictum nec alteri cedere, neque pro illo stipendium accipere potest, vi propositionis Svae ab Alexandro VII. damnatae.

Fructus *speciales* obveniunt certis illis hominibus vivis et defunctis, pro quibus ad determinatum finem sacerdos speciali intentione sacrificium applicat. Hi participant de sacrificio, ut est impetratorium et propitiatorium pro peccatis, et si nihil obstet, etiam pro poenis residuis.

Ratio hujus divisionis fructuum inde desumitur, quod sacrificium Missae debet prodesse tum iis, qui offerunt, tum illis, pro quibus offertur: atqui sacerdos est praeter Christum offerentem principalem secundarius et proprius minister, ergo debet ipse fructum participare specialissimum; cum porro offerat nomine totius Ecclesiae, hinc etiam huic debet advenire fructus

generalis; denique, cum hoc sacrificium specialiter offerri possit et saepe ex obligatione offerri debeat pro certis quibusdam personis, certo eis communicatur fructus specialis, qui ab aliis dicitur ministerialis, quia pro arbitrio ministri applicatur, ab aliis etiam medius, nempe inter generalem et specialissimum.

Nr. 316. Cuivis parocho incumbit ex ratione curae animarum post captam sedis possessionem omnibus diebus Dominicis aliisque festis diebus de praecepto, etiam (exinde ab 1642) oppressis, **obligatio applicandi pro populo** sibi commisso scil. omnino gratuita Missae sacra libatio, omni exiguitatis reddituum excusatione aut alia quavis exceptione remota, uti sonat Codicis can. 339, § 1, hanc obligationem caeteroquin imprimis Dioecesis praesuli ordinario, scil. episcopo imponens.

Ex sensu Ecclesiae derivatur haec obligatio ex jure divino; conc. Tridentinum etenim sic docet, in sess. 23, cap. 1 dicens: „Cum praecepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est . . . pro his sacrificium offere."

Probatur autem haec sententia ex ratione convenientiae: Uti Christi munus pastoris pulcherrime ac pereximie comprobatur oblatione vitae sua pro mundi salute, conveniens est, ut et hujus muneris pastoralis discipulorum et servorum ejus cacumen efficiat ipsius sacrificii oblatio in Missae celebratione.[1]

Nr. 317. **Missae sacrificium** vim seu **efficientiam suam habet ex suo valore,** qui nil aliud est, quam ipsa dignitas et virtus, qua Missa pollet ratione rei oblatae et principalis offerentis.

Valor seu dignitas hujus Sacrificii aequalis est dignitati et valori Sacrificii Crucis, estque propterea infinitus, cum a Sacrificio Crucis non nisi offerendi ratione differat.

Quod vero attinet effectus, sacrificium Missae certo eos *ex relatione ad Deum* causat infinite, quia Deus per illud infinite laudatur et glorificatur, infinita pariter gratiarum solutio pro beneficiis acceptis Deo

[1] Cf. Benedict XIV const. „Cum semper" d. 19 Aug. 1744 — Parochi hac obligatione onerantur proprie Codicis canone 466.

redditur, cum sacrificium aptitudinem ad hos effectus infinitos habeat: *β) relate vero ad homines*, ut est propitiatorium et impetratorium, certo fructus intensive finitos, id est ad certum gradum restrictos in hominibus. pro quibus offertur, causat, ob finitam capacitatem hominum: nulla siquidem creatura bonorum infinitorum capax existit.

Quod jam attinet quaestionem alteram, an habeat sacrificium effectum seu fructum extensive infinitum, i. e. comparate ad numerum eorum, quibus fructus applicatur, non restrictum, ita ut non minuatur propter multitudinem eorum, pro quibus sacrificium offertur, distingui debent fructus generales et speciales.

Quoad priores communis et certa est doctrina, eos esse extensive infinitos seu indefinitos, adeo ut omnes Missae assistentes vel cooperantes, omnes omnino fideles capaces, vivi et defuncti, quanticunque sint, fructum participent ex opere operato sine diminutione ob multitudinem participantium. Ratio est: quia Sacrificium Missae, cum sit infiniti valoris, prodesse potest hominibus innumeris in infinitum, quin fructus unquam diminuantur vel exhauriantur. Alias crescente Ecclesia decresceret efficacia sacrificii. quod autem absurdum, fidelium persuasioni contrarium ipsique sacrificii dignitati injuriosum est.

Quoad fructus *speciales* eos alii quidem tenent ad certum gradum restrictos, ita ut pluribus applicati minus singulis prosint, quia, ut ajunt, licet Missa in se et quoad sufficientiam sit infiniti valoris, tamen effectus est limitatus et restrictus in certa quantitate ex voluntate Christi, qui hoc sacrificium instituit, ut independenter ab hominum dispositione ex opere operato determinatum produceret effectum; alii vero cum s. Alphonso, qui[1] hanc sententiam vocat communissimam, multo rectius docent, fructum specialem non esse arcte limitatum, adeoque, si Missa per intentionem specialem offeratur pro pluribus, singulos tantum percipere fructum, quantum perciperet unus, pro quo solo offerretur. Ratio autem est valor infinitus sacrificii, et ostendi nequit, a Christo factam esse restrictionem illam,

[1] Lib. VI. N. 312.

quam auctores primae sententiae supponunt. Nefas autem est, plura recipere stipendia pro una Missa: id enim Ecclesiae decretis sapienter est interdictum.

Sententia s. Alphonsi est favorabilior fidelibus et bonitatem Christi magis commendat quam sententia opposita: nam α) pauperes, qui stipendium dare nequeunt pro fructibus specialibus Missae sibi comparandis, saltem per applicationem pro populo diebus dominicis et festis[1] fructum specialem cum caeteris parochianis percipiunt et quidem singuli tantum, quantum perciperet unus, si pro hoc solo applicaretur, et β) parochiani fructum non minorem participant, si plures sint, quam si sint pauciores, dum ex opposita sententia dicendum est, quod applicatio pro populo fidelibus in parochia ampliori minus prodest, quam fidelibus in parochia angustiori, et quod crescente continuo populo in parochiis etiam continuo decresceit pro singulis parochianis sacrificii fructus, quae nescio quis velit approbare.

Nr. 318. **Subjectum** Missae sacrificii sunt ii omnes, in quorum gratiam Missa offerri potest, quod autem duplici modo locum habet, eo nempe sensu, ut in nomine eorum et in ipsorum utilitatem sacrificium Missae offeratur, *aut* in solo sensu utilitatis et commodi alicujus.

1° Priori sensu subjecta sunt soli fideles, scil. omnes baptismo in Ecclesiam recepti et ab ea non separati haeresi, schismate vel generatim excommunicatione magna, sive ceterum adhuc in terris versantur sive jam defuncti sunt. Sacrificium enim est bonum Ecclesiae, quod per sacerdotem ceu ministrum publicum nomine totius Ecclesiae hincque nomine omnium illorum peragitur, qui in reali communione Ecclesiae versantur.

2° Altero autem sensu, eo scil. ut in solum commodum alicujus Missa offeratur, subjectum constituunt.

α) certe omnes fideles, quorum nomine sacrificium Missae offertur, qui ex hoc bono Ecclesiae communi certe prae omnibus respectivos fructus percipere debent, et quidem: fideles vivi respectu omnium bonorum

[1] Cf. modo supra Nr. 316 dicta.

ipsis necessariorum, fideles defuncti purgatorii respectu remissionis poenae temporalis, atque sancti in coelis eo respectu, ut ipsorum honor in terris promoveatur atque eorum intercessio apud Deum obtineatur, in quibus certe habentur bona sanctorum, quae sancti desiderant equidem recte, quoniam cultus tali modo sanctis exhibitus refertur ad Deum ipsum, omnium bonorum fontem et parentem, unde Trident. sess. 22, can. 5, declarat: „Si quis dixerit, impostaram esse missas celebrare in honorem sanctorum et pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut Ecclesia intendit, anath, sit;"

β) omnes vivi, qui extra communionem Ecclesiae versantur hincque chatechumeni, infideles, haeretici, schismatici et excommunicati tolerati[1] juxta Apostolum[2] obsecrantem „orationes etc. fieri pro omnibus hominibus", porro juxta praxin Ecclesiae atque juxta rei naturam, cum Christi redemptio spectet salutem omnium hominum hincque suffragia Missa exhibita ad omnes vivos extendenda sint, quorum salus adhuc sperari possit.

Attamen hic semper debet agi de vivis, non vero de defunctis, quoniam respectu defunctorum solus primus sensus locum habet hincque et in casu, quo his sensus excluditur, oblatio pro tali defuncto omnino non locum habere potest, quin ceterum judicium damnatorium ferri velit. Fieri enim potest, ut quis gloria potiatur, etsi in haeresi moriatur: si nempe contritionem perfectam eliciat, per quam de congruo infallibiliter gloriam meretur. Sic S. Franciscus de Sales putat quoad Calvinum. Tamen non licet sacrificium nomine ipsorum offerre; si etenim justificantur in fine vitae, fiunt membra Ecclesiae invisibilis: ceu tales autem non habent jus ad bona Ecclesiae visibilis.

Quaestionem hac in re versantem dijudicat Codex noster per can. 2262, qui ita sonat:

---

[1] Excommunicati vitandi enim juxta bullam Martini V. „Ad evitanda scandala" excipiuntur, ita ut sacerdos nonnisi qua persona privata eorum in Memento particulariter meminisse possit: Ecclesia hisce intendit, ad pertinaciam frangendam pro tempore suffragia denegari

[2] 1 Timoth. 1, 1–2.

§ 1. Excommunicatus non fit particeps indulgentiarium, suffragiorum, publicarum Ecclesiae precum.

§ 2. Non prohibentur tamen:

1° Fideles privatim pro eo orare;

2° Sacerdotes Missam privatam ac remoto scandalo pro eo applicare; sed, si sit vitandus, pro ejus conversione tantum.

Nr. 319. **Minister sacrificii** triplex distinguitur:

1. *Principalis*, qui proprio nomine et auctoritate sua offert, estque Christus ipse;

2. *secundarius*, qui a principali ministro accipit auctoritatem et jus offerendi, estque sacerdos, qui etiam ministerialis vel immediatus vocatur, quatenus scil. ut minister Christi ejusque personam gerens, ipse sua propria actione ac personali ministerio totam sacrificii actionem complet;

3. *mediatus*, qui per secundarium perficit sacrificium estque Ecclesia universa seu omnes fideles, qui tantum mediati et improprie dicti offerentes vocari possunt.

Nr. 320. **Christus est minister principalis.**

Est *de fide* ex Trident. sess. 22, cap. 2: „Placatus Dominus idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit".

Probatur:

1° ex „scriptura, ubi Psalmista[1] ait: „Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech;" similiter Apostolus:[2] „Jesus secundum ordinem Melchisedech pontifex factus in aeternum."

2° ex Patribus, qui omnes docent, unam eandemque esse hostiam eundemque sacerdotem Jesum Christum in cruce et in Missa[3]

3° ex ratione. Missa fit sacrificium per actum sacrificalem destructionis transsubstantiatis pane et vino per verba institutionis, homo autem suo nomine et auctoritate transsubstantiationem efficere non valet, quia est actus divinus; principium agens est ipse Christus Deus, qui propterea etiam est minister principalis.

[1] Psalm. 109. [2] Ad Hebr. 6, 20.
[3] Cf Augustin. De civ. Dei, l. 10, c. 20.

Nr. 321. **Minister secundarius est sacerdos.**

Est *de fide* ex Trident. sess. 22, can. 2: „Si quis dixerit, illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem* Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi aliique Sacerdotes offerant corpus et sanguinem suum: anath. sit.“

Jam tempore Tertulliani erant, qui omne discrimen inter Clerum et laicos subvertentes sacra ministeria ab unoquoque obeunda esse sancirent. Collyridiani aliique vel ipsis mulieribus conficiendae Eucharistiae facultatem tribuerunt. Waldenses uti Eucharistiam a malo sacerdote consecrari posse negabant, ita a laico bono rite confici arbitrabantur. Wicleffus in idipsum propendens tamen rem omnino definire ausus non est. Lutherus autem diserte docebat, Christianum quemlibet ex Baptismo potestatem habere consecrandi Eucharistiam, licet id officii sibi assumere nemo debeat, nisi qui legitime vocatus sit, ob nimiam, quae inde sequeretur, confusionem. Calvinus e contra non Eucharistiam tantum sed et Baptismum, si ab alio, quam a publico Ministro conficiatur, irritum esse voluit, quamvis aeque ac Lutherani nec veros Episcopos nec veros Presbyteros episcopali manuum impositione consecratos, sed tantum Ministros, qui a Magistratu civili constituti sunt et ab eodem quoque sua potestate sacra exui possunt, habeat. — Contra hos jam thesis nostra.

Probatur:

1° Christus, cum Eucharistiam institueret, ad solos ait Apostolos: „Hoc facite in meam commemorationem.“

2° ex Patribus. S. Justinus[1] scribit eum, qui praeest, i. e. Episcopum Eucharistiam conficere, quae deinde a Diaconis distribuatur praesentibus et ad absentes perferatur; Epiphanius apud Joannem Hieros. se excusat,[2] quod in ejus dioecesi Presbyterum ordinaverit, ne multitudo sanctorum fratrum ibidem degentium sacris privarentur mysteriis, quum non haberent, qui sibi divina Sacramenta conficerent; Chrysostomus[3] non semel ait, ob hanc unam eximiam potes-

[1] Apol. 1, n. 65. [2] Opp. t. 2, p. 312. [3] V. gr. De sacerd. L. 3, n. 4.

tatem consecrandi Eucharistiam Angelos a Sacerdotibus superari.

3° ex documentis historicis, ex quibus constat ivisse presbyteros in carceres, ut munirent martyres sacro viatico et conficerent sacrificium; Anachoretas Aegypti per integros annos servasse Eucharistiam acceptam a sacerdote: fideles Alexandriae domi servasse Eucharistiam, ut tempore persecutionis eam sumerent; conversos a laicis ductos fuisse ad presbyteros, ut ab his Eucharistiam acciperent — quae omnia superflua fuissent, si laici quoque haberent consecrandi potestatem sacerdotalem.

Nr. 322. **Simplices fideles mediati tantum et improprie dicti offerentes vocari possunt.**

Mediate per sacerdotem enim ad sacrificium concurrunt hoc triplici modo 1. *generatim* et quasi habitualiter, quia membra sunt Ecclesiae, cujus nomine sacerdos, ut minister publicus, sacrificium offert et preces fundit: quare tota Ecclesia adeoque fideles omnes per ipsum offere et precari censentur; 2. *speciatim* et actualiter, quando Missae assistentes interiori affectu ac intentione uniuntur cum sacerdote ad sacrificium Deo offerendum; 3. *specialius*, quando propinquius concurrunt, sive inserviendo sacerdoti sive stipendium aliasque eleemosynas in eum finem offerendo, ut sacrificium a sacerdote offeratur.

In eodem sensu morali etiam Liturgiae docent, sacrificium non sacerdote solo, sed et a fidelibus assistentibus offerri, quam ob rem Sacerdos orat: „Orate fratres, ut meum ac vestrum sacrificium acceptabile fiat;" item in Canone: „Memento . . . omnium circumstantium, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium etc."

Nr. 323. **Missae privatae non sunt illicitae.**

Propositio, quo sensu hic intelligitur, est *de fide* ex Trident. sess. 22. can 8: „Si quis dixerit Missas, in qua solus Sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas esse ideoque abrogandas: anath. sit."

Missa privata ergo hic intelligitur ea, in qua solus sacerdos communicat, quamvis proprie loquendo sacrificium illud nequeat dici privatum, quod offertur in

gratiarum actionem pro beneficio publico, cujusmodi est mors Christi, quodque a publico Ecclesiae ministro non pro se tantum, sed pro omnibus fidelibus offertur. Dum vero sic dictae privatae Missae licitae sunt, e contra Missae solitariae, in quibus ne ministrans quidem adest, prohibentur, cum fideles, quorum nomine oblatio fit, saltem per ministrantem repraesentari debeant.

Probatur:

1º Missae sacrificii ille quadruplex finis sane obtineri potest, si etiam solus communicat sacerdos; in Missae enim sacrificio actionem suam sacerdos non ut in concione ad plebem, neque ut in Baptismo ad aliquem ex plebe, sed per modum efficacissimae orationis ad Deum dirigit: oratio autem etiam nemine praesente fieri potest.

2º Missae hae, quamvis in eis praeter sacerdotem nemo communicet, tamen communes censeri debent, quia a publico Ecclesiae ministro non tantum suo nomine, sed nomine omnium fidelium offertur.

3º Ecclesia tales Missas antiquitus jam permisit: Sic Gregorius Naz. memoriae prodit,[1] patrem suum in cubiculo domestico sacra peregisse mysteria; s. Chrysostomus, increpans illos, qui tantum in Quadragesima participabant sacra mysteria: „frustra est", inquit,[2] quotidianum sacrificium, frustra adstamus altari: nemo est, qui participet; conc. Agathense a 506. quod a fidelibus postulat, ut sacrificio Missae quavis die Dominica intersint, praecipit eis dumtaxat, ut tribus festis Nativitatis, Pachatis et Pentecostes communicent, ita ut ergo saepius sacrum fieret, quin quisquam praeter sacerdotem communicaret.

Notatu haud indignum erit, quod Missas sic dictas *siccas*, uti eae vocari solent, quae cum ritibus consuetis praeter Canonem vel etiam praeter ea, quae ad oblationem pertinent, celebrantur, alii prorsus illicitas esse defendunt, alii cum Episcoporum licentia tam in navibus, velis pulsis, in quibus propter periculum effusionis sanctissimi sanguinis a consecratione

[1] Hom. 3 in Epist. ad Ephes. n. 4. [2] Or. 19 in laud. Patr.

plerumque abstinetur, quam coram infirmo recitari posse statuunt.

Nr. 324. **Variae, quae in Ecclesia tum orientali tum occidentali exstant Liturgiae, omnes ex Apostolorum institutione ducunt originem.**

Sane; nam post ascensionem Domini Apostoli, cum quatuordecim annis simul remanserint Hierosolymis, celebrasse simul Officium divinum seu Liturgiam censendi sunt, et uniformem ritum adhibuisse, qui postea in Ecclesia Hierosolymitana probabilius idem perseveravit. Videntur autem, pro temporis opportunitate formam modo brevem, modo prolixiorem usurpasse. Deinde per orbem sparsi variis in Ecclesiis a se fundatis ritus suos reliquerunt.

Hinc ubique uniformitas illa quoad substantiam. In omnibus enim Liturgiis inveniuntur sequentes partes: lectio Scripturae veteris et novi Testamenti, subsequens instructio, oblatio seu offertorium, praefatio seu exhortatio, trisagion seu Sanctus, oratio pro vivis et defunctis, consecratio facta per verba Christi, invocatio super oblata, adoratio et fractio s. Hostiae, osculum pacis, oratio dominicalis, communio, gratiarum actio, denique benedictio sacerdotis. Hujusmodi est ordo fere uniformis omnium Liturgiarum, atque hic in toto orbe vigebat saeculo 5^to^, cum Liturgiae scriptae sunt; non enim antea, teste Lebrun, scripto fuere mandatae vel saltem evulgatae una excepta illa, quae inserta est in Constitutionibus apostolicis et ad annum saltem 390 ascendit.

Nr. 325. **Liturgia,** juxta linguam sacram, est:

1° sensu stricto sacrum opus Sacrificii Missae; juxta illud Act. Apost. 13, 2: *Λειτουργουντων δὲ αὐτῶν τῷ Κυρίῳ* = ministrantibus autem illis Domino.

2° sensu lato totum corpus caeremoniarum et rituum cultus catholici, opus coelesti plane sapientia repletum.

3° sensu communiore series orationum, actionum ac omnium caeremoniarum, quibus sacrificium Missae perficitur; est scil. quasi textura divinae illius actionis, quae peragitur in Ecclesia Christi; et cujus imago magnifica jam in Apocalypsi invenitur.

Recte non intermisit Codex noster in can. 1257 annotare esse unius Apostolicae Sedis tum sacram ordinare liturgiam tum liturgicos approbare libros.

Nr. 326. **Praecipuae Liturgiae** hae possunt enumerari:

1. Orientales: α) Liturgia s. Jacobi, quae tum graece tam syriace existit; vocatur etiam s. Cyrilli Hierosolymitani, quia magna ex parte in Catechesi 5ta hujus Patris citatur.

β) Liturgia s. Basilii et alia s. Chrysostomi, quae utraque praecedentis abbreviatio est.

γ) Liturgia s. Marci ceu Cyrilli Alexandrini, quae et coptica lingua exstat, et apud Aethiopes seu Abyssinos magna ex parte conservatur.

Liturgia s. Chrysostomi lingua syriaca a Nestorianis et Jacobitis syriacis legitur. Jacobitae quoque ut et Armeni syriacam eam, quae s. Basilii et s. Cyrilli Hieros. dicitur, usurpant. Graeci vero Liturgia Graeca s. Chrysostomi et s. Basilii utuntur.

2. Occidentalees: α) Liturgia, quam vocant Apostolorum seu b. Petri, in Constitutionibus apostolicis inserta ante anum 390, descripta deinde in Sacramentario tum Gelasiano tum Gegroriano. Eadem quoque Romana vocatur ac Gregoriana, et a hodierna Romana parum differt. — Hic ordo Missae est, quem s. Petrus primum Romanos docuit quemque Petri successores, imprimus Leo M. (450) et Gelasius (492) variis additionibus auxerunt. Ultimam operi manum s. Gregorius M. admovit. Hic teste Joanne Diacono in ordine Gelasiano multa subtraxit, pauca convertit, nonnulla adjecit. Ita tandem prodiit illa Liturgia Gregoriana, quam Romana Ecclesia per duodecim jam et amplius saecula sartam tectamque servavit.

β) Liturgia Ambrosiana, similis Romanae, et hodiedum adhuc Mediolani in Ecclesia metropolitana usitata.

γ) Liturgia Gallicana, per St. Photinum et Irenaeum ab Oriente allata ideoque orientalibus Liturgiis non absimilis.

δ) Liturgia Mozarabica, similis Gallicanae, quae in Hispania usque ad saeculum 11um in usu fuit.

Nr. 327. Ex communi Ecclesiae disciplina cui et Codicis can. 824/44 assentiunt, dari solet sacerdoti pro applicando Missae fructu speciali **stipendium,** de quo sequentia praesertim sunt observanda:

Sacerdos stipendium accipere potest α) pro honesta sustentatione, nam. uti 1 Corinth. 9, 13 dicitur, qui altari deserviunt, cum altari participant; β) pro labore Missae extrinseco v. gr. quod tali hora, tali loco etc. sit celebranda, ea enim sunt pretio aestimabilia.

Episcoporum est, in suis dioecesibus Missarum stipendium taxare. Sacerdos, qui ultra tale justum usu receptum vel Episcopi taxa determinatum stipendium quidquam exigit, non solum contra Ecclesiae legem verum etiam contra justitiam commutativam delinquit; attamen non potest prohiberi, ne a sponte dantibus uberiorem stipem accipiat. Episcopus autem ex causa rationabili, e. gr. ad sacrificii vilipensionem, turpe commercium, aliorum damna excludenda etc. prohibere potest, ne sacerdotes stipendium minus justo accipiant, uti s. Congregatio C. expresse declaravit.

Plura stipendia nec pro unica Missa, neque pro diversis Missae unius fructibus sacerdos citra grave injustitiae peccatum et restitutionis obligationem accipere potest.

Suscepto stipendio sacerdos ex justitia obligatus existit ad Missam celebrandam infra modicum tempus sive per se sive per alium juxta intentionem dantis et ad fideliter implendum, quae de loco, hora et ritu celebrandi adjecta forsitan fuere.

Sacerdos, qui accepto stipendio *manuali* obligationem celebrandi Missam in alium transfert, integrum stipendium eidem erogare tenetur, nisi si α) sacerdos, cui committitur Missae celebratio, omnino liberaliter, nec rogatus, ut partem remittat, nec quaesitus, an remittat, excessum condonet, et β) majus stipendium datum sit intuitu personae, e. gr. ob gratitudinem, amicitiam etc. dummodo id saltem ex circumstantiis morali certitudine constet; quod autem attinet Missas *fundatas*, eas aliis sacerdotibus celebrandas committere eaque, quae stipendium ordinarium excedunt, sibi retinere potest, quia excessus non pro Missae celebratione, sed pro sustentatione conceditur.

Item ex sententia communi partem, quae stipendium ordinarium excedit, retinere potest sacerdos, cui commissa est celebratio Missae perpetuae, nec non sacerdos, cui incumbit celebratio ex pingui legato ad vitam ipsi relicto cum onere Missarum. Etenim Decreta prohibentia retineri excessum stipendii ordinarii tantum de Missis manualibus loquuntur.

Reductio Missarum i. e. imminutio numeri Missarum celebrandarum, nonnisi per Apostolicam Sedem, quae autem episcopis pro eorum dioecesibus hanc facultatem tradita simul reductionis instructione nec non reservato sibi jure recursus, delegare solent, fieri potest, locumque habet tantum quoad Missas perpetuas, dum manuales nonnisi condonatione seu compositione supplentur.

Condonatio Missarum, quae jam est remissio obligationis celebrandi Missis manuales, reservata est auctoritati Romani Pontificis, qui examinatis prius omissionum causis opportune providet, prout magis expedire judicat, ex thesauro Ecclesiae supplendo quidquid in oneribus implendis peccatum est: in suffragium autem et expiationem animarum, pro quibus omissa sacrificia offerri debuerant, congruum Missarum numerum celebrari quotidie mandat ab aliquibus capellanis huic muneri addictis in Vaticana Basilica, cujus fabricae modica eleemosyna, sic dicta „Compositio" pro praetermisso sacrificiorum numero persolvenda imponitur iis, qui condonationem exposcunt.

Tractatus undecimus.

De Poenitentia.

Nr. 328. Ponitur hoc sacramentum propterea quarto loco, quia vita spiritualis, quae per tria priora incipit, augetur, et nutritur, per poenitentiam reparatur.

Poenitentiae vocabulum juxta etymologiam probabiliorem idem sonat ac *poenae tenentia,* seu actio, qua quis delicti poenam luit.

Accipitur autem poenitentia duobus modis, nimirum prout est virtus, et prout est novae legis sacramentum.

Spectata ut virtus definitur: Habitus supernaturalis, quo peccator movetur ad odium et detestationem peccato commisso, cum proposito non peccandi de caetero, justitiaeque divinae satisfaciendi, estque omnino idem cum contritione.

Spectata ut Sacramentum vero poenitentia **definitur:** Sacramentum a Christo institutum ad peccata post Baptismum commissa[1] remittenda per actus poenitentis et absolutionem sacerdotis.

Hoc sacramentum vocatur a Patribus frequenter „impositio manuum", qua poenitentes solemniter reconciliabantur Ecclesiae; Baptismus laboriosus vel Baptisma lacrimarum, quia non ut in Baptismo omnis poena temporalis remittitur; secunda post naufragium tabula, quum peccata post Baptismum commissa remittit; apud Graecos ἐξομολόγησις, qua voce a parte confessionis totum sacramentum nomen accepit.

Poenitentiae virtus a Sacramento poenitentiae differt: 1° quod poenitentiae virtus tota posita sit in actibus poenitentis, Sacramentum vero insuper requirat absolutionem sacerdotis; 2° quod poenitentiae virtus fuerit quovis tempore necessaria homini lapso ad justitiam assequendam, sacramentum vero penitentiae nonnisi a Christo fuerit institutum, nec pertineat nisi ad eos, qui post Baptisma receptum in peccata lapsi fuerint; 3° quod sacramentum poenitentiae sit totum, virtus vero poenitentiae sit pars materiae Sacramenti.

Nr. 329. Licet plures ex veteribus haereticis circa hoc sacramentum errassent, ut Montanistae, Novatiani, Wicleffitae, Hussitae, ipsam tamen existentiam primi omnium negarunt Protestantes, dicentes confessionem esse vel institutionem ecclesiasticam et inutilem, vel tantum recordationem Baptismi, neque ab eo distingui, quem errorem probare nituntur ex parallelismo

[1] Cf. Cod. can. 870: In poenitentiae sacramento, per judicialem absolutionem a legitimo ministro impertitam, fideli rite disposito remittuntur peccata post baptismum commissa.

inter Joan. 20, 22 ex una et Matth. 28, 19 ac Luc. 24, 47, ubi Christus remissionem peccatorum per Baptismum et praedicationem proponit, ex altera parte.

Errores Protestantium damnavit Tridentinum in sessione 14ta statuens sequentes hosce canones:

1. Si quis dixerit, in catholica Ecclesia poenitentiam non esse vere et proprie sacramentum, pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis a Christo Domino nostro institutum: anath. sit.

2. Si quis Sacramenta confundens, ipsum Baptismum poenitentiae sacramentum esse dixerit, quasi haec duo sacramenta distincta non sint, atque ideo poenitentiam non recte secundam post naufragium tabulam appellari: anath. sit.

3. Si quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris: „Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt", non esse intelligenda de potestate remittendi et retinendi peccata in Sacramento poenitentiae, sicut Ecclesia catholica ab initio semper intellexit, detorserit autem contra institutionem hujus sacramenti ad auctoritatem praedicandi Evangelium: anath. sit.

Ex his apparet fundamentum sacramenti poenitentiae esse potestatem remittendi et retinendi peccata, quae duplex potestas uno verbo etiam **potestas clavium** appellari solet, cujusque ergo existentiam, naturam, subjectum et objectum singulis dilucidandis thesibus ante omnia exponamus, necesse est.

Nr. 330. **Christus Ecclesiae contulit potestatem clavium,** vi cujus non solum p̄eccatorum remissionem annuntiare, sed peccata vere remittere aut retinere potest.

1. Christus hanc potestatem promisit primum Petro apud Matth. 16, 19 dicens: *Tibi dabo claves regni coelorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis.*

2. Promissam potestatem Christus revera etiam contulit Ecclesiae, cum a mortuis excitatus insufflavit in discipulos suos apud Joan. 20, 22 dicens: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata,*

remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt — cujus effati sensus etiam ex verbis immediate praecedentibus confirmatur: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* Christus enim missus fuerat non solum ad praedicandam poenitentiam in remissionem peccatorum, ut Joannes Baptista, sed ad remittenda peccata, ut constat e. gr. ex Matth. 9, 2; ergo Apostolis eorumque successoribus eadem est missio, quae adhucdum in Ecclesia viget.

3. Patres et scriptores ecclesiastici idem contendunt, Memento, inquit Tertullianus.[1] Dominum claves ejus scil. coeli Petro et per eum Ecclesiae reliquisse, et s. Augustinus:[2] Aut non sunt istae in Ecclesia claves, ubi peccata quotidie dumittuntur?

Nr. 331. **Potestas clavium exercetur actu judiciali.**

Est *de fide* Trident. sess. 14, can. 9 sic definiente: Si quis dixerit, absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi et declarandi remissa esse peccata confitenti: modo tantum credat se esse absolutum, aut sacerdos non serio, sed joco absolvat; aut dixerit, non requiri confessionem poenitentis, ut sacerdos eum absolvere possit, anath. sit.

Juxta Protestantes verba „solvere" et „ligare" nil aliud significant, quam aliquid ut licitum vel illicitum declarare; remittere peccata idem esse dicunt ac remissa declarare, retinere vero idem ac omittere talem declarationem.

Probatur autem thesis iisdem verbis, quibus existentiam potestatis clavium demonstravimus, quia videlicet 1. est eadem potestas eaque judicialis, quam Christus a Patre acceperat; 2. nativa vis verborum „solvere, ligare, remittere, retinere", id importat, cum nemo nisi judex vincula injicere aut solvere possit; 3. haec potestas bipartita recte administrari nequit nisi cognita causa, quae vero cognitio causarum ad judices pertinet.

Nr. 332. **Objectum potestatis clavium sunt peccata omnia post Baptisma commissa,** ita ut α) nul-

[1] Scorpiac. c. 10, [2] Serm. 149, n. 7.

lum sit peccatum, quod ab Ecclesia remitti non possit, qualiscunque fuerit gravitas, multitudo aut relapsuum numerus; β) nullum quoque peccatum, quod ab Ecclesia, etiam post relapsum, vere poenitentibus remissum non fuerit.

Peccata ante Baptismum omnissa non delentur per Sacramentum Poenitentiae, cujus non sunt capaces non baptizati, sed per actum virtutis poenitentiae cum receptione Baptismi in re vel in voto.

Extendi autem potestatem clavium ad omnia prorsus peccata, constat ex eo, quod Ecclesia statim pro haereticis habuerit Montanistas ac Novatianos, qui hanc illimitatam potestatem negabant. Id idem probant:

1. Verba Christi saepe laudata, quae tum quoad peccatores, tum quoad peccata plane illimitata sunt: *quaecunque* solveritis, *quorum* remiseritis; ergo potestatem conferunt remittendi omnia peccata.

2. Praxis Apostolorum: Paulus absolvit incestuosum Corinthium;[1] S. Joannes juvenem latronem Deo reconciliat.[2]

3. Traditio ac Ecclesiae praxis: semper enim Ecclesia ad poenitentiam vocavit peccatores omnes; Montanistarum et Novatianorum doctrinam rejecit; poenitentias quibuslibet delictis constituit, ut videri potest in Poenitentialibus libris, qui non pauci exstant quorumque praecipui sunt: Poenitentialis Theodori Cantuariensis, Venerabilis Bedae, Rhabani Mauri, Romanus, Graecus Joannis Jejunatoris, qui a saeculo 7mo in usu fuit.

Nr. 333. Immerito **objiciunt** ipsam Scripturam tribus in locis testari, quaedam peccata remitti non posse; nam si

α) Hebr. 6, 4 dicitur: *Impossibile est enim eos, qui semel sunt illuminati . . . et prolapsi sunt, rursus renovari ad poenitentiam*, loquitur Apostolus de Apostatis, qui, agnitam veritatem contemnentes, a Christo ad Judaismum discebedant, et asserit, his valde difficilem, immo moraliter nequaquam vero physice et absolute impossibilem esse conversionem.

[1] 2 Cor. 2. [2] Euseb. Hist L. 3, c. 23

β) in Epist. 1, c. 5, v. 16 s. Joannes ait: *Est peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget quis*; Apostolus hic non loquitur de quocumque peccato mortali, sed de apostasia a Christo nec prohibet pro illo orari sed non audet hortari, ut quis pro tali oret cum ea impetrandi fiducia, de qua egit versu superiori dicens: *Et haec est fiducia quam habemus ad eum: quia quodcumque petierimus secundum voluntatem ejus, audit nos*, cum difficulter impetretur hujus peccati venia.

γ) Christus, si apud Matth. 12. 31 de blasphemia in Spiritum sanctum loquens docet, eam *non remitti, neque in hoc saeculo, neque in futuro*, non dicit peccatum illud irremissibile defectu potestatis in Ecclesia sed defectu peccatoris non poenitentis: qui scilicet peccant in Spiritum sanctum, cum ex malitia manifestae veritati resistant impugnentque gratiam Spiritus sancti, sine qua peccata remitti nequeunt, difficile moventur ad poenitentiam.

Caeterum fuerunt quoque quidam theologi et historici, qui saltem quoad factum existimabant, primis saeculis quibusdam peccatis „in totum poenitentiae locum clausum fuisse," ut apud Cypryanum[1] legitur et in concilio Eliberitano communio gravibus peccatoribus etiam in fine vitae negatur.

At his non obstantibus dici debet, Ecclesiam universalem nunquam et nemini vere poenitenti quantumvis relapso denegasse veniam, dummodo distinguitur inter Ecclesiam *universalem* et *particulares*; inter poenitentiam *publicam* et *privatam*; inter reconciliationem *perfectam*, qua omnia jura et bona ecclesiastica restituuntur, et *imperfectam*, quae sola absolutione a peccatis constabat, denegata perfecta communione cum Ecclesia et ipsa Eucharistia. Concedi quidem debet: α) poenitentiam publicam semel tantum permissam, ac proinde β) reconciliationem perfectam semel exhibitam fuisse; imo γ) in quibusdam ecclesiis quibusdam peccatis veniam absolute negatam fuisse. At δ) negari omnino debet, Ecclesiam universalem ullis poenitentibus in articulo mortis absolutionem et communionem negasse.

---

[1] Ep. 51, n. 21 ad Anton.

Nr. 334. **Nullum est peccatum mortale, quod indepententer a potestate clavium absolvi potest.**

Est *de fide* ex Tridentino sess. 14, cap. 2: „Est autem hoc sacramentum lapsis post Baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse Baptismus."

Haec obligatio subjiciendi peccata clavibus Ecclesiae constat:

1. ex ipsa natura judicii generatim: cum enim rex tribunal alicubi instituit, eo ipso subditi tenentur suas causas ad hoc tribunal deferre;

2. ex indole clavium, quae datae sunt Ecclesiae: atqui sacerdotes ejus coelum claudere non possent, si peccator independenter a sacerdote coelum ingredi valeret;

3. ex potestate retinendi, quae nulla esset, si alio adhuc modo solvi possent peccata.

Cum igitur necesse sit, ut unusquisque peccata sua, quantum moraliter potest, clavibus subjiciat, consequitur: Sacramentum poenitentiae absolute necessarium esse in re vel in voto, quia homo in tali statu constitutus, in quo non habet copiam confessarii, potest per actum contritionis perfectae justificari et salvari.

Nr. 335. **Potestas clavium ad solos sacerdotes pertinet.**

Est *de fide* ex Tridentino sess. 14, can. 10, ubi definit, verba Christi apud Joan. 22, 23: *Quorum remiseritis* etc. solis sacerdotibus esse dicta, non omnibus fidelibus.

Quapropter Cod. can. 871 breviter declarat: Minister hujus sacramenti est solus sacerdos.

Confirmatur ex unanimi Traditionis consensu: S. Ambrosius[1] scribit: Jus hoc solis permissum sacerdotibus est; s. Basilius:[2] Peccata iis confiteri necesse est, quibus mysteriorum Dei concredita est dispensatio.

Iterum immerito objici solet: Non solus sacerdos possidet potestatem clavium, cum

α) s. Cyprianus[3] doceat, moribundos in absentia

[1] De poenit. l. c. 2. [2] Interrog. 288.
[3] In sua 12ma epistola ad presbyt. et diacon. Carthag.

sacerdotis etiam apud Diaconos exomologesin facere posse. Ast in Ecclesia duplex semper fuit absolutio, duplex exomologesis; *una* sacramentalis, quae ad solos presbyteros pertinet neque unquam aliis concessa est; *alia*, per quam poenitentes consortio Christianorum reconciliantur et legibus poenitentiae publicae soluti ad sacrae Communionis participationem admittuntur, quae jam potestas solvendi in foro externo a poenis et censuris Ecclesiae per delegationem etiam aliis imprimis diaconis, concedi poterat. De hac autem sola loquitur s. Cyprianus[*] ac similiter plures quoque antiqui Theologi, quando, ut e. g. Bonaventura vel s. Thomas[1] docent, in casu necessitatis laico confitendum esse.

β) In epist. Jacob. 5, 16 dicitur:[2] *Confitemini alterutrum peccata vestra;* ergo potestas clavium non ad solos sacerdotes pertinet. — Nego consequens. Nam 1. juxta plures Patres etiam hic textus non debet intelligi de confessione sacramentali, sed de confessione facta humilitatis vel reconciliationis mutuae causa; 2. si intelligatur de confessione sacramentali, sic debet reddi cum Cornelio a Lapide: *confitemini alterutrum*, id est, homines hominibus non quibuslibet, sed iis, quibus a Christo demandata est absolvendi potestas.

Nr. 336. **Ad potestatis clavium non solum licitum sed et validum exercitium praeter potestatem ordinis requiritur etiam jurisdictio et approbatio,** quae notiones oppido differunt; jurisdictio enim est potestas, approbatio autem ejus conditio. Nihilominus in praxi, eo quod simul conferuntur, etiam identice sumuntur.

Jurisdictio, quae generaliter sumpta est potestas quaedam moralis regendi subditos, in re praesenti est potestas, qua sacerdos ut judex legitimus in alterum, tamquam in subditum, sententiam in foro conscientiae proferre valet.

Ad confessiones valide audiendas opus est jurisdictione scripto vel verbis expresse concessa.[3]

Est vel ordinaria vel delegata. Est ordinaria, si sacerdoti competat ex officio, cui adnexa sit cura

[1] In 4, dist. 17, q. 3, art. 3. [2] Sess. 23 de Reform, cap. 15. [3] Cod. can. 879, § 1.

animarum; est delegata, si habetur ex commissione illius, qui potestatem jurisdictionis habet ordinariam.[1] — Utraque iterum duplex est, nempe in foro interno et in foro externo. *In foro interno* seu poenitentiae est potestas absolvendi et ligandi subditos in tribunali poenitentiae; jurisdictio *in foro externo* est potestas ferendi leges, censuras, imponendi poenas ecclesiasticas etiam publicas vel ab iis absolvendi.

Approbatio, quae est publicum et authenticum Ordinarii testimonium, quo sacerdos ad Confessiones audiendas idoneus declaratur ac deputatur, requiritur secundum conc. Tridentinum in sacerdote non habente beneficium parochiale debetque esse formalis et expressa, nec sufficit, ut sit interpretativa aut praesumpta, quia tunc non adest, sed tantummodo adesset sub conditione, nempe, si postularetur. Nec unquam sufficit licentia mere praesumpta, quando haec ad valorem actus requiritur; secus est, si tantum requiratur, ut actu licite fiat. Per approbationem Ordinarii simul datur potestas jurisdictionis ordinaria.

Constat autem propositio praeprimis ex natura absolutionis sacramentalis: haec enim est actus judicialis, qui exerceri non potest nisi in subditos; subditi autem non assignantur per Ordinationem, ergo per rectores Ecclesiae assignari debent, quae assignatio non est aliud nisi jurisdictionis concessio, sine qua potestas in ordine presbyteratus accepta per se nil est quam gladius in vagina reconditus.

Nr. 337. Cui superiores in ecclesia aliis potestatem audiendi confessiones concedere possunt aut censuras ferre, possunt etiam nonnullos casus ad suum avocare judicium, inferioribus absolvendi potestatem limitantes.[2] Haec avocatio dicitur **reservatio** casuum.

Sanctae sedi reservatum est unicum ratione sui (non poenae) et quidem falsa delatio, qua sacerdos innocens accusatur de crimine sollicitationis apud judices ecclesiasicos.[3]

---

[1] Cf. desuper Cod. can. n. 873 & 874.

[2] Ab hac potestate exclusi sunt expresse Vicarius Capitularis nec non Vicarius generalis, nisi gaudeant mandato speciali. Cf. Cod. can. 893.

[3] Cod. can. 894.

Ex hucusque allatis duo sequuntur:

1° episcopum posse presbyterum ab exercitio hujus potestatis, subditos ei subtrahendo, prohibere seu suspendere, i. e. non quidem potestatem ipsam sed conditionem ad ejus exercitium necessariam, scil. subditos subtrahere.

2° episcopum sibi posse casus reservare, de quo Trident. sess. 14, can. 11 sic definivit: „Si quis dixerit, episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad politiam externam et ideo casuum reservationem non prohibere, quominus sacerdos a reservatis vere absolvat: anath. sit.“ —

Locorum Ordinarii peccata ne reservent, statuit Codex noster novus,[1] nisi re in Synodo dioecesana discussa vel extra Synodum auditis Capitulo Cathedrali et aliquot ex prudentioribus ac probatioribus suae dioecesis animarum curatoribus, vera reservationis necessitas aut utilitas comprobata fuerit.

Quae erant in singulis dioecesibus Reipublicae nostrae plus minusve peccata reservata, nunc fere ubique abrogata est eorum reservatio, excepta tantum

1. dioecesi Viennensi una cum annexa regione, quae „Burgenland“ vocatur, ubi in utraque ditione casus est reservatus unicus: copula incestuosa cum consanguineis vel affinibus primi gradus;

2. dioecesi Seccoviensi (Graz) ubi sunt casus reservati: α) perjurium coram judice sive ecclesiastico sive laico solemniter et scienter emissum, β) homicidium voluntarium per actum exteriorem;

3. dioecesi Gurcensi, cujus episcopo hucusque sequentes sunt reservati casus: α) homicidium quodcunque voluntarium, β) violenta manuum in proprios parentes injectio, γ) bestialitas, δ) perjurium in re gravi cum clara scientia et libertate plena coram judicio ecclesiastico vel civili solemniter emissum.

Ne vero occasione harum reservationum salus aeterna confitentium periclitetur instituitur quivis confessarius instrumento jurisdictionis, ut supradictorum criminum reos, nunc tamen probe dispositos, absolvere

[1] Can. 895.

statim possit, si aliqua ex sequentibus verificetur conditio: 1. si denegata absolutione diffamatio poenitenti immineat; 2. si poenitens pro absolutione obtinenda aut nullatenus aut non facile post breve tempus redire possit ad confessarium; 3) si idem propter peractam confessionem generalem circa vitae praeteritae periodum aut propter specialem animi timiditatem vel specialia poenitentiae signa mitius tractari posse videatur; 4. si poenitens reservationem hucusque ignoravit, circa quam tamen idem semper nunc instrui debet.

Nr. 338. **Poenitentia, in qua potestas clavium exercetur, est verum novae legis sacramentum, a Baptismo distinctum.**

Est sacramentum; nam 1° exercitium potestatis clavium omnes conditiones sacramenti prae se fert: signum externum, institutionem Christi, adnexam gratiam.

2° Patres testantur, peccata remitti per externum sacerdotis ministerium, quod tamquam sacramentum describunt.

3° Confirmatur praescriptionis argumento: cum Protestantes exorti sunt, totus christianus orbis Poenitentiam verum novae legis sacramentum esse credebat, et universalis illa fides nullo unquam post Apostolos tempore inducta fuit, quod facillimum est comprobare; ergo a Christo et ab Apostolis derivata est.

Est distinctum a Baptismo; patet hoc 1° ex praxi Apostolorum, qui peccatores non revocant ad Baptismum, sed ad Poenitentiam, ut constat de Simone Mago et incestuoso Corinthio.

2° ex Patribus, qui distinguunt haec duo sacramenta tum nomine tum re. Augustinus[1] e. gr. de homicidio loquens: Si a catechumeno factum est, aut, Baptismo abluitur; si a baptizato, poenitentia et reconciliatione sanatur.

3° ex natura horum sacramentorum, quae quoad omnia differunt, ut explicat Trident. Sess. 14, cap. 2: α) alia est utriusque materia et forma; β) Poenitentiae minister essentialis est sacerdos, Baptismi non item; γ) Minister agit hic ut judex, non sic in Baptismo;

[1] Libr. 2 de adult. conjug.

δ) hic imprimit characterem ac iterari non potest, non item Poenitentia; ε) Baptismus delet peccatum originale et omnia actualia ante Baptismum commissa, Poenitentia solum peccata post Baptismum patrata; ζ) Baptismus est necessarius ad salutem in re vel in voto omnibus extra casum martyrii, Poenitentia iis tantum, qui post Baptismum relapsi sunt.

Objicitur quidem quod 1° in scriptura constanter, e. gr. Act. 2, 3 Poenitentia cum Baptismo conjugatur et 2° juxta ss. Patres remissio omnium peccatorum, etiam post Baptismum commissorum, Baptismati adscribenda sit, quod neutrum esse posset, si haec duo sacramenta ab invicem essent distincta; ast in locis s. scripturae huc spectantibus poenitentia ut virtus, non ut sacramentum respicitur: ss. Patres vero illam remissionem Baptismati ut causae remotae et conditioni praerequisitae ad aliorum sacramentorum adeoque etiam Poenitentiae validitatem atque efficaciam adscribunt.

Nr. 339. **Materia** hujus sacramenti et quidem remota, seu potius removenda, scilicet materia *circa quam* sunt omnia peccata post Baptismum commissa, sive jam confessa fuerint sive non, cum hoc tamen discrimine, quod mortalia jam confessa dimissaquae et venialia sint materia libera; mortalia vero nondum confessa sint marteria necessaria, quia sine Sacramento in re vel saltem in voto remitti nequeunt.

Materia proxima, quam hic etiam quasimateriam vocant, sunt tres actus poenitentis: contritio, confessio et satisfactio, quorum tamen duo priores ad essentiam sacramenti pertinent, tertius vero ad integritatem tantum.

Distinguitur enim pars intrinseca duplex: essentialis et integralis. Pars *essentialis* est ea, sine qua compositum non potest esse simpliciter, ut caput respectu hominis; pars *integralis* est ea, sine qua compositum potest quidem esse, sed non potest esse integrum, ut manus respectu hominis. Talis autem est satisfactio respectu Poenitentiae, cum sine illa ponatur quidem sacramentum ejusque effectus primarius, nempe justificatio, sed integritate sua careat sacramentum.

Appellantur autem, inquit Catechismus Romanus,[1] quasimateria, non quia verae materiae rationem non habeant: sed quia ejus generis materia non sit, quae extrinsecus exhibeatur, ut aqua in Baptismo, Chrisma in confirmatione etc.

Nr. 340. **Forma** hujus sacramenti sunt verba absolutionis a sacerdote prolata, et quidem dicit confessarius apud Latinos: *Ego te absolvo* etc.; apud Graecos vero, si est presbyter: *Habeo te venia donatum*, si episcopus: *Mea mediocritas habet te venia donatum*, quod, juxta eorum praxin, idem sonat ac; Absolvo te a peccatis; quibus quidem de Ecclesiae sacro more preces quaedam laudabiliter adjunguntur, ad ipsius tamen formae essentiam nequaquam spectant, neque ad ipsius sacramenti administrationem sunt necessariae, ut post Florentinum expresse Tridentinum docet.

Ex eo, quod forma Poenitentiae sint verba: Ego te absolvo etc., patet simul α) absolutionem nec scriptis posse dari, cum forma constet essentialiter verbis humana voce prolatis, nec β) posse dari absenti, quia pronomen „te“ supponit personam loquenti praesentem. Unde Clemens VIII. hanc propositionem: „Licet per litteras seu internuntium Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri et ab eodem absolutionem obtinere“ ut falsam, temerariam et scandalosam damnavit ac prohibuit sub poena excommunicationis latae sententiae ea uti in praxi.

Nr. 341. Praeter formam modo allatam indicativam altera, multoties a Graecis usitata, exstat, quae **deprecativa** dicitur, quia effertur per modum orationis, qua minister poenitenti veniam a Deo precatur, his fere verbis: *Tu, Domine, condona peccata servi tui N. N., quia tua est potentia* etc. — Joannes Morinus[2] asseruit et vindicare conatus est, per prima duodecim saecula non solum in graeca sed etiam in latina Ecclesia solam formam deprecativam adhibitam fuisse.

Dum theologorum pauci putant, eam validam esse nostra etiam aetate, plurespue allii docent, formulam absolutionis verbis deprecatoriis conceptam nunc etiam

[1] Cap. 5, q. 13.
[2] Comment. hist. de discipl. administr. poenit, lib. 8.

valere apud Graecos, sed non amplius validam esse apud Latinos: negant plurimi, valorem formae deprecativae non concedentes, ipsum factum historicum illius usus contenduntque formulis deprecativis a Morino allatis semper fuisse absolutionem indicativam adjunctam. Quodsi in ritualibus Latinorum vel euchologiis Graecorum indicativa deest, hujus, inquiunt, omissionis ratio est, quod prioribus Ecclesiae saeculis sacramentorum formae, sicut alia mysteria, juxta disciplinam arcani non scripto sed viva voce tradebantur, ne ethnicis aut impiis facile innotescerent atque irridendi sacramenta occasionem darent.

Qui in quaestione facti sequuntur Morinum, affirmant validam esse posse formam deprecativam, dum alii etiam quoad jus formam indicativam ut tutiorem et veriorem defendunt, hunc in modum ratiocinantes: Christus instituit, ut sacerdos verbis exprimeret, se ipsum peccata remittere, non vero praecise peccata a Deo remitti; uti enim Dominus discipulis suis dixit: *euntes docete omnes gentes baptizantes eos etc.*, ita dixit Petro: *quodcumque solveris super terram*: si ergo sacerdos, auctoritate illorum verborum Christi fretus, dicit: *ego te baptizo*, eadem auctoritatae dicere debet in hoc sacramento: *ego te absolvo.*

Nr. 342. **Effectus** sacramenti Poenitentiae secundum Trident. cap. 3 est „reconciliatio cum Deo", singillatim itaque: 1. remissio omnis culpae et poenae aeternae, imo quandoque totius poenae temporalis; 2. reviviscentia virtutum et bonorum operum sive meritorum, quae peccato erant mortificata; 3. gratia sanctificans; 4. gratia proprie sacramentalis, quae, juxta probabiliorem sententiam, est jus quoddam gratiae sanctificanti adnexum ad gratias actuales opportuno tempore recipiendas, quibus peccator justificatus possit deinceps vitare peccata et in bono proficere ac perseverare; 5. conscientiae pax est serenitas cum vehementi spiritus consolatione.

Hos autem effectus homo assequi non potest, nisi ponat hujus sacramenti quasimateriam, ut constat ex Tridentino can. 4: „Si quis negaverit, ad integram et perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in poenitente, quasi-materiam sacramenti Poenitentiae,

videlicet: *contritionem*, *confessionem*, *satisfactionem*, quae tres Poenitentiae partes dicuntur. anath. sit."

De singulis ergo distinctius ex ordine agamus necesse erit.

Contritio.

Nr. 343. **Contritio** est ipsamet poenitentiae virtus, quae a Tridentino sess. 14, cap. 4 **definitur:** „Animi dolor ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de caetero," cui definitioni addi debent: „et voto confitendi ac satisfaciendi," ut habeatur definitio, prout legi evangelicae est propria.

Tria ergo in vera contritione necessario reperiri debent, nempe: animi dolor, id est, tristitia voluntatis; detestatio, id est, odium et displicentia de peccato; propositum, quod juxta probabiliorem sententiam debet esse formale et explicitum, nam implicitum includitur jam in dolore ac detestatione.

Contritionis dotes seu proprietates necessariae, ut ad remissionem peccatorum mortalium valeat, sunt quatuor; debet esse contritio:

1° vera ac interior, in corde ergo, non vero tantum in sensibus et in labiis;

2° supernaturalis tum ex parte principii tum ex parte motivi, ac propterea elicita α) auxilio gratiae elevantis et β) ex motivo per fidem proposito atqua simul ad Deum aliquatenus impellente;

3° universalis, ita ut ad omnia peccata mortalia generatim se extendat et nullum prorsus excludat, quia unum mortale non potest remitti sine alio, cum nequeat vel de uno mortali vera poenitentia concipi, quin de omnibus ob idem motivum concipiatur;

4° summa, non quidem *intensive*, cum intensio graduum non sit in potestate hominis, sed debet esse summa *appretiative*, ita ut peccator detestetur peccatum suum super omnia alia mala.

Nr. 344. Contritio **dividitur** ab ipso Tridentino in cap. 4to in *perfectam* et *imperfectam:*

haec, quae etiam **attritio** vocatur, est animi dolor ac detestatio de peccatis commissis, cum proposito non

peccandi in posterum, procedens ex metu poenarum et gehennae vel ex alio motivo supernaturali a perfecta charitate diversum;

illa, quae etiam **contritio** simpliciter audit, ea est, quae ex perfecta charitate procedit. — Charitas etenim, quae ergo in hac contritione adinstar formae se habet duplex distinguitur: α) *amor benevolentiae* seu amicitiae, quo Deus super omnia diligitur propter se; β) *amor spei* seu concupiscentiae, quo Deum diligimus propter nos, quique actus, cum primarie et directe feratur in nostram beatitudinem, indirecte et secundarie in Deum, est amor mercenarius et imperfectus, qui ad charitatem perfectam non sufficit, nisi fors [simul ex gratitudine propter infinita Dei beneficia elicitus sit.

Contritio perfecta porro oriri potest *vel* ex formali charitate, scil. ex charitatis actu formaliter elicito, ut e. gr. si Dei bonitatem considerando illum super omnia diligam et hinc offensam ejus super omnia mala detester; *vel* ex charitate virtuali scil. ex motivo charitatis, ut si e. gr. ex consideratione divinae bonitatis in se ipsa ad detestandum peccatum tantae bonitati contrarium immediate adducar, quin formalem charitatis actum tunc reipsa eliciam.

Nr. 345. **Contritio charitate perfecta hominem statim justificat, licet non sine sacramenti voto; non est ergo necessaria ad poenitentiae sacramentum rite suscipiendum.**

Thesis est *fidei proxima* α) ex Trident. sess. 14. cap. 4 docente: „Contritionem, quam aliquando charitate perfectam esse contingit, hominem Deo reconciliare priusquam sacramentum actu recipiatur . . . Ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam;" β) ex pluribus damnatis propositionibus Baji, praesertim ex 1ta: „Homo existens in peccato mortali sive in reatu damnationis potest habere veram charitatem."

Probatur:

1° ex SS. Litteris. Proverb. 8, 17: *Ego diligentes me diligo*: Luc. 7. 47: *Remittuntur ei peccata multa,*

quoniam dilexit multum; 1 Petr. 4, 8: *Charitas operit multitudinem peccatorum.*

2° ex Patribus. Chrysostomus:[1] „Sicut ignis in silvam ingressus omnia purgare solet, sic dilectionis fervor, quocunque inciderit, omnia tollit et exscindit. Ubi charitas est, omnia sublata sunt mala."

3° ex natura Poenitentiae, quod sacramentum juxta Trident. can. 3 et 9 primarie ordinatur ad gratiam sanctificantem primam ex opere operato conferendam: ergo per se non requirit contritionem perfectam, per quam gratia prima ante opus operatum obtinetur, licet non sine sacramenti voto.

Requiri autem sacramenti votum patet ex eo, quod Christus praeceperit peccata omnia subjicere clavibus: jam vero nemo charitatem perfectam habere potest, nisi paratus sit ad omnia mandata observanda.

Nr. 346. **Attritio concepta ex timore simpliciter servili bona est et utilis.**

Timor distinguitur: α) mundanus seu timor poenarum ab hominibus infligendarum, inducens in peccatum, ut vitentur; β) filialis seu timor peccati, eo quod sit offensa Dei super omnia propter se dilecti; γ) servilis seu timor poenarum a Deo infligendarum et propterea sic vocatus, quia proprium est servorum poenam timere et ex illo solo metu agere.

Hic nunc timor iterum duplex est, nempe *simpliciter servilis*, vi cujus homo non solum ab opere peccaminoso abstinet, sed ipsum affectum peccati absolute deponit; alter vero *serviliter servilis*, cum quis opus devitat, quin voluntatem pravam deponat, ac proinde ita dispositus est, ut vellet peccare, si poenae non essent.

Contra Lutherum, qui docuit, attritionem ex solo metu gehennae conceptam vitiosam esse ac hominem magis peccatorem et hypocritam facere, thesis nostra **probatur:**

1° ex s. Scriptura. Matth. 10, 28: *Timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam;* Christus ergo ipse hunc timorem inculcat.

[1] Hom. 7 in 2 Timoth.

2° ex Patribus. Augustinus ex. gr. dicit:[1] *Onus est, ut intret timor primo, per quem veniat charitas: timor medicamentum, charitas sanitas.*

3° ex Tridentini declaratione in cap. 4 prius allegato: „Attritionem non solum non facere hominem hypocritam et magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse et Spiritus sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo poenitens adjutus viam sibi ad justitiam parat."

Ex dictis **consequitur**, quod contritio et attritio in duobus ab invicem differant: 1° *in motivo*: nam contritio perfecta concipitur ex perfecto Dei amore charitatis, attritio vero vel ex supernaturali turpitudinis peccati consideratione vel ex gehennae et poenarum metu: 2° *in effectu*: contritio enim perfecta cum solo sacramenti voto justificat, non vero attritio, ut Tridentinum expresse tradit.

Confessio.

Nr. 347. **Confessio**, altera sacramenti Poenitentiae pars, **definitur**: „Accusatio suorum peccatorum soli confessario facta ad remissionem eorum virtute absolutionis impetrandam."

Confessio igitur non est historica narratio sive ad animum levandum, sive ad petendum auxilium sive ad utcumlibet aliud finem facta, sed est accusatio, quae fit ab ipso reo coram judice cum in finem, ut sententia aliqua feratur. — Confessionis necessitatem negant imprimis *novatores* saeculi 16i, eorum tamen nonnulli illius conservant utilitatem et etiam factum, quod fuerit olim usitata.

Modo supra allegata constitutio, quae in Corpore ex. can. capitulum „Formosam" sonat[2] cum c. 7 Codicis can. 906 ad verbum repetitur omnissis autem verbis „*proprio sacerdoti*", cui confessio olim erat facienda, eo magis, cum in can. 905 praecedente statuitur: „Cuivis fideli integrum est confessarium legitime approbatum etiam alius ritus, cui maluerit, peccata sua confiteri."

[1] Tract. 9 in Epist. Joan. [2] Cf. c. 12 X. V. 38.

Memoratu haud indigna videtur hujus canonis s. Alphonsi interpretatio.[1] secundum quam illud praeceptum ei non accidit. cujus conscientia solummodo peccatis levioribus minime vero peccato gravi oneratur, cum communio paschalis, non vero confessio paschalis sit praescripta: praecepto satisfit *annua* confessione, licet extra tempus paschale.

Nr. 348. **Confessio sacramentalis est a Christo instituta, et jure divino necessaria ad salutem.**

Est *de fide* ex Trident. sess. 14, can. 6: „Si quis negaverit confessionem sacramentalem vel institutam vel ad salutem necessariam esse jure divino; aut dixerit modum secrete confitendi soli sacerdoti quem, Ecclesia catholica ab initio semper observavit, alienum esse ab institutione et mandato Christi et inventum esse humanum: anath. sit."

Probatur:

1° ex verbis Christ. *Quorum remiseritis peccata* etc., quibus Apostolos ac sacerdotes constituit judices, qui vero officium eis demandatum incognita causa proindeque sine poenitentis confessione exercere non possent.

2° ex SS. Patribus, qui in scriptis suis Ecclesiae traditionem et praxin retro usque ad saeculum primum hac in re nobis demonstrant. Loquuntur autem non tantum de poenitentia publica, ut Protestantes contendunt, sed de privata quoque: nam poenitentia publica non ad omnia et singula etiam occulta se extendebat et praeterea privatam semper praesupponebat. Hinc s. Leo ep. 136 expresse scribit: Ex apostolica regula sufficit confessio secreta, in qua remedia afferuntur poenitentibus.

3° ex praescriptione: Quum Ecclesia latina cum graeca et sectis orientalibus hac in re consentiat, consequitur dogma de confessione jam ante discessum istarum sectarum in Ecclesia viguisse et jam saeculo 4to vel 5to creditum fuisse ac proinde a Christo et Apostolis derivandum esse, nisi demonstretur, habuisse aliquod initium post Apostolos; atqui hoc secundum asseri non potest, nam α) hujusce mutationis seu no-

[1] Theol. mor. VI. n. 667.

vitatis antiquitus inductae nullum superest vestigium: β) mutatio tanti momenti in Ecclesia sine gravissimis, publicis et diuturnis dissidiis, quorum monumenta profecto exstarent aliqua, fieri non potuisset; imo γ) mutatio haec, utpote adeo hominibus onerosa, humana potestate fieri non potuissot, ita ut ab omnibus acceptaretur et usu constanti sanciretur quemadmodum contigisse novismus.

Nr. 349. **Confessio sacramantalis etiam necessaria est de jure ecclesiastico**, saltem semel in anno, omnibus fidelibus adultis, e praecepto Codicis in can. 906: „Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis, id est ad usum rationis, pervenerit, tenetur omnia peccata sua saltem semel in anno fideliter confiteri."

Lex de confessione annua constituta est anno 1215 in conc. Lateran. IV. canone 21^o^ his verbis: „Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio sacerdoti . . . alioquin vivens ab ingressu Ecclesiae arceatur et moriens christiana careat sepultura." Et conc. Trident. sess. 14. can. 8 cum anathemate perentit, qui dixerit ad confessionem non teneri „omnes et singulos utriusque sexus Christi fideles juxta magni concilii Lateranensis constitutionem semel in anno."

Nr. 350. **Conditiones ad legitimam confessionem** quinque omnino requiruntur: debet esse

1. vocalis et praesenti facta, idque ordinarie formaliter, ut nempe oretenus fiat,

2. simplex et discreta, accurate et brevi oratione statum internum exponens, neminemque alium laedens;

3. vera et sincera, non artificiose composita, quae nos sacerdoti tales aperiat, quales nos ipsos novimus, certaque pro certis ac dubia pro dubiis demonstret;

4. humilis, ita ut peccata non excusemus, non in alios, aut in defectum gratiae vel in daemonem rejiciamus, sed nostrae duntaxat malitiae tribuamus;

5. integra, quae conditio, prae omnibus necessaria, accuratius exponi desiderat.

Nr. 351. Confessionis **integritas** duplex distinguitur: formalis una, materialis altera.

Materialiter integra est confessio, qua omnia peccata commissa quoad numerum, speciem et circumstantias sive speciem peccati mutantes, sive malitiam peccati insigniter augentes manifestamus:

formaliter integra est confessio, qua poenitens sincere omnium peccatorum perpetratorum se accusare desiderat ac vult, quamvis, forsan non omnia exponat, cum omnium ex ignorantia invincibili non recordetur vel alia de causa, e. gr. moribundus, ea confiteri non possit.

Licet ex praecepto divino affirmativo requiratur integritas materialis, ad valorem vero sacramenti **sufficit formalis,** dum materialis non potest praestari.

Est *de fide* ex Trident. sess. 14, can. 7: „Si quis dixerit, in sacramento Poenitentiae ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino confiteri omnia et singula peccata mortalia, quorum memoriam cum debita et diligenti praemeditatione habeatur, etiam occulta, et circumstantias quae peccati speciem mutant . . . anath. sit."

Peccata venialia exinde sunt tantum materia libera confessionis. De eorum remissione haec sunt tenenda:

Nr. 352. **Causae ab integritate materiali confessionis excusantes** eaedem sunt, quae generatim a lege excusant nempe: 1. ignorantia et oblivio inculpata; 2. impotentia physica et moralis.

Impotentia physica seu omnimoda impossibilitas confitendi omnia peccata, adesse censetur α) in *mutis*, β) in *omnino surdis*, qui tenentur quidem confiteri peccata, quorum memoriam habent, quin tamen confessarius teneatur, eos interrogare, et proinde nec ipsi respondere. γ) in *ignaris idiomatis*, quo utitur confessarius. δ) in *moribundis* usu linguae destitutis, de quorum confessione et absolutione theologia pastoralis omnia scitu necessaria exponit.

Impotentia moralis, quae in rebus humanis physicae aequivalet, nil aliud est, quam grave et extrinsecum incommodum sive spirituale sive temporale

imminens poenitenti vel confessario vel tertio, quando adest gravis causa hic et nunc confitendi.

Spectat huc: α) *periculum vitae*, quod aut confessario aut poenitenti imminet, e. gr. si adveniant hostes, si multi in periculo naufragii vel contagii versentur; β) *penuria temporis*, v. gr. si milites statim ad pugnam pergere debeant: si multi moribundi sint in hospitali et confessarius nequeat omnium confessiones integras excipere, quin aliqui sacramento priventur; si urgeat necessitas communicandi vel celebrandi et non suppetat tempus ad confessionem integram; γ) *periculum revelationis*, si sacerdos nequeat integre confiteri, quin peccata in confessione audita manifestans sigillum sacramentale violet.

Satisfactio.

Nr. 353. **Satisfactio** est voluntaria poenae a confessario injunctae toleratio ad reparandam injuriam Deo per peccatum illatam expungendamque poenam temporalem.

Satisfactio, quae generatim est cujuscunque debiti solutio, duplex distinguitur: 1. sacramentalis, quam imponit sacerdos, 2. non sacramentalis, quam ipse poenitens assumit vel acceptat a Deo immissam.

Utraque dividitur: α) in *vindicativam*, quae tendit ad punienda peccata; β) in *medicinalem*, quae datur vel assumitur ad praecavenda peccata.

Satisfactio sacramentalis, de qua tantum nobis sermo, non solum ex opere operantis, sed etiam ex opere operato sortitur suum effectum. Ei autem fundamenti instar sequentia inserviunt principia:

Nr. 354. **Non tota simul poena cum culpa semper remittitur a Deo, sed plerumque poena aeterna cum culpa sublata poena temporalis remanet exsolvenda.**

Est *de fide* contra Protestantes contendentes, una cum culpa semper remitti omnem poenam, ex Trident. sess. 14, can. 12: „Si quis dixerit, totam poenam simul cum culpa remitti semper a Deo, satisfactionemque poenitentium non esse aliam quam fidem, qua apprehendunt Christum pro eis satisfecisse, anath. sit."

Probatur:

1° ex plurimis Scripturae exemplis: v. gr. *protoparentum*, qui peccati poenitentia peracta, multis nihilominus aerumnis per totius vitae annos correpti sunt; *Israëlitarum*, qui in vindictam peccati obmurmurationis jam remissi in deserto perierunt et terra promissa exclusi sunt; vel *Davidis*, qui punitus est morte filii in vindictam adulterii et homicidii, quorum veniam jam impetraverat.

2° ex Patribus; s. Augustinus:[1] „Productior est poena, quam culpa, ne parva putaretur culpa, si cum illa finiretur et poena."

3° ex rationibus convenientiae: α) peccata a baptizatis commissa majoris sunt malitiae, quam quae ante susceptum Baptisma patrantur: severius propterea tractetur ille, qui aliquando filius Dei adoptivus mortaliter peccavit, ac difficilior ei fiat remissio et satisfactio: β) Christus caput nostrum satisfecit: congruum, ut et membra satisfaciant; γ) facilius praeservamur a futuris peccatis, si punimur pro perpetratis.

Objiciunt quidem: doctrinam cath. de residuo poenae componi nequit cum vera remissione culpae, prout eam SS. Litterae exhibent, v. gr. Jerem. 31, 34, ubi Deus ita peccata remittere dicitur, ut eorum amplius *non recordetur*. — Attamen vera remissio culpae, quae utique consistere nequit cum odio inimicitiae contra personam delinquentem, perbene conciliatur cum odio vindictae, vi cujus ex amore justitiae post remissam culpam aliqua tamen poena delinquenti infligitur; sicque in sacramento Poenitentiae res se habet, quia, ut communiter doctores loquuntur, *non tollit cum culpa etiam poenam, quae peccato debetur, sed aeternam mutat in temporalem.*

Nr. 355. **Hae poenae temporales peccatis debitae in hac vita piis et laboriosis operibus redimi possunt.**

Est *de fide* ex Trident. sess. 14, can. 13: „Si quis dixerit, pro peccatis quoad poenam temporalem minime Deo per Christi merita satisfieri poenis ab eo inflictis et patienter toleratis, vel a sacerdote injunctis,

[1] Tract. 124 in Joan n. 5.

sed neque sponte susceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemonsynis vel aliis etiam operibus: atque ideo optimam poenitentiam esse tantum novam vitam: anath. sit."

Probatur:

1° ex Scripturae verbis et factis. Daniel 4, 24: *Peccata tua eleemosynis redime et iniquitates tuas misericordiis pauperum;* Ninivitae eisdem mediis praedictum post quadraginta dies urbis excidium effugerunt; Manasses rex poenitentia veniam a Domino impetravit etc.

2° ex Patribus. Tertullianus:[1] „In quantum non peperceris tibi, in tantum tibi Deus parcet;" s. Augustinus:[2] „Quia impunitum non debet esse peccatum, puniatur a te, ne puniaris pro illo."

3° ex perpetuo Ecclesiae usu opera poenitentibus satisfactoria imponendi.

Hàc autem doctrinà minime, ut Protestantes assiliunt, plenitudini detrahitur satisfactionis Christi: nam *ipsius* satisfactio nobis non applicatur citra cooperationem nostram et alias conditiones servandas, inter quas est etiam satisfactio poenitentis, quae tamen ex Trident. cap. 8 non ita est nostra „ut non sit pre Christum Jesum, in quo meremur, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos poenitentiae, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri et per illum acceptantur a Patre."

Nr. 356. Cum aliter in Deum non peccetur, quam inordinato amore seu cupiditate trium bonorum, in quibus nimium nobis indulsimus, scilicet animae, corporis et fortunae; aliter quoque Deo satisfieri non potest, quam aliqua illorum bonorum detractione et circumcisione, quod non exequimur sine labore et dolore.

Exinde **opera satisfactoria** quoque ad **tria** quasi genera reducuntur, quae jam sunt:

1. oratio, in qua intelligitur, quidquid ad cultum Dei pertinet;

2. jejunium, ad quod omnia opera abnegationis referuntur;

[1] Lib. ad Martyr c 2. [2] Serm. 20, n. 2, cf. Enarr in Ps. 50.

3. eleemosyna, qua voce omnia opera charitatis erga proximum complecti solent.

Porro, quia peccatum est aut contra Deum, aut contra nosmet ipsos, aut contra proximum, et remedium parimodum nobis illa opera satisfactoria praebent, cum per jejunium *nos ipsos* castigamus, per eleemosynam *proximo* succurrimus et per orationem *Deum* honoramus.

Nr. 357. **Possunt et per se debent ministri Poenitentiae convenientes satisfactiones poenitentibus imponere,** ex mandato Codicis in can. 887: „Pro qualitate et numero peccatorum et conditione poenitentis salutares et convenientes satisfactiones confessarius injungat: quas poenitens volenti animo excipere atque ipse per se debet implere."

Est *de fide* ex Trident sess. 14, cap. 8: „Debent sacerdotes Domini, quantum spiritus et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum et poenitentium facultate salutares et convenientes satisfactiones injungere." nec non can. 15: „Si quis dixerit, claves Ecclesiae esse datas tantum ad solvendum non etiam ad ligandum, et propterea sacerdotes, dum imponunt poenas confitentibus, agere contra finem clavium et contra institutionem Christi, et fictionem esse, quod virtute clavium, sublata poena aeterna, poena temporalis plerumque exsolvenda remaneat: anath. sit."

Probatur:

1° ex verbis institutionis Joan. 20, quibus non solum sacerdotibus potestas est collata remittendi peccata, sed eadem etiam retinendi: retinent autem quoad reatum poenae temporalis, cum poenitentibus muletam imponunt.

2° ex ratione, cui elucet, tribunal Poenitentiae se conformare debere tribunali divino, imo quodammodo identicum cum illo esse: atqui Deus ex demonstratis absolvit quidem poenitentem a culpa et poena aeterna, sed eum obstringit communiter ad aliquam poenam temporalem. Similiter ergo sacerdos se gerere potest et debet, idque eo magis, quia confessarius, non solum judicis, sed etiam medici munus obiens, satisfactionem uti ratione vindictae sic et medicinae imponere debet.

Nr. 358. **Poenitens satisfactionem impositam acceptare tenetur.** Colligitur 1° ex Tridentini jam supra[1] allegato canone: si ergo deesset satifactio, sacramentum non foret integrum, quia aliqua pars deesset.

2° Sacerdotis officio, satisfactionem a poenitente exigendi, respondet in poenitente officium, satisfactionem impositam acceptandi.

3° ex traditione practica, quae in constanti et universali Ecclesiae usu opera satisfactoria poenitentibus imponendi manifestatur.

Satisfactionem impositam poenitens implere tenetur tempore a confessario praescripto, quia determinatio temporis includitur in praecepto. Quod si tempus non fuerit determinatum, tenetur illam implere quamprimum commode fieri potest: nam id exigunt Sacramenti integritas et ratio debiti ac medicinae.

De indulgentiis.

Praeter satisfactionem propriam seu *ex propriis* pro poenis temporalibus, quae plerumque poenâ aeterna cum culpa sublata adhuc solvendae remanent, divinae largitatis extensione datur fidelibus aliud adhuc medium solvendi sua debita, nempe satisfactio, *ex alienis*, quae fit per orationes et bona opera aliorum fidelium et praesertim per **indulgentias.**

Circa Indulgentias *adversati* sunt Montanistae, Waldenses, Wicleffitae, Protestantes, qui potestatem eas concedendi Ecclesiae denegarunt. Janseniani autem et Neoterici non pauci germanam Indulgentiarum notionem temerarunt, eas ad solam poenitentiae canonicae relaxationem coarctando, veluti Scholasticorum commentum traducendo, et valere pro defunctis negando.

Nr. 359. Indulgentia, quae **definitur**: Remissio poenae temporalis debitae pro peccatis quoad culpam remissis, a legitimo ministro extra sacramentum Poenitentiae facta per applicationem thesauri Ecclesiae.

dividitur 1. in plenariam et partialem, 2 in personalem, localem et realem, et 3. in perpetuam et temporalem.

[1] Cf. pag. 420, Nr. 342.

Per *plenariam* remittitur tota poena purgatorii, ut fert communis sententia et constat ex Clemente VI. et Bonifacio VIII., qui eam comparat cum remissione, quae fit in Baptismo: per indulgentiam *partialem* dimittitur directe et proxime poena canonica, remote vero tanta poena purgatorii, quanta per poenas illas expiata fuisset.

Personalis est ea, quae directe datur in gratiam certarum personarum, e. gr. religionem profitentium; *localis*, quae annexa est certo loco sacro e. gr. ecclesiae, altari; *realis* vero, quae annexa est certae rei, e. gr. imagini, numismati.

Perpetua denique et *temporalis* dicitur, quatenus pro determinato tempore vel indefinite conceditur.

Plenaria indulgentia ita concessa intelligitur, ut si quis eam plenarie lucrari non possit, eam tamen partialiter lucretur pro dispositione quam habet.[1]

Si indulgentia plenaria conceditur quotiescumque hoc vel illud (praescriptum) opus bonum perficiatur, vocatur talis indulgentia **„toties—quoties“**.[2] Ubi vero hujusmodi concessio non expresse statuitur, indulgentia plenaria potest semel tantum in die acquiri, etsi idem opus praescriptum pluries ponatur;[3] partialis indulgentia, nisi contrarium expresse notetur, potest saepius per diem, eodem opere repetito, lucrifieri.[4]

Nemo indulgentias acquirens potest eas aliis in vita degentibus applicare; animabus autem in purgatorio detentis indulgentiae omnes a Romano Pontifice concessae, nisi aliud constet, applicabiles sunt.[5]

Pro die Commemorationis omnium fidelium defunctorum concessit Papa Pius X. d. dto. 25. Junii 1914 indulgentiam toties quoties, quae tantummodo animabus defunctorum applicari, acquiri vero potest a meridie diei praecedentis usque ad initium diei 9. Novembris.[6]

---

[1] Codicis can. 926. [2] Toties—quoties = indulgentiae concessae sunt Carmelitis in die 16. Julii, Trinitariis in festo St. Trinitatis, Servitis in Dominica 7 dolorum B. M. Virginis, Franciscanis in die 2. Augusti. Benedictinis in die Commem. omnium fidel. defunctorum. [3] Can. 928, § 1 [4] Can. 928, § 2. [5] Can. 930. [6] Cf. Monitore Ecclesiastico 26, 244.

Die Commemorationis omnium fidelium defunctorum omnes Missae gaudent privilegio ac si essent ad altare privilegiatum celebratae,[1] quae vox dicere vult, quod nobis jam ex jure can. notum est: per missae celebrationem applicari posse indulgentia plenaria fidelibus defunctis.

Nr. 360. Ad indulgentiam plenariam revocandum est **Jubilaeum.** quod a Christi fidelibus peregrinatione ad limina Apostolorum ibique visitatione quarundam ecclesiarum durante anno sancto lucrari potest quodque ab aliis indulgentiis plenariis non differt, nisi propter privilegia annexa, ex. gr. absolvendi a reservatis, commutandi vota.

Distinguitur jubilaeum *ordinarium* seu jubilaeum majus, quod nunc inde ab anno 1475 quovis anno 25. recurrit: et *extraordinarium* seu jubilaeum *minus*, quod summus pontifex in peculiaribus adjunctis concedit. Concedi solet primo soli Urbi, per integrum annum durans, qui *annus sanctus* vocatur; deinde ad universum orbem per tempus brevius extenditur.

Jubilaeum primum edicebatur a Papa Bonifatio VIII. pro anno 1300 ea lege, ut in posterum post 100 annos semper iteretur, quod vero intervallum multo longius diminuebatur a Clemente VI. ad 50, ab Urbano VI. ad 33, a Paulo II. ad 25 annos, quae constitutio postrema jus suum usque ad dies hodiernos retinuit, dum simul mos — a Papa Alexandro VI. introductus — invaluerat, anno insequenti concedendi jubilaei indulgentiam per aliquot, tralaticie per 6 menses, universo terrarum orbi, sine ulla temporali compensatione praestanda.

Quo magis alliciantur fideles ad peregrinationem romanam suscipiendam et ad jubilaeum in Urbe lucrandum durante anno sancto suspenduntur ubique indulgentiae tum plenariae tum partiales a Romano Pontifice concessae, quae autem elapso anno sancto iterum reviviscunt.

At non suspenduntur:[2]

1° indulgentia concessa in articulo mortis.

---

[1] Can. 917, § 1.

[2] Cf. S. C. Indl. 16. Decembr. 1749, n. 182

2° indulgentiae pro oratione *Angelus Domini* concessa,
3° indulgentia *Portiunculae* Assisii lucranda,
4° indulgentia partialis concessa pro visitatione SS. Sacramenti solemniter expositi in casu adorationis 40 horarum,
5° indulgentiae defunctis applicabiles immo omnes indulgentiae, quae alias a vivis tantum acquiri poterant, fideles eo anno pro defunctis lucrari possunt.

Adnot. Quando conceduntur indulgentiae v. gr. 40 vel 100 dierum, non significatur totidem purgatorii dies tolli; sed tantum debitae poenae condonari, quantum remissum fuisset per 40 vel 100 dies poenitentiae canonicae, qualis primis ecclesiae saeculis vigebat. Mensura igitur remissionis nobis ignota manet et maxime pendet a fervore, quo conditiones ad lucrandas indulgentias necessariae implentur.

Haec autem condonatio fit eo sensu quod Ecclesia ex superabundantibus Christi Sanctorumque satisfactionibus aliquid depromit, quod Deo offert ad solvenda nostra debita, vi naempe supremae jurisdictionis sibi a Christo concessae.

Nr. 361. **Datur in Ecclesia thesaurus infinitus constans ex meritis Christi et Sanctorum.**

Quae thesis est *proxima fidei* ex propositione 17ma Lutheri damnata: „Thesauri Ecclesiae, unde Papa dat indulgentias, non sunt merita Christi et sanctorum."

Constat vero thesaurus ille ex *meritis* Christi et Sanctorum latiore sensu intellectis, quatenus sunt *satisfactoria*. Omne nempe opus bonum est meritorium, quia fit ex charitate, et satisfactorium, quia est laboriosum et poenale. Quatenus est meritorium vitae aeternae, non potest aliis applicari; potest autem, prout est satisfactorium. Et satisfactio ipsa fit per modum meriti: hinc dicitur, thesaurum constare ex meritis, sub quibus intelliguntur satisfactiones, quae sensu latiori vocantur merita, quia satisfacere fit ad modum meriti.

Satisfactionibus Christi, quae sunt superabundantes et infiniti valoris, nihilominus Ecclesia satisfac-

tiones Sanctorum adjungit, quia: 1° aequum est, ut satisfactiones, quibus Sancti non indiguerunt, communicentur nobis, qui iisdem indigemus, idque ex communione Sanctorum; 2° hoc est gloriosum Christo Domino, siquidem ex ipsius meritis omnem suum vigorem et valorem habent merita Sanctorum, quae igitur cum tanti habeantur, Christus ipse honoratur; 3° id perhonorificum est ipsis Sanctis, qui tamquam socii cum Christo assumuntur ad solutionem et liberationem nostram.

Nr. 362. **Ecclesia habet potestatem concedendi indulgentias.**

Est *de fide* ex Trident. sess. 25: Decreto de Indulgentiis: „Cum potestas conferendi indulgentias a Christo Ecclesiae concessa sit atque hujusmodi potestate, divinitus sibi tradita, antiquissimis temporibus illa usa fuerit: sacrosancta synodus indulgentiarum usum, christiano populo maxime salutarem et sacrorum conciliorum auctoritate probatum, in ecclesia retinendum esse docet et praecipit; eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant."

Probatur:

1° ex s. Scriptura: Matth. 16. 19 ad Petrum: *quodcunque ligaveris super terram* etc. quibus verbis Domini aperte Petro dabatur potestas solvendi omne id, quod ab ingressu regni coelorum animas prohibeat: atqui reatus poenae ab eo prohibet; ergo —

2° ex usu perpetuo: sic Paulus incestuosum Corinthium ab imposita poenitentia anno vix expleto liberavit; antiquitus mos in Ecclesia viguit lapsis in persecutione ulteriorem poenitentiam relaxandi ad preces martyrum; Nicaenum I. can. 12 de poenitentibus statuit: *Licebit Episcopo de his aliquid humanius cogitare;* post saeculum VI. deprehendimus varias poenarum canonicarum commutationes in alia opera bona.

3° ex praescriptione: non potest hujus praxis assignari initium; ergo semper obtinuit et ab Apostolis initium accepisse credenda est.

Nr. 363. **Indulgentiarum usus populo christiano maxime est salutaris;** nam

1° hujusmodi usus consilio ipsius Christi respondet, qui ideo indulgentiarum potestatem dedit Ecclesiae suae;

2° salutare et utile est liberari a poenis et obstaculis, quae adoptionem summi boni retardant;

3° usus indulgentiarum confert ad accuratam infiniti illius thesauri aestimationem, qui meritis ac satisfactionibus Salvatoris constat.

4° ostendit pulcherrime communionem Sanctorum seu nexum et commercium inter membra Ecclesiae.

5° eximie juvat morale hominis bonum et sanctitatem, ut experientia, praesertim occasione Jubilaei, manifestum est.

Nr. 364. **Indulgentiae liberant fideles a reatu poenae non soium coram Ecclesia sed etiam coram Deo** — thesis *fidei proxima*, ut constat ex variis propositionibus damnatis, nimirum: 19ma Lutheri a Leone X. confixa; 40ma et 41ma synodi Pistoriensis a Pio VI. proscriptis, et Petri Oxomiensis 6ta damnata 1479 a Sixto IV.

Probatur:

1° iisdem supra allatis Scripturae locis, quibus patet non tantum dari potestatem solvendi, sed ita solvendi in terra, ut simul solutio rata habeatur in coelo;

2° ex Ecclesiae sensu, quae semper ea intentione concessit relaxationes;

3° ex ratione, a s. Thoma[1] allata: Ecclesia si indulgentias faceret tantum coram seipsa, non etiam coram Deo, magis damnificaret quam adjuvaret, quia remitteret ad graviores poenas, scil. purgatorii, absolvendo a poenitentiis injunctis; atqui tamen credere tenemur indulgentiarum usum salutarem esse: ergo.

Nr. 365. **Indulgentiae per modum suffragii animabus purgatorii applicari possunt.**

Propositio *certa*, ut patet ex damnatione propositionis 6ae Petri de Osma: „Papa non potest indulgere alicui viro poenam purgatorii," ac 42ae synodi Pistoriensis: „Luctuosius adhuc esse, quod chimerica isthaec

[1] Suppl. 2, 25. art. 1.

applicatio transferri volita sit in defunctos," quae a Pio VI. declaratur ut „falsa, temeraria, piarum aurium offensiva, in Romanos Pontifices et in praxin et sensum universalis Ecclesiae injuriosa, inducens in errorem haereticali nota in Petro de Osma confixum, iterumque damnatum in art. 22mo Lutheri."

Probatur:

1° ex dogmate, quo constat, suffragia viventium defunctis prodesse ex Tridentini sess. 25. Decret. de Purgatorio.

2° ex dogmate communionis Sanctorum.

3° ex auctoritate Rom. Pontificum, inter quos Joan. VIII. anno 878, et Joannes IX. anno 900 Indulgentias in suffragium defunctorum concesserunt.

4° ex universali Ecclesiae sensu et praxi concedendi Indulgentias tum vivis tum defunctis, cum hoc vero discrimine, quod vivis dentur per modum absolutionis juridicae, defunctis vero per modum suffragii satisfactorii, quia Ecclesia in eos jurisdictionem non habet. Ergo Ecclesia ipsis non immediate remittit poenam peccatis debitam, sed offert Deo pretium ex thesauro Ecclesiae, ut ipse remittat poenam suae justitiae debitam.

Nr. 366. Restat ut adhuc quasdam solvamus **quaestiones**: cui potestas concedendi indulgentias competat? an et qualis causa requiratur ad concedendum illas? at quaenam sint dispositiones necessariae ad lucrandas indulgentias ex parte subjecti?

1. Indulgentias concedere possunt summus *Pontifex* in tota Ecclesia, et *Episcopi* in suis Dioecesibus „secundum limitationem sacrorum canonum", ait Martinus V. in conc. Constantiensi, et Codex j. c. declarat in can. 912: Praeter Romanum Pontificem, cui totus spiritualis Ecclesiae thesauri a Christo Domino commissa est dispensatio, ii tantum possunt potestate ordinaria indulgentias elargiri, quibus id expresse a jure concessum est. Hi autem sunt

Cardinales, qui secundum can. 239, 21° gaudent facultate concedendi indulgentias ducentorum dierum, etiam toties quoties lucrandas, in locis vel institutis ac pro personis suae jurisdictionis vel protectio-

nis; item in aliis locis, sed a praesentibus solummodo, singulis vicibus, lucrandas.

Metropolita potest secundum can. 274, 1° in dioecesibus suffrageneis indulgentias centum dierum, sicuti in propria dioecesi, concedere.

Episcopi residentiales habent secundum can. 349, § 2, 2° a capta possessione jus concedendi indulgentias quinquaginta dierum in suae jurisdictionis locis.

Ex can. 1166, § 3 concedit Episcopus consecrator ecclesiae vel altaris, licet jurisdictione in territorio careat, indulgentiam unius anni ecclesiam vel altare visitantibus in ipsa consecrationis die; in die vero anniversaria quinquagrata dierum, si sit Episcopus; centum si Archiopiscopus, biscentum, si S. R. E. Cardinalis.

Abbates et praelati potestate indulgentias concedendi non pollent; multo minus parochis hoc jus competit.

2. In concedente, praeter potestem, requiritur causa pia et justa. Ratio est, quia Papa et Episcopi dispensatores sunt tantummodo, non domini Ecclesiae thesauri. Ut autem causa sit justa et rationabilis, necesse est, ut causa quandam habeat proportionem cum Indulgentia, quae conceditur. Secundum Card. Bellarminum ad talem causam requiritur: α) finis aliquis, cujus assecutio magis placeat Deo, quam satisfactio poenalis, quae per indulgentiam relaxatur; β) opus aliquod, quo revera finis ille probabiliter obtineri possit.

3. Conditiones in subjecto ad lucrandum requisitae sunt: 1° status gratiae, saltem cum postremum ex injunctis operibus perficitur; 2° detestatio peccatorum omnium etiam venialium, si de indulgentiis plenariis agitur; 3° integra executio operum injunctorum; 4° denique intentio saltem habitualis lucrandi indulgentiam, licet juxta aliquos etiam interpretativa sufficiat; quoad indulgentias in bonum animarum purgatorii lucrans debet intentionem habere applicandi illas dictis animabus fidelium defunctorum.

Tractatus duodecimus.

De extrema unctione.

Nr. 367. Sacramentum hoc apte subjungitur Poenitentiae, cujus veluti complementum ac consummatio est. Quemadmodum Confirmatio quaedam Baptismi perfectio a Patribus spectata est, sic **extrema unctio** Poenitentiae complementum videbatur, a Christo instituta, ut deleat sic dictas peccati reliquias, quas moribundus ob varias diaboli suggestiones, nimiam tristitiam et mortis timorem propriis operibus sanare haud potest.

Hoc sacramentum, quod a Graecis *ἅγιον ἔλαιον* = oleum sanctum vel *εὐχέλαιον* = Oratio cum oleo conjuncta, a Latinis „Sacramentum exeuntium", „unctio infirmorum" et post saeculum 12um communius „unctio extrema" vocatur. **definitur**: „Sacramentum novae legis, quod per unctionem olei benedicti et orationem praescriptam a sacerdote confertur infirmis de vita periclitantibus, ut sanitatem animae et corporis consequantur."

Nr. 368. **Extrema unctio est verum et proprie dictum novae legis sacramentum.**

Est *de fide* contra Protestantes, qui extremam unctionem e sacramentorum albo expunxerunt, ex Trident. sess. 14. can. 1: „Si quis dixerit, extr. unctionem non esse vere et proprie sacramentum a Christo Domino institutum et a beato Jacobo Apostolo promulgatum, sed ritum tantum acceptum a Patribus aut figmentum humanum, anath. sit."

Can. 2: „Si quis dixerit, sacram infirmorum unctionem non conferre gratiam nec remittere peccata nec alleviare infirmos sed jam cessasse, quasi olim tantum fuerit gratia curationum, anath. sit."

Can. 3: „Si quis dixerit, extremae unctionis ritum et usum, quem, observat sancta Romana Ecclesia, repugnare sententiae beati Jacobi Apostoli, ideoque eum mutandum, posseque a Christianis absque peccato contemni, anath. sit."

Probatur:

1° ex Scriptura, ubi in epist. Jacobi 5, 14. Apostolus dicit: *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum in nomine Domini: et oratio fidei salvabit infirmum et alleviabit eum Dominus; et si in peccatis sit, remittentur ei,* quibus verbis omnia ad sacramentum necessaria continentur.

2° ex traditione, quae constat: α) ex consensu Ecclesiae latinae et graecae, inter quas nunquam de hoc articulo controversia mota fuit; — β) ex SS. patrum testimonio. Missis Origine,[1] Chrysostomo,[2] qui hunc ritum commemorant, satis erit ad Innocentium I. provocare, qui Decentio episcopo interroganti, utrum nondum reconciliatis extrema unctio dari possit, respondet:[3] „Non potest, quia extr. unctio genus est sacramenti; quibus enim reliqua sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur posse concedi?“ — γ) ex conciliorum decretis, qui hunc ritum commendant; praeter decretum Florent. pro Armenis e. gr. Cabillonense an. 813 cap. 48, Aquisgranense 836, can. 5 et Wormatiense an. 868; — δ) ex sacramentariis, uti Gelasiano et Gregoriano, in quibus describitur ritus consecrandi feria V^ta^ in coena Domini oleum infirmorum et ungendi infirmos cum precibus recitandis.

3° ex ratione congruentiae: cum Dominus sacramenta nobis inde ab ingressu vitae nostrae per totum ejus decursum praeparaverit, non putandus est in ipso vitae exitu constitutis, ubi tanto munimine indigemus, defuisse.

Nr. 369. **Objiciunt** quidem S. Jacobum non de sacramento aliquo loqui sed de naturali olei virtute ad sanandas infirmitates corporales, vel saltem de gratia curationum gratis data, quae frequens erat in Ecclesiae primordiis; ast injuste, nam

1° in adversariorum hypothesi Apostolus non presbyteros vocandos esse dixisset sed medicos, aut eos qui dono curationum pollerent, quod donum pro-

---

[1] cf. Hom. 2. in Lev n. 4. [2] cf. De Sacerd. L. 3. n. 6. [3] Epist. 1. c. 7. *Mansi*, Coll. Conc. T. 3, c, 1031.

fecto neque omnibus nec multo minus solis presbyteris erat concessum;

2° gratia curationum etiam pro quacunque alia infirmitate laborantibus, ut caecis, claudis etc., non vero pro solis decumbentibus dabatur, de quibus tamen solum agit Jacobus;

3° remissio peccatorum, quam Apostolus ut effectum istius unctionis assignat, neque naturali virtuti olei, neque dono curationum tribui potest.

Nr. 370. **Quo tempore Christus instituerit extremam unctionem,** plane incertum est.

Probabilius tamen est, cum ex Trident. extrema unctio sit Poenitentiae consummativum sacramentum, quod fuerit institutum eo ipso tempore, quo sacramentum Poenitentiae, nimirum inter resurrectionem et ascensionem; proxime praesignificatum per olei unctionem, qua secundum Marc. 6. Apostoli sanabant infirmos, sicut Sacramentum Baptismi per baptismum Joannis, Eucharistia per multiplicationem panis in deserto, confirmatio per manuum impositionem parvulis, ordo per potestatem Apostolis ante passionem a Christo datam, matrimonium per miraculum in Cana Galilaea praesignificatum fuit.

Nr. 371. **Materia remota** est oleum, et quidem olivarum; tale enim semper intelligitur, cum oleum simpliciter appellatur, sicut panis triticeus sub pane simpliciter subintelligitur.

Circa necessitatem benedictionis communius docent, juxta illud conc. Florent.: „Extrema unctio, cujus materia est oleum olivae per Episcopum benedictum.“ Episcopum esse benedictionis ministrum ordinarium, extraordinarie tamen sufficere benedictionem presbyteri, si expresse vel tacite id ei fuerit a summo Pontifice commissum. Constat enim, in Ecclesia orientali a mille et amplius annis morem obtinuisse, ut presbyteri oleum infirmorum benedicerent.

Materia proxima est unctio, quae ad sacramenti validitatem una sufficit, cum b. Jacobus simpliciter dicat: *ungentes eum oleo*, ex praecepto vero Ecclesiae multiplex adhibetur, pro cujusque dioecesis disciplina necessario consulenda et religiose observanda, cum haec

tacite saltem approbet Ecclesia universa. Dum Latini unctionem adhibent quinque sensuum, per quos peccatum intrat in hominem, formant Graeci in unctione formam crucis ungentes frontem, pectus, manus, pedes et faciem.

Unguntur autem sensus quinque in hunc modum: oculi primo dexter, tum sinister; aures eodem ordine, nares, labia compressa, manus in interiore, si vero sacerdos ungitur, in exteriore parte; fortasse pedes denique in planta seu inferiore vel juxta communiorem usum in superiori parte. — Si quae autem pars amputata fuerit, ut manus vel pes, tunc pars propinquior ungitur. Idem est, si quae pars a chirurgo ob vulnus circumligata nequeat sine periculo attingi.

Caeterum observentur praescripto codicis canone 747:

§ 1. Unctiones verbis, ordine et modo in libris ritualibus praescripto, accurate peragantur: in casu autem necessitatis sufficit unica unctio in uno sensu seu rectius in fronte cum praescripta forma breviori,[1] salva obligatione singulas unctiones supplendi, cessante periculo.

§ 2. Unctio renum semper omittatur.

§ 3. Unctio pedum ex qualibet rationabili causa omitti potest.

§ 4. Extra casum gravis necessitatis unctiones ipsa ministri manu nulloque adhibito instrumento fiant.[2]

Nr. 372. **Forma** extremae unctionis est precatio, quam, sacerdos pronuntiat, dum oleo benedicto ungit aegrotum; nimirum apud Latinos: *Per istam sanctam unctionem et suam pissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid per visum, auditum etc. deliquisti;* apud Graecos vero: *Pater sancte medice animarum et corporum sana servum tuum hunc ab illa, quae ipsum detinet, corporis et animae infirmitate.* — Ita praescribunt conc. Florent. in decreto et Trident. sess. 14. cap. 1.

---

[1] Congr. S. Off. 26. Apr. 1906 dicit satis esse verba: Per istam sanctam unctionem indulgeat tibi Dominus quidquid delequisti. Amen. [2] Ubi in quibusdam morbis pertimiscenda esset contagio, potest unctio confici bacillo bombyce obducto.

Nil obstat, quod forma aliorum sacramentorum est absoluta. Disparitas petitur ex institutione Christi, qui aeque potuit gratiam alligare formae deprecativae ac indicativae. Controvertitur autem, utrum sola deprecativa valida sit, an etiam indicativa sufficiat.

Nr. 373. **Minister** est solus et omnis sacerdos.

Est *de fide* ex Trident. can. 4: «Si quis dixerit, presbyteros Ecclesiae, quos b. Jacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse sacerdotes ab episcopo ordinatos sed aetate seniores in quavis communitate: ob idque proprium extremae unctionis ministrum non esse solum sacerdotem, anath. sit."

Dicitur autem: solus et omnis sacerdos, quia administratio hujus sacramenti non est actus jurisdictionis, sicut absolutio; ideoque ad *validam* administrationem sufficit potestas ordinis. Nullus tamen sacerdos potest, extra casum necessitatis, hoc sacramentum *licite* administrare, nisi habeat jurisdictionem ordinariam vel delegatam. — Notetur etiam, verba S. Jacobi „inducat presbyteros" esse indefinita et aequivalere sensui: indueat aliquem presbyterum, qui etiam unicus sufficit, quamvis a presbyteris pluribus aut episcopis extrema unctio administrari possit et adhuc soleat a Graecis.

Nr. 374. **Subjectum** est omnis fidelis graviter decumbens, usu rationis aliquando praeditus:

Omnis ergo 1° *fidelis*, quia Baptismus est janua Sacramentorum et Apostolus dicit: „infirmatur quis in vobis";

2° graviter *decumbens* seu qui periculoso morbo laborat, cum talem supponant verba Jacobi *ἀσθενεῖ* et *κάμνοντα*, et extrema unctio instituta sit a Domino pro his, qui jam nequeunt pro poenis satisfacere. Excluduntur ergo hoc respectu periculosam navigationem aut peregrinationem parantes vel proelium inituri aut alia pericula subituri vel capitis damnati. Ex altera parte autem sacramentum hoc, cum non imprimat characterem, iterabile est, juxta conc. Trident. cap. 3: „Si infirmi post susceptam hanc unctionem convaluerint, iterum hujus Sacramenti subsidio juvari poterunt, cum in aliud simile vitae discrimen inciderint," ex quo sequitur non posse iterari durante eodem morbo, nisi

infirmus convaluerit et postea in novum mortis periculum relabatur, quamvis ex eodem physice morbo id proveniat, v. g. hydrope.

Usu rationis aliquando praeditus; in infantibus enim ac perpetuo amentibus nulla peccata nullaeve peccatorum reliquiae sunt abstergendae. Amentes autem et phrenesi laborantes, qui usum rationis habuerunt, possunt ungi, atque iis, de quibus dubitatur, an ad usum rationis pervenerint, sub conditione extrema unctio danda esse videtur.

Codicis can. 942 praescribit: hoc sacramentum non esse conferendum illis, qui impoenitentes in manifesto peccato mortali contumaciter perseverant; quodsi hoc dubium fuerit, conferatur sub conditione.

Usque adhuc e contrario docuerunt, qui de theol. pastorali libros conscripsere, v. gr. Schüch-Grimmich; conferendam esse extremam unctionem solummodo in dubio de *capacitate* subjecti, in dubio vero de *dignitate* — num adsit animus poenitentiae. status gratiae — semper sine conditione.

Eis, qui suae mentis non sunt compotes (den Bewußtlosen), in quibus vero desiderium suscipiendi Sacramenti supponi potest, conferri debet sine conditione, ex mandato can. 943: „eis, qui saltem implicite petierunt aut verosimiliter petiissent."

Ut hoc sacramentum digne suscipiatur, requiritur e parte subjecti: communio cum Ecclesia, status gratiae ac debita devotio, in specie poenitentiae animus nec non plena deditio in Dei voluntatem.

Nr. 375. **Effectus** hujus sacramenti, quos Trident. sess. 14, cap. 2 enumerat, sunt: 1. gratia sanctificans, 2. peccatorum remissio, 3. abstersio reliquiarum peccati, 4. alleviatio animi et 5. interdum quoque sanatio corporis, cum non haec, sed potius ***sanitas animae*** *effectus proximus et directus* extremae unctionis sit.

Efficitur autem **animae sanitas** eo, quod residua peccati, nempe poena temporalis atque cicatrices ex peccatis personalibus relictae, pronitas ac proclivitas ad malum atque languor ac debilitas ad operandum bonum, auferuntur ac sanantur. Quae nunc erit dispositio in homine, ea erit quoque animae sanitas: ubi

illa sufficiens, haec quoque perfecta et absoluta, imperfecta vero, quando dispositio illa insufficiens fuerit.

Porro, cum peccatorum reliquiae per extremam unctionem tollantur, hoc autem fieri non possit, nisi prius sublata sit culpa, **hoc sacramentum** etiam, non quidem primario, sed per se et non solum per accidens, **peccata remittit.** Colligitur α) ex verbis Jacobi: *Et si in peccatis sit, remittentur ei*, β) ex forma: indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti". γ) ex Trident. cap. 2, docente: *Unctio delicta, si quae sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit.*

Remittit peccata 1. non quidem primario, tum quia effectus primarius est gratiae sanctificantis augmentum, tum quia effectus primarius est absolutus et non hypotheticus, tum demum quia extrema unctio juxta communem sententiam est sacramentum vivorum; 2. non tamen mere per accidens, ut aliquando sacramenta vivorum gratiam primam conferre possunt: nam illis non convenit ex propria institutione, sed tantum ex generali quadam ratione; de illis habemus probabilem opinionem, de hoc testimonium Jacobi et Tridentini. Ergo — remittit secundario quidem sed per se. Remanet vero quoad hujusmodi peccata (per extr. unctionem) remissa obligatio illa clavibus subjiciendi.

Nonunquam **sanitas corporis** restituitur; nam etiam morbus est effectus peccati, et etiam ad hoc sustollendum est sacramentum institutum. Hoc vero non semper efficitur, sed, ut habet Tridentinum, *interdum, ubi saluti animae expedierit.* — Impedimenta corporalis sanationis per hoc sacramentum consequendae sunt: α) indispositio recipientis; β) defectus fidei sive fiduciae in eodem; γ) nimius morbi progressus, ita ut sanitas nisi per manifestum miraculum et contra naturam recuperari non possit; δ) ordinatio divinae providentiae et justitiae aliter statuentis.

Nr. 376. Ex dictis simul hujus sacramenti **utilitas** colligitur.

Etenim illud non est ad salutem absolute necessarium, sed tantum ad melius esse sin minus ex praecepto, certe ex charitate erga se ipsum. Verum Tri-

dentinum cap. 3 et can. 3 admonet, extremam unctionem non posse a fidelibus sine peccato contemni.

Quod Sacramendum iterum luculentum infinitae Dei erga nos clementiae exhibet documentum. Dum enim in exitu vitae ac in limine aeternitatis constituti tam corpore quam animo affiicti ingemiscimus, praesto nobis est Salvator benignissimus gratia sua per Sacramentum extremae Unctionis, quae nos Deo unit, animum erigit ac vigore replet et non raro etiam corporis sanitatem nobis restituit.

Quapropter numquam non summi hujus divini beneficii nobis collati memores simus, gratumque animum Deo benignissimo exhibeamus atque imprimis morbo aliquo graviore correpti mature ad Sacramentum hoc digne suscipiendum festinemus, quin imo, ut nobis id aliquando concessum sit, corpore sani adhuc frequenter Deum rogemus.

Tractatus decimus tertius.

De Ordine.

Quinque priora hucusque pertractata sacramenta, ut vidimus, ad individua Ecclesiae membra pertinent; duo ultima vero bonum publicum magis spectant quam privatum: Ordo ad spiritualem, Matrimonium ad carnalem fidelium multiplicationem est institutum.

Nr. 377. **Ordo** usurpatur duplici sensu: 1° *passive* pro Clero seu Hierarchia ecclesiastica sicque sumptus est quid permanens; 2° *active* pro sacra Ordinatione seu ritu sacro, quo aliquis in certo gradu ecclesiastico constituitur sicque sumptus est aliqua actio transiens.

Cum plures sint ordines seu gradus in ecclesiastico ministerio et nonnisi potioribus ratio conveniat sacramenti, **ordinatio** alia est simplex ritus sacer, alia sacramentum: *illa* est „caeremonia sacra, quo stabiliter confertur potestas ad exercenda certa ministeria ecclesiastica“; *haec* est „sacramentum novae Legis, quo

spiritualis potestas confertur et gratia ad ecclesiastica munia rite obeunda".

Nr. 378. **Discrimen inter clericos et laicos est de jure divino,** quod etiam Codicis can. 948 hisce verbis enuntiat: Ordo ex Christi institutione clericos a laicis in Ecclesia distinguit ad fidelium regimen et cultus divini ministerium.

Est *de fide* ex Trident. sess. 7, can. 10: „Si quis dixerit, Christianos omnes in verbo et omnibus sacramentis administrandis habere potestatem: anathema sit."

Probatur:

1° ex analogia Ecclesiae cum synagoga, quae illius gessit typum: in synagoga autem fuit discrimen inter clericos et laicos, ab ipso Deo constitutum, cujus violatores gravissime puniebantur."[1]

2° ex s. Scriptura exhibente Ecclesiam ut corpus ordinatum, in quo Deus ipse dedit doctores et pastores, posuit episcopos regere Ecclesiam Dei, solosque apostolos eorumque successores constituit dispensatores mysteriorum Dei.

3° ex ratione theologica: Ecclesia enim est societas divinitus instituta; ad omnem autem societatem pertinent rectores et ministri publicae auctoritatis.

4° ex ipsa sacramenti Ordinis per Christum facta institutione, qua satis constat, Deum ipsum velle, ut clerici segregarentur a laicis.

Immerito **objicitur** Tertullianus scribens:[2] „Differentiam inter ordinem et plebem constituit Ecclesiae auctoritas"; nam Tertullianus haec scripsit ut Montanista, dum alibi et ipse fatetur hoc discrimen divinitus institutum inter clerum et laicum, e. gr. adnotans:[3] „Nusquam facilius proficitur, quam in castris rebellium, ubi ipsum esse illic promereri est. Itaque alius hodie episcopus, cras alius; hodie diaconus, qui cras lector; hodie presbyter, qui cras laicus. Nam et laicis sacerdotalia munera injugunt."

Nr. 379. **Existit in novo Testamento sacerdotium visibile externum.**

[1] Cf Num. c 16; 2 Paralip. 26, 16. [2] De exhort castit. c. 7. [3] De praescr. c 41.

Est *de fide* ex Trident. sess. 23, can. 1: „Si quis dixerit, non esse in novo Testamento sacerdotium visibile et externum; vel non esse potestatem aliquam consecrandi et offerendi verum corpus et sanguinem Domini et peccata remittendi et retinendi, sed officium tantum et nudum ministerium praedicandi Evangelium; vel eos, qui non praedicant, prorsus non esse sacerdotes: anath. sit."

Constat 1° ex eo, quod jam doctrina de Missae sacrificio et de sacramento Poenitentiae necessario exposcant existentiam sacerdotii; 2° ex eo, quod sacerdotium sit verum Sacramentum, ut probabitur; 3° ex analogia cum synagoga; 4° ex Traditione universali.

Immerito **objicitur** et decantatur illud Apostoli:[1] „Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis", nec non illud aliud:[2] „Fecit nos regnum et sacerdotes Deo et Patri suo"; nam ibi sermo est de sacerdotio improprio, vi cujus fideles offerunt „spirituales hostias", ut idem Apostolus v. 5. dicit. Sacerdotium autem improprium non excludit, sed supponit sacerdotium proprie dictum, vi cujus reale sacrificium offertur. Hoc modo etiam totus populus Israeliticus Exod. 19, 6: „regnum sacerdotale" dicebatur, quin certe sacerdotium Aaronicum negaretur. Et sane, si nimis urgeatur textus objectus, omnes fideles non solum erunt veri sacerdotes, sed etiam veri reges.

Nr. 380. **Praeter sacerdotium alii sunt ordines majores et minores.**

Est *de fide* ex Trident. sess. 23. can. 2· „Si quis dixerit, praeter sacerdotium non esse in Ecclesia catholica alios ordines et majores et minores, per quos velut per gradus quosdam in sacerdotium tendatur: anath. sit."

Constat ex Scriptura, quae institutionem, officia et virtutes diaconorum commemorat et ex Traditione, quam in sequentibus exhibebimus.

Nr. 381. **Septem sunt in Ecclesia ordines,** scilicet sacerdotum, diaconorum, subdiaconorum, acolythorum, exorcistarum, lectorum et ostiariorum.[3]

[1] 1 Petr 2, 9. [2] Apocal. 1, 6. [3] Cf. Cod. can. 949.

Hi septem ordines hierarchiam Ecclesiasticam constituunt, eam scilicet, quae hierarchia Ordinis vocatur, et ab hierarchia jurisdictionis distinguitur.

Hierarchia idem est ac sacer principatus, et in concreto est status ecclesiasticus praeditus sacra potestate, quae, uti diximus, duplex distinguitur, ordinis et jurisdictionis: *Potestas ordinis* ea est, quae per aliquam consecrationem communicatur et ordinatur ad sacramenta, sacramentalia et functiones liturgicas: *potestas jurisdictionis* ea est, quae per deputationem legitimam superioris ecclesiastici confertur et generatim respicit ea omnia, quae ad recte gubernandum Ecclesiam pertinent.

Illa ad corpus Christi in Eucharistia realiter praesens proxime vel remote refertur, haec tota in corpore Christi mystico versatur; illa confertur a Deo, haec secundum Christi ordinationem ab Ecclesia; illa utpote characterem imprimens et inammissibilis et in omnibus ejusdem ordinis aequalis, haec ammissibilis et alia in aliis; illa confertur per sacramentum, haec extra et praeter sacramentum. Unde potestas jurisdictionis etiam nondum ordinato conferri potest, v. gr. episcopo electo.

Hierarchia *jurisdictionis* variis constat dignitatibus, videlicet Papatu, Cardinalatu, Patriarchatu, Primatia, Archiepiscopatu, Episcopatu et Praelaturis episcopatu inferioribus.

Hierarchia *ordinis* septem supra recensitis constat ordinibus, qui ita sunt dispositi, ut eorum terminus et apex sit Sacerdotium, quod duplex est, complectens nimirum Sacerdotium primi et secundi ordinis, Episcopatum nempe et Presbyteratum; quare Episcopatus certe est Ordo, at non octavus, sed est plenitudo sacerdotii.

Tonsura autem, quae pariter a quibusdam in Ordinum numero recensetur, certe non est Ordo; nullum enim habet officium annexum circa ministerium Altaris, et nihil aliud est, quam ritus ab Ecclesiae institutus, quo quis a statu laicorum distinguitur, ut ad beneficium et Ordines suscipiendos disponatur. Hoc vero titulo gaudet privilegio canonis et fori, si nempe degat in Seminario, aut sit adscriptus servitio cujusdam Ecclesiae et ferat habitum clericalem.

Nr. 382. Septenarius Ordinum numerus non est quidem de fide, utique vero, ut Trident .sess. 23, cap. 2 diserte docet, antiquissimus et convenientissimus.

Et sane „ab ipso Ecclesiae initio" praedicti Ordines in multis documentis et monumentis commemorantur. — Sic Tertullianus[1] commemorat diaconos et lectores; s. Cyprianus[2] hypodiaconum et lectorem; Cornelius Papa circa a. 252 scribit ad Fabium, Romae tunc fuisse „unum episcopum, presbyteros quadraginta sex, diaconos septem, subdiaconos septem, acolythos duo et quadraginta, exorcistas autem et lectores cum ostiariis quinquaginta duos". In concilio Carthaginiensi 4to ex a. 398 non solum septem illi Ordines recensentur, sed etiam ordinationis ritus accurate describitur. Item fit in Sacramentario s. Gregorii M. Praeterea nullus est ex praedictis Ordinibus, qui non reperiatur in priscis inscriptionibus sepulchralibus.

Septem quoque in antiqua Graecorum Ecclesia Ordines occurrunt, uti constat ex Dionysio, Ignatio M., ex conc. Antiocheno anni 341, quod can. 10 praeter presbyteros et diaconos etiam lectores hypodiaconos et exorcistas commemorat; in Laodiceno et in Trullano insuper mentio fit cantorum et ostiariorum. Posteriores tamen Graeci tres minores acolythatum, exorcistatum et ostiariatum neglexisse videntur, nisi cum Arcudio dicas praedictos Ordines in ipso Lectoratu inclusos simul conferri.

Nr. 383, Ex his septem Ordinibus in Ecclesia Latina et juxta praesentem disciplinam tres superiores: *sacerdotium, diaconatus* et *subdiaconatus* merito sunt et dicuntur **Ordines majores,** quia illis initiati propinquiorem in corpus Christi habent potestatem et propius Sacrificio cooperantur, unde propter majorem sanctificationem ad continentiam et horas canonicas adstringuntur.

Reliqui dicuntur **minores,** quia licet sint ritus sacri et eximiam conferant dignitatem, minus tamen praestant quam Ordines praedicti, ex quibus *Subdiaconatus* in Ecclesia Graeca non habetur ut Ordo major

[1] De praescript. c. 41. [2] Ep. 24 ad Clerum.

et in ipsa latina nonnisi a saeculo 12mo sub Innocentio III. demum ut talis haberi coeptus est.

Caeterum etiam Ecclesia Graeca tum majores tum minores semper habuit ordines, quamquam non omnino eosdem ac Latina. A saeculo enim saltem 9no non septem, sed quatuor tantum ordines usurpat: duos majores, Sacerdotium et Diaconatum, et duos minores, Subdiaconatum et Lectoratum.

Nr. 384. **Tres sunt ordines hierarchici divinitus instituti:** Episcopatus, presbyteratus et diaconatus.

Est *de fide* ex Trident. sess. 23, can. 6: „Si quis dixerit, in Ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constat ex episcopis, presbyteris et ministris, anath. sit."

Ex sensu hujus canonis tribus recensitis Ordinibus ex divina ordinatione utraque annexa est potestas, ordinis nempe et jurisdictionis; haec tamen posterior in actu primo et non in actu secundo. Non enim omnis diaconus aut presbyter aliquam jurisdictionem habet; est tamen capax subjectum, cui conferatur.

Definitio Tridentina porro accipienda est sensu ajente non excludente, videlicet ita, ut ad divinam hierarchiam certe pertineant tres recensiti Ordines, nec vero affirmetur nec negetur, an alii etiam eo pertineant. Equidem et alii Ordines pertinent ad hierarchiam ecclesiasticam, quippe qui et ipsi aliquam potestatem jurisdictionis conferunt: utrum autem hanc potestatem divinitus habeant aut ab Ecclesia, controvertitur.

Nr. 385. **Sicut presbyteri diaconis, ita etiam episcopi presbyteris superiores sunt.**

Est *de fide* ex Trident. sess. 23, can. 7: „Si qui dixerit, episcopos non esse presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi; vel eam, quam habent, illis esse cum presbyteris communem; vel ordines ab ipsis collatos sine populi vel potestatis saecularis consensu aut vocatione irritos esse; aut eos, qui nec ab ecclesiastica et canonica potestate rite ordinati, nec missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi et sacramentorum ministros: anath. sit."

Statuitur hicce canon, cum praecellentia presbyterorum super diaconos ex eo, quod potestas in corpus Christi verum et mysticum, quam Dominus in novissima coena et post resurrectionem sacerdotibus commisit, evidenter praecellit muneri, ad quod diaconi in Act. Apostol. 6, 5 instituti leguntur, a nemine in dubium vocetur, contra Aërium, Wicleffum et Protestantes praecellentiam episcoporum super presbyteros negantes.

Probatur:

1° ex SS. Litteris, in quibus episcopi dicuntur[1] a Spiritu S. positi regere Ecclesiam Dei; ipsi constituunt per civitates presbyteros,[2] imponunt manus et sacerdotes ordinant,[3] ac possunt adversus presbyterium accusationem recipere, sed nonnisi sub duobus aut tribus testibus,[4] sunt propterea divinitus constituti principes Ecclesiarum et judices adeoque superiores presbyterorum, licet in paucis aliis locis[5] s. Scripturae haec nomina confundantur et iidem mox presbyteri mox episcopi appellentur hocque exinde, quod primitus denominatio, minime vero dignitas episcopi et presbyteri sacerdotibus primi et secundi ordinis communis fuit.

2° ex Patribus, qui passim hierarchicum ordinem inter episcopos, presbyteros et diaconos delineant, e. gr. Ignatius M.:[6] „Hortor, ut in concordia omnia peragere studeatis, episcopo praesidente loco Dei, et presbyteris loco senatus apostolici et diaconis mihi suavissimus concreditum habentibus ministerium Jesu Christi."

3° ex praxi Ecclesiae. Episcopi enim semper habiti sunt ministri ordinationis, ut simplici presbytero nulla in hypothesi ordinare liceret; uni civitati semper unus tantum praeerat episcopus, dum presbyterorum numerus non erat determinatus; porro soli episcopi in conciliis decisivam sententiam dabant; denique saeculo 14^to^ Joannes XXII. iterum damnavit Massilii doctrinam, quod omnes sacerdotes, sive simplices sive epis-

[1] Act. 20, 28. [2] Tit. 1, 5. [3] 1 Tim. 5, 22. [4] ibid. v. 19. [5] E. gr. Tit. c. 1, cujus commentarium a s. Hieronymo cf. p. 93. [6] Ep. ad Magnes. n. 69.

copi, ex institutione Christi auctoritate et jurisdictione sint aequales.

Nr. 386. **Basin sacramenti Ordinis constituit sacerdotalis character,** ita ut hoc sacramentum conferatur in ordinatione diaconatus, in qua accipitur praeparatio ad sacerdotium, dein in ordinatione presbyteratus, ubi ipsa essentia sacerdotii habetur, nec non in consecratione episcopali, in qua accipitur culmen sacerdotii.

Haec pluralitas ordinum non est tamen nisi unum Ordinis sacramentum, quia Ordinis sacramentum est quoddam totum seu compositum: non *integrale*, ut corpus humanum, nec *universale*, ut humanitas, quae tota est in singulis individuis, sed *potestativum*, cujus haec est natura, totum secundum completam naturam sit in uno, ut in aliis autem secundum aliquam participationem. Ita autem res in Ordinatione se habet. Tota enim plenitudo hujus sacramenti in uno gradu continetur, scil. Sacerdotio; sed in aliis est quaedam participatio Ordinis, ideoque omnes ordines unum sunt sacramentum, quemadmodum etiam in regimine civili varii sunt administrationis gradus, una tamen est administratio, una potestas.

Nr. 387. **Ordo vel ordinatio, qua ministri sacri saltem potiores constituuntur et inaugurantur, est verum ac proprie dictum novae Legis sacramentum.**

Est *de fide*, contra Protestantes sacramentum Ordinis repudiantes, ex conc. Trident. sess. 23, can. 3: „Si quis dixerit, Ordinem sive sacram Ordinationem non esse vere et proprie sacramentum a Christo Domino institutum, vel esse figmentum quoddam humanum excogitatum a viris rerum ecclesiasticarum imperitis: aut esse tantum ritum quendam eligendi ministros verbi Dei et sacramentorum: anath. sit."

Probatur:

1° ex SS. Scripturae locis, ubi Ordinatio ministrorum Ecclesiae commemoratur omniaque ad sacramentum requisita reperiuntur, v. gr. 1 Timoth. 4, 14: *Noli negligere gratiam, quae in te est, quae data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii*, vel 2 Timoth. 1, 6: *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum.*

2° ex Patribus, qui α) Ordinem expresse vocant „sacramentum“ sicut ipsum baptisma;[1] β) dicunt ordinationem sacerdotem augustum et venerandum facere;[2] γ) docent hoc ordinationis ritu conferri gratiam[3] et imprimi characterem indelebilem.[4]

3° ex Synodorum decretis, quae orientalis et occidentalis Ecclesiae consensum in hac re testantur: e. gr. concil. Chalcedonense damnat eos, qui pro ordinatione pecunias accipiunt, eo quod vendere censeantur Dei gratiam, quae vendi nequit; Florentinum expresse dicit sextum esse sacramentum Ordinis.

4° ex antiquis in Ordinationibus usurpari solitis Ritualibus, quae apud Morinum, Goarium et Martene videri possunt et Ordinem vocant Sacramentum.

5° ex ratione congruentiae: In Ecclesia Christi debet ritus esse quidam externus, quo transferatur sacra potestas; atqui Deus non injungit officium, nisi simul det gratiam: ergo cum ritu conjuncta debet esse gratia.

Nr. 388. **In presbyteratu confertur sacramentum.**

Est sententia *fidei proxima*, utpote connexa cum dogmatibus a Tridentino definitis: in Ecclesia esse sacerdotium visibile cum vera potestate consecrandi et absolvendi; sacerdotium esse apicem, reliquos Ordines gradus ad sacerdotium; Ordinem esse sacramentum. Atqui *Presbyteratus* est „ordo sacer. divinitus institutus, quo tribuitur potestas consecrandi corpus et sanguinem Domini, nec non remittendi et retinendi peccata“: ergo.

Probatur:

1° Quae ex SS. Litteris modo supra ad conficiendum, Ordinem esse sacramentum, allata sunt, praecipue de presbyteratus Ordine dicta sunt et valent.

2° Traditio unanimis docet Presbyteratum esse sacramentum, hunc que unum Ordinem esse, de quo, an sacramentum sit, numquam fuerit dubitatum.

3° Catechismus Rom. docet Sacramentum ordinis illud esse sacramentum, quo praecipua potestas Eucha-

[1] Augustinus, Lib. 2 contr. ep. Parmen. c. 13. [2] Gregor. Niss. Orat in bapt. Christi. [3] Innocent. I. Epist. 24 ad Alex. n. 4. [4] Gregor. M. Epist. 47 ad Joann. Ravenn.

ristiam consecrandi tribuitur; atqui in Presbyteratu confertur haec potestas, ergo est sacramentum.

Nr. 389. **In Episcopatu qua tali, i. e. quatenus a presbyteratu distinguitur, confertur Sacramentum.**

Est nunc communis inter theologos sententia et omnino tenenda, ut dicit Perrone, eam certissimam appellat Bellarminus, quamquam plures scholastici antiqui illam negaverant.

Probatur:

1° Episcopatus habet omnia ad sacramentum requisita.

2° Continet ritum sacramentalem descriptum in epistolis ad Timotheum, quae descriptio eo magis ad Episcopos spectat, quo de ordinatione episcopali Timothei Paulus scribat.

3° Tridentinum sess. 23, can. 1, generaliter definit: Episcopos ordinando non frustra dicere „Accipe Spiritum Sanctum"; propterea omnis ordinatio, in qua episcopus haec verba profert ac proinde revera Spiritum sanctum dat, est sacramentum; atqui in ordinatione Episcopi haec verba ab ordinante episcopo pronuntiantur: ergo.

4° Patres, cum de sacerdotio tamquam sacramento loquuntur, saepe Episcopatum intelligunt, vel saltem non excludunt, v. gr. s. Ambrosius[1] scribens: „Quis dat, frater, Episcopalem gratiam, Deus an homo? Respondes: Sine dubio Deus; sed per hominem dat Deus. Homo imponit manus, Deus largitur gratiam."

5° Suadet ratio. Cum potestas episcopalis conficiendi sacramenta Ordinis et confirmationis non in extrinseca deputatione fundetur, merito concluditur, fundamentum hujus potestatis *intrinsecum* esse et realiter animae ordinati inhaerens. Hoc autem nil aliud est quam character sacramentalis.

Nihilominus non praetermitti debet negligentia St Thomae Aq. sententia Summae Suppl. III. A. 40, a. 5: An Episcopatus sit ordo? R: Non, quia unus ordo non pendet ab alio in necessitate sacramenti, sed episcopatus pendet a sacerdotali, ergo, etc. Item, circa

[1] Lib. de dignit. Sacerd. c. 5.

corpus Christi verum, episcopus non habet majorem potestatem, quam sacerdos licet respectu corporis Christi mystici habeat supra sacerdotem auctoritatem in actionibus hierarchicis.

Episcopatus ergo probabilius non est Ordo stricte sumtus seu Sacramentum Ordinis nec consequenter Ordo distinctus a Sacerdotio sed est ejus corona, extensio et perfectissimum complementum.[1]

Nr. 390. **Diaconatus seu Diaconorum ordinatio pariter habet rationem sacramenti.**

Propositio haec *communem* enuntiat et *certam* theologorum sententiam.

Probatur:

1° Diaconi ordinatio habet omnia ad sacramentum requisita: α) ritum externum, nempe manuum impositionem, quam jam Apostolos adhibuisse Act. 6, 6 narratur; β) gratiam internam; nam in hac quoque ordinatione dicitur: „Aecipe Spiritum sanctum", quae verba ex Trident. definitione haud frustra adhibentur; γ) institutionem divinam, quam docet Trident. can. 6. definiens: „Esse in Ecclesia cath. hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constat ex Episcopis, Presbyteris et Ministris", ad quos haud dubie ad minus Diaconi pertinent. — Vox enim Diaconus idem sonat ac minister; quia sicut Episcopus sacerdotii, ita Diaconus habet plenitudinem sacri ministerii, ex quo velut e fonte inferiores ordines profluere videntur; estque propterea *Diaconatus* ille „ordo sacer, quo potestas confertur proxime inserviendi sacerdoti, rem sacram facienti".

2° Patres α) Episcopos, Presbyteros et Diaconos conjungere solent: porro β) non obscure significant, similem gratiam conferri in his tribus ordinationibus, quae non sine manus impositione perficiuntur, v. gr. s. Ignatius:[2] „Omnes Episcopum sequimini, ut Jesus Christus Patrem, et presbyterium ut Apostolos, diaconos autem revereamini ut Dei mandatum"; denique γ) Diaconorum ordinem cum Levitarum veteris Legis ordine et ministerio passim conferunt[3] dicuntque: si-

[1] *Billuart* de Sacr. Ord. Diss. IV. art. 2. [2] Ep. ad Smyrn. c. 3. [3] cf. s. Hieronym. Ep. ad Evang.

cut Pontifices Aarone, Presbyteros filiis Aaron, ita Diaconos levitarum numero adumbratos fuisse.

Nr. 391. **Non constat, utrum subdiaconatus et minores Ordines sint sacramenta.**

Affirmabant veteres scholastici plerique omnes conc. Florentini auctoritate freti, quod sub appellatione sacramenti Ordinis non solum presbyteratum et diaconatum sed etiam subdiaconatum et minores ordines complectantur, et Tridentini docentis: α) Ordinem generatim esse sacramentum et β) subdiaconatum et minores esse veros Ordines: unde consequens esse videtur, omnes septem Ordines esse sacramenta.

Negant vel saltem dubitant communiter recentiores his innixi rationibus: 1. Ordines minores a Patribus non exhibenter tamquam ab Apostolis traditi; 2. non vigent in omnibus Ecclesiis iidem; 3. non necessario antiquitus praemittebatur eorum collatio collationi graduum majorum; 4. in Ecclesia antiqua videntur fuisse magis officia, quae tirocinii loco essent, quam veri Ordines; 5. Ecclesiae praxis hodierna non praecipit, ut officia minoribus ordinibus propria ab ordinatis exerceantur, sed illa exerceri permittit ab iis, qui nullum omnino ordinem susceperunt, imo qui ne clericali quidem tonsura initiati sunt; 6. Ordinationes minores principali quodam ritu differunt a majoribus, quia nempe manuum impositione et expressa Spiritus s. collatione carent.

Res igitur in dubio relinquitur; at certe negari vix poterit, quod s. Thomas[1] docet, scil. potestatem Ordinum minorum comprehenso subdiaconatu „in una diaconi potestate implicite contineri". Quamobrem forte veterum ac recentiorum sententia concilianda et dicendum erit: minores Ordines in fonte suo ac origine i. e. in diaconatu, unde tamquam rivuli scaturierunt, institutionis esse divinae.

Nr. 392. Sacramenti Ordinis **materia** est impositio manuum et traditio instrumentorum, ita ut sola manuum impositio sit materia *essentialis*, verum utraque tum manuum impositio tum instrumentorum traditio

[1] Suppl. q. 37, a. 2 ad 2.

materia *necessaria* haberi debeat: **forma** autem sunt verba, quae utrumque respective ritum comitantur.

Thesis de illis Ordinibus agit, qui certe sacramenta sunt, scil. de episcopatu, presbyteratu et diaconatu. In conferendis his ordinibus diversitas obtinet inter Ecclesiam latinam et graecam, quatenus Latini in ordinationibus sacramentalibus adhibent tum manuum impositionem tum porrectionem ordinis instrumentorum atque in ordinationibus reliquorum ordinum solam instrumentorum traditionem; Graeci autem solam manuum impositionem in episcopatu, presbyteratu atque diaconatu intra sanctuarium factam, in reliquis ordinibus extra sanctuarium collatam.

Quapropter evenit, ut theologi dissentiant in asserenda materia ordinationis, ceu quam alii statuunt manuum impositionem, alii instrumentorum porrectionem, alii tam hanc quam illam. Jamvero differentia in ordinibus non sacramentalibus certe nullius est momenti, cum certe Ecclesiae sit, praescribere ritus, quibus conferantur ordines ab ipsa instituti. Quod autem ordines sacramentales attinet, qui hic proprie soli respiciuntur, debet urgeri unitas ubique et semper in essentialibus vigens, hincque materia ordinationis essentialis reponenda erit in manuum impositione, quae ubique et semper tum in latina quam in graeca Ecclesia adhibebatur atque jam a s. Paulo commemoratur, licet juxta Eugenium IV. ordinis materia sit illud, per cujus traditionem confertur ordo: etenim papa non vult proprie materiam sacramentalem definire, sed potius Armenos inducere ad ritum Ecclesiae romanae adoptandum seu superaddendum.

In *episcopatu* materiam sacramenti ea constituit manuum impositio, quae fit a consecratore et assistentibus episcopis, imposito Evangeliorum libro super cervicem et scapulas consecrandi. In *presbyteratu* materia essentialis non est prima manuum impositio, quae nulla verborum forma determinatur; neque tertia, quae jam ordinatos sacerdotes supponit; sed secunda, in quantum per episcopum cum oratione concomitante fit, non autem in quantum etiam fit a presbyteris assistentibus qui solummodo in signum cooptationis ad simile ministerium et societatis manum imponunt. Nititur prae-

sertim Scripturae auctoritate, tota antiquitate usque ad saeculum 9num et praxi Ecclesiae graecae, quae nullam aliam agnoscunt. In *diaconatu* de necessitate est oratio cum manuum impositione conjuncta, quae sequitur verba illa: „Accipe spiritum sanctum" etc. et apud Graecos illa, quae incipit: Dominus Deus noster.

Ceterum in hoc sacramento, in quo Christus ipse non ita speciatim materiam definivit, debet etiam hoc teneri, in qualibet Ecclesia tam graeca quam latina rite posse quandam ulteriorem determinationem ritus fieri, unde in Ecclesia latina certe instrumentorum traditio, quae tractu temporis adjecta est ad majorem declarationem eorum, quae conferuntur per impositionem manuum, pro praxi semper observanda et pro tam necessaria habenda est, ut juxta declarationem Congregationis, si traditio instrumentorum esset omissa, sub conditione tota ordinatio iteranda esset.

Nr. 393. **Episcopi, iique soli, sunt sacramenti Ordinis ministri.**

Est *de fide* ex Trident. sess. 23. can. 7: „Si quis dixerit, episcopos non habere potestatem confirmandi et ordinandi; vel eam, quam habent, illis esse cum presbyteris communem: anath. sit."

Probatur:

1° ex Scriptura, quae non alios exhibet ministros Ordinis, quam Apostolos et ab Apostolis ordinatos episcopos.

2° Patres idem docent *negative* eo, quod nullius alterius mentionem faciant praeter episcopos; *positive* eo, quod episcopos ut ministros Ordinum exhibeant, v. gr. Chrysostomus de episcopis loquens[1] ait: „sola namque ordinatione superiores sunt et hinc tantum videntur presbyteris praestare", vel Epiphanius:[2] „Episcoporum ordo ad gignendos patres praecipue pertinet, hujus enim est patrum in Ecclesia propagatio. Alter (presbyterorum ordo) cum patres non possit, filios Ecclesiae regeneratione producit, non tamen patres aut magistros."

[1] Hom. 11 in 1 Tim. n. 1. [2] Haer. 75, n. 4.

3° Libri rituales Ecclesiarum et Occidentis et Orientis solis episcopis potestatem ordinandi attribuunt.

4° Historice constat α) nullum exemplum reperiri ordinationis presbyteri vel episcopi ab aliquo, qui non esset episcopus, factae, quae valida habita fuerit; β) ne summa quidem urgente necessitate, qua concedere solet Ecclesia, quidquid quibuslibet potest, permissum unquam fuisse aliis quam episcopis Ordines sacramentales conferre.

Ceterum hic agitur 1° de sola ordinatione valida, non autem et de licita, ad quam juxta jus canonicum in episcopo ordinante, ut sit legitimus, plura requisita statuuntur: 2° de illis tantum Ordinibus, qui certe sunt sacramenta.

Subdiaconatus enim, probabiliter saltem, ex commissione Pontificis etiam a simplici presbytero conferri potest, ut colligitur ex epistola Gelasii Papae;[1] „Nec sibi meminerint presbyteri ulla ratione concedi, sine summo Pontifice subdiaconum aut acolythum jus habere faciendi."

Ex Codicis can. 239, 22° habent Cardinales facultatem conferendi primam tonsuram et Ordines minores, dummodo promóvendus habeat dimissorias proprii Ordinarii litteras;

ex can. 964 potest abbas regularis de regimine, etsi sine territorio *nullius*, conferre primam tonsuram et ordines minores, dummodo promovendus sit ipi subditus vi professionis saltem simplicis, ipse vero sit presbyter et benedictionem abbatialem legitime acceperit.

Contra vero episcopus est Ordinum hierarchicorum minister tam exclusive, ut simplex presbyter ne ex licentia quidem Pontificis illos conferre possit.

Nr. 394. **Subjectum** sacramenti Ordinis est mas baptizatus: nam α) solus baptizatus est capax aliorum sacramentorum; β) mulieres jure divino arcentur a sacris ministeriis, uti Apostolus[2] jubet: „Mulieres taceant in Ecclesia; non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse."

Numquam propterea, aut in lege naturae aut in

[1] 9, c. 6. [2] 1 Cor. 14, 34.

lege Mosaica, femina ulla sacris altaribus admota est; nec Christus neque Apostoli vel ipsam Deiparam Virginem sacerdotio exornarunt. — Quae in antiqua Ecclesia *Diaconissae* dicebantur, non constituebant proprie dictum ordinem nec ad altaris ministerium deputabantur, sed ad quaedam pia officia erga mulieres exercenda, nimirum ut adsisterent instructioni et baptismo mulierum. Quod si autem praeter diaconissas etiam *presbyterae* et episcopae recensentur, hae non erant nisi uxores, quas episcopi aut presbyteri ante suam ordinationem duxerant. Neque ipsae *Abbatissae*, quae sacram quandam potestatem olim exercuisse perhibentur, unquam potestate clericali, i. e. jurisdictione proprie dicta seu potestatis clavium participatione fuere instructae; sed tantum auctoritate domestica, materna, oeconomica.

Ad *validam* receptionem ordinum in adulto requiritur consensus ordinandi; quare saepius a RR. Pontificibus declarata est irrita ordinatio, obluctanti ac invito collata.

Ad *licitam* vero receptionem requiruntur: 1° vocatio Dei, quia secundum Apostolum[1] „nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron; 2° recta intentio, quae si in omnibus necessaria est, in tanto negotio a fortiori; 3° confirmatio et prima tonsura; 4° status gratiae, quia est sacramentum vivorum; 5° probitas vitae debitaque scientia; 6° legitima aetas, scil. pro subdiaconatu est saltem 21^{us}, pro diaconatu 22^{dus}, pro presbyteratu 24^{us} annus completus; 7° observatio interstitiorum, utque ordinatio non fiat per saltum, i. e. ne suscipiatur Ordo major omisso inferiore: alias sic ordinatus esset ab exercitio Ordinis sic suscepti suspensus; 8° immunitas ab omni censura et irregularitate; 9° congruae sustentationis titulus pro ordinibus majoribus sive ex beneficio, sive ex patrimonio, sive ex pensione, ut qui ficto titulo ordinatus fuisset ab exercitio Ordinum ipso jure suspensus foret.[2]

[1] Hebr. 5, 4. [2] De recensitis requisitis multa habet conc. Trident. sess. 23, *cap.* 4, 5, 10, 11, 12 notatu valde digna. Cf. insuper etiam s. *Alfons.* L. 6, tr 5, c. 2, n. 781 sq. et dissert. de cleric habit. n. 63 sq. nec non praecipue Codicis j. c. canones 974—982.

Nr. 395. **Effectus** hujus sacramenti sunt:

1° augmentum gratiae sanctificantis, quae cum, ut dicit Eugenius IV. ad Armenos, non ordinetur ad reconciliandum, sed ad illuminandum et consecrandum hominem, manifesto est gratia secunda.

2° gratia sacramentalis, quae hominem reddit „idoneum ministrum“ et annexum habet jus ad gratias actuales necessarias ad officia cuilibet Ordini proprie persolvenda.

3° potestas sacra in Christi corpus reale et mysticum.

4° character, unde Ordo iterari non postest, ut Trident. sess. 23, can. 4 definivit: „Si quis dixerit, per sacram ordinationem . . . non imprimi characterem; vel eum, qui sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse; anath. sit.“ — Ex sententia omnium character in omnibus illis Ordinibus, qui rationem participant sacramenti, imprimitur. Quod jam attinet Subdiaconatum et Ordines minores, cum non sint nuda officia et ministeria, sed veri ordines, licet non constet omnino ea esse sacramenta: characterem et ipsi conferunt, si minus sacramentalem ac divinum, saltem legalem et ecclesiasticum, ad instar gradus honorifici in civitate aut scientifici in academiis.

5° denique quodammodo etiam obligationes, quae ex Ordinum susceptione oriuntur, inter quas praeter recitandas horas canonicas praecipua est lex coelibatus seu perpetua continentia clericis majoribus imposita, jure ac lege ecclesiastica, quae jam lex, voto aequivalens, in Ecclesia occidentali tria exigit: α) ne conjugatus sacris Ordinibus initietur, nisi voverit uxor continentiam; β) ne uxorem ducat ordinatus; γ) ut abstineat omnibus actibus venereis, etiam cum conjuge, si quam ante duxerit.

Tractatus decimus quartus.

De Matrimonio.

Sicut Ordo ad Ecclesiae spiritualem perennitatem, ita Matrimonium ad ejusdem perennitatem carnalem institutum est. Sacramentum namque Matrimonii humani generis propagationem consecrat, ut ex radice sancta melior sanctiorque nascatur soboles et ex honorabili conjugio ac toro immaculato populus christianus ad veri Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi cultum augeatur: sic septenarii numeri circulus concluditur, ut quod ultimum est, sit iterum primo proximum.

Nr. 396. **Matrimonium** a matre dicitur, quia potiorem in eo partem habet mater et mulier idcirco nubit, ut mater fiat. Nuncupatur etiam *conjugium*, quod uno veluti jugo conjuncti conjuges ad sustinenda matrimonii onera conveniant ineantque individuam vitae societatem.

Sumi autem potest matrimonium duplici modo: 1° passive sive *in facto esse*, scilicet pro statu conjugum per contractum matrimonialem inducto et habitualiter permanente; 2° active sive *in fieri*, nimirum pro ipso contractu matrimoniali, de quo in sequentibus hic sermo erit.

Matrimonium active sumptum iterum spectari potest dupliciter, vel potius tripliciter: 1° tamquam contractus naturalis in officium naturae, ad convenientem scil. propagationem generis humani ordinatus, in quo sensu consideratum fuit omni tempore; 2° tamquam contractus civilis, effectus civiles habens, ac civilia jura conjugum et prolium determinans, in quo sensu potestati civili subjacet; 3° tamquam unum ex septem Ecclesiae catholicae sacramentis, et eatenus solum invenitur sub nova Lege in baptizatis.

Nr. 397. Cui triplici conceptui respondens esse debet etiam Matrimonii **definitio**.

In primo sensu est „contractus naturalis legitimus, quo efficitur viri et mulieris conjunctio maritalis, individuam vitae societatem retinens".

Quatenus sumitur pro contractu civili, est contractus implicite vel explicite Matrimonio adnexus, ad effectus mere civiles.

Quatenus sacramentum est, definitur: *Sacramentum novae Legis, in quo vir et mulier, legitime contrahentes, maritaliter conjunguntur et gratia divina donantur;* vel etiam: est *contractus matrimonialis a Christo ad dignitatem sacramenti evectus.*

Matrimonium ergo est semper contractus naturalis: inter baptizatos est insuper sacramentum:[1] in societate civili est simul contractus civilis, quia auctoritas politica jus habet, jura civilia conjugum et prolis determinandi.

Nr. 398. Ex definitione tradita colliguntur tria Matrimonii **elementa**: 1. consensus mutuus externe manifestatus ad maritalem conjunctionem; 2. status mutuae obligationis ex tali consensu initus ad maritalem conjunctionem, seu conjugale vinculum; 3. ipsa maritalis conjunctio in effectum deducta.

In duabus primis notis consistit **essentia** Matrimonii, cum scil. hoc sit quaedam species contractus, essentia autem cujusvis contractus in mutuo *consensu* atque in *obligatione* exinde derivata consistat. Usus autem Matrimonii seu copula non est pars essentiae, sed effectus connaturalis Matrimonii; non enim esset licitus usus, nisi jam essent veri conjuges. Hinc Ecclesia illos quoque ut veros conjuges considerat, qui per votum castitatis sibi usum Matrimonii interdicunt.

Nr. 399. **Errores** circa Matrimonium quam plurimos refert historia dogmatum. Jam primis tribus saeculis Manichaei et Gnostici Matrimonii honestatem negabant; e contrario saeculo 4^to^ Jovinianus Matrimonium virginitati praeposuit; Manichaeorum errores instaurarunt Albigenses et Cathari; Graeci schismatici circa vinculi indissolubilitatem errabant; Reformatores saeculi 16^ti^ praeter alios errores maxime dignitate sacramenti Matrimonium spoliare ausi sunt. Denique sic dicti Regalistae et Jansenistae circa potestatem Ecclesiae in statuendis impedimentis hallucinati sunt.

---

[1] Cf. Nr. 403, pag. 469/70.

Matrimonium semper fuit sacrum, licet non semper fuerit sacramentum; etenim ab initio sanctificatum a Deo est in Paradiso, postea autem ad dignitatem sacramenti a Christo in Novo Testamento evectum, quare inter baptizatos nequit matrimonialis contractus validus consistere, quin sit eo ipso sacramentum.[1]

Nr. 400. **Matrimonium a Deo est institutum.**

Propositio *fide certa*, ut constat ex Trident sess. 24, in praeambulo.

Probatur:

1° ex SS. Litteris. Gen. 1, 28: *Crescite et multiplicamini*[2] . . . Matth. 19, 6: *Quod Deus conjunxit, homo non separet.*

2° ex ratione theologica: Deus est auctor naturae, atqui matrimonium est a natura; ergo etiam est a Deo. Matrimonium autem esse a natura patet ex eo, quod natura, etiam secluso originali peccato, inclinet hominem ad prolis generationem. Sed natura non tantum rerum generationem, verum etiam earundem provectionem et perfectionem intendit: conditio autem humana ita a Deo constituta est, ut proles, postquam in lucem est edita, longissimis curis indigeat et per nutritionem et educationem ad perfectum perduci debeat secundum corpus et animam. Jam vero haec necessaria nutritionis et educationis officia certos requirunt parentes, eosque vinculo quodam permanente colligatos, quod non est aliud quam Matrimonium.

Nr. 401. De Matrimonio ut est officium naturae praeter hoc unum, quod ergo ejus usus per se sit licitus ac honestus, haec adhuc sunt notanda:

1. **Vagus concubitus aeque ac polyandria simultanea juri naturae adversantur.** Etenim nocet: *α)* generationi, *β)* educationi prolis, ac *γ)* mutuo adjutorio, adeoque finibus a natura per Matrimonium intentis prorsus repugnat. Propterea prostitutio, ad quam polyandria reducitur, omni tempore ut infamis et flagitiosa fuit habita.

2. **Polygamia simultanea non adversatur quidem simpliciter juri naturae, sed secundum quid.** Secun-

[1] Cod. can. 1012. [2] Matth. 19, 4 sqq.

dum s. Thomam[1] enim pluralitas uxorum neque totaliter tollit neque aliqualiter impedit matrimonii primum finem, cum unus sufficiat pluribus uxoribus fecundandis et educandis filiis ex his natis. Sed secundarium finem etsi non totaliter tollat, tamen multum impedit, eo quod non facile potest esse pax et tranquillitas in familia, ubi uni viro plures junguntur uxores; cum non possit unus vir sufficere ad satisfaciendum pluribus uxoribus ad votum, et etiam quia communicatio plurium in uno officio causat litem. — Cum exinde polygamia, licet per se inordinata sit, tamen non sit absolute inhonesta, per specialem Dei permissionem licita evadere potest, quod revera accidit in veteri Testamento, ubi ipsi patriarchae Abraham, Jacob, David plures uxores habuerunt, quin desuper a s. Scriptura reprehendantur.[2]

3. **Ex primitiva et originali institutione Matrimonium est indissolubile.** Pertinet ad *doctrinam catholicam*, quam s. Thomas[3] his probat argumentis: α) Matrimonium ex intentione naturae ordinatur ad educationem prolis non solum per aliquod tempus sed per totam vitam prolis. Cum ergo proles sit commune bonum viri et uxoris, oportet eorum societatem perpetuo permanere indivisam secundum legis naturae dictamen. — β) De lege naturae est, quod homo Deo non contrarietur. Sed homo quodammodo Deo contrarius esset, si separaret, quos Deus conjunxit, ut patet ex verbis Christi modo supra allatis. — Confirmatur idipsum a Trident. sess. 24. proëm: „Matrimonii perpetuum indissolubilemque nexum primus humani generis parens divini Spiritus instinctu pronunciavit, cum dixit: Hoc nunc os ex ossibus meis . . . et erunt duo in carne una“: porro a Pio VI. ad episcop. Agriae, a Pio IX. in Syllabo et Leone XIII. per Encycl. „Arcanum“.

4. **Matrimonii indissolubilitas autem non est praeceptum primarium, sed secundarium naturae;** nam inseparabilitas Matrimonii, ait s. Thomas,[4] non ordinatur ad prolis bonum, quod est Matrimonii finis princi-

[1] In 4. dist. 33, q. 1, a. 1 (Suppl. q. 65, a. 1). [2] Cf. Deut. 21, 15. [3] In 4. dist. 33, q. 2, a. 1. [4] Suppl. q. 67, a. 2.

palis, nisi quantum ad hoc, quod per parentes filiis provideri debet in totam vitam, per debitam praeparationem eorum, quae sunt necessaria in vita. Hujusmodi autem praeparatio non est de prima intentione naturae, secundum quam omnia sunt communia: et ideo non videtur esse contra primam intentionem naturae dimissio uxoris, et per consequens nec contra prima praecepta, sed contra secunda legis naturae.

Cum itaque Matrimonii indissolubilitas sit de jure naturae, *consequitur*, licitum non esse conjugibus, ut proprio arbitrio ulla ex causa Matrimonii vinculum solvant; neque etiam ulli auctoritati mere humanae id licet. Bene vero vinculum hoc dissolvi potest auctoritate divina, ut reapse factum est in antiquo Testamento per libellum repudii[1] dispensante Deo et etiam nunc fieri potest inter infideles, quorum alter se convertit ad fidem.

Nr. 402. **Matrimonium inter christianos verum est et proprie dictum sacramentum.**

Est *de fide* ex conc. Trident. sess. 24. can. 1: „Si quis dixerit, matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem legis evangelicae sacramentis a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre: anath. sit."

Probatur:

1° ex verbis Apostoli:[2] *Viri, diligite uxores vestras sicut Christus dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro ea . . . Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo et in Ecclesia*, quibus s. Paulus Matrimonium naturale declarat ceu typum, qui conjunctionem Christi et Ecclesia gratiâ sacratam repraesentet sicque Matrimonio christiano gratiam ipsam utique ex institutione Christi vindicat.

2° ex Patribus, qui Matrimonium α) inter res sacras numerant, imo etiam sacramenti nomine vocant;[3] β) sanctificatum dicunt, cum Christus adesset ad nuptias Canenses.[4]

---

[1] Matth 19, 8. [2] Eph 5, 23. [3] v. gr Ignat M. Epist. ad Polyc. c. 5; Clem. Alex Stromat. lib 3. Tertul. Ad uxorem l. 2, c. 8. [4] Cyril. Alex L 2 in Joan. 2, 1. n. 134.

3° ex praescriptione: cum enim Protestantes exorti sunt, Matrimonium christianum in toto orbe catholico pro sacramento habebatur. Ab Eugenio IV. usque ad conc. Later. II, plura exstant decreta Ecclesiae, in quibus omnibus Matrimonio ratio veri et proprii sacramenti adseritur et vindicatur; per eadem tempora idem affirmat universa schola; in eandem sententiam consentiunt Graeci aliique christiani orientales, qui dudum ab Ecclesiae Romanae communione recesserunt, neque ullum in historia vestigium serioris originis hujus doctrinae invenitur.

Nr. 403. **Matrimonium inter christianos ita est sacramentum, ut nihil intersit inter contractum et sacramentum, nullumque datur inter christianos Matrimonium, quod non sit pariter Ecclesiae sacramentum.**

Est thesis hodie adeo *certa*, ut sine temeritatis nota negari nequeat.

Probatur:

1° ex conciliis: α) Florentinum in Decreto pro Armenis, manifeste loquens de Matrimonio quatenus est sacramentum, dicit: „Causa efficiens Matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de praesenti expressus.“ Cum jam consensu mutuo efficiatur contractus, hic contractus ipse est sacramentum; β) Tridentinum[1] docet, Matrimonia clandestina rata et vera esse Matrimonia proindeque et sacramenti habuisse rationem, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit. Atqui in Matrimonio clandestino nihil habes praeter contractum matrimonialem: ergo hic ipse est sacramentum.

2° ex declarationibus Pontificiis: v. gr. Pius VI.:[2] „Contractus matrimonialis est vere et proprie unum ex septem legis evangelicae sacramentis“; Pius IX.:[3] „Est doctrina Ecclesiae catholicae, sacramentum non esse qualitatem accidentalem contractui superadditam, sed de ipsa Matrimonii essentia esse“: nec non in Syllabo damnatae propositiones, inter quas ex gr.

[1] Sess. 24, cap. 1 de Reform. [2] Epist. ad episcop. Motulen. 6. Sept. 1788. [3] Litt. 19. Sept. 1852 ad Regem Sard.

73ta sonans: „Vi contractus mere civilis potest inter christianos constare veri nominis Matrimonium falsumque est aut contractum Matrimonii inter christianos semper esse sacramentum, aut nullum esse contractum, si sacramentum excludatur".

3o accedunt intrinsecae rationes, quas Leo XIII. ad hujus (contra Regalistas expositae) doctrinae complementum adducit,[1] scil. in Matrimonio sacramentum dici tum contractum tum vinculum. Contractus enim et vinculum non sunt duae res disparatae, sed prima est causa alterius. Hinc, ut dicere solent theologi, contractus consistens in ritu ipso exteriore, qui est efficax gratiae, est sacramentum tantum; vinculum, quod est effectus permanens illius ritus, dicitur res simul et sacramentum. Ipsa gratia autem est sacramenti res tantum.

Codex j. c. in can. 1012 hanc rem dilucide profitetur dicens: § 1. Christus Dominus ad sacramenti dignitatem evexit ipsum contractum matrimonialem inter baptizatos.

§ 2. Quare inter baptizatos nequit matrimonialis contractus validus consistere, quin sit eo ipso sacramentum.

Nr. 401. **Ministri sunt ipsi contrahentes, qui sacramentum Matrimonii mutuo sibi administrant.**

Desuper quidem nulla Ecclesiae declaratio constituta est; ast contra sententiam, quae asserit ministrum esse sacerdotem nuptias benedicentem, et quam primus omnium videtur docuisse Melchior Canus, propositio nostra intra theologos et canonistas semper fuit *communior* et hodie a primariis auctoribus non immerito *certa* vocatur.

Probatur:

1o ex conc. Florentino dicente: *Causa efficiens Matrimonii est regulariter mutuus consensus per verba de praesenti expressus;* atqui mutuum consensum ponunt contrahentes; ergo ipsi ponunt causam efficientem, adeoque ipsi efficiunt Matrimonii sacramentum ac proinde sunt ministri.

[1] Encycl. *Arcanum* 10. Febr. 1880.

2° ex Tridentino, quod permittit,[1] verba benedictionis nuptialis varia usurpari, pro cujusque provinciae ritu, quod non permisisset, si illa verba essent forma a sacerdote tamquam ministro proferenda.

3° ex eo, quod Matrimonium clandestinum, sine sacerdote contractum, et olim fuit, et hodiedum in locis, ubi decretum Trident. de eis non est publicatum, est validum adeoque verum sacramentum.

4° ex auctoritate s. Thomae dicentis:[2] „Verba, quibus consensus matrimonialis exprimitur, sunt forma hujus sacramenti, non autem benedictio sacerdotis, quae est quoddam sacramentale."

5° ex auctoritate Benedicti XIVti, qui scribit:[3] „hujus sacramenti materiam esse mutuam corporum traditionem, verbis ac nutibus assensum exprimentibus; mutuam vero acceptationem, formam."

6° ex natura sacramenti, quae physice considerata consistit, et quidem, juxta probabiliorem sententiam, simpliciter atque praecise in ipso contractu matrimoniali valido: hic autem a solis contrahentibus efficitur.

Codex j. c. sententiam suam exprimit in can. 1081, § 1 hisce verbis: Matrimonium facit partium consensus inter personas jure habiles legitime manifestatus, qui nulla humana potestate suppleri valeat.

Nr. 405. **Materia et forma sacramenti Matrimonii coincidit cum materia et forma contractus Matrimonii.**

Juxta illos, qui sacerdotes ut ministros hujus sacramenti habent, materia proxima est contractus Matrimonii, forma autem sunt sacerdotis verba: „Ego vos in Matrimonium conjungo" vel similia.

Cum vero ex demonstratis constet, ipsum contractum matrimonialem esse sacramentum, sequitur jam hujus materiam et formam esse eandem, quae est ipsius contractus. Videlicet: sicut in quovis contractu:

materia remota est res, de qua paciscitur, ita in sacramento Matrimonii sunt corpora sponsorum in ordine ad generationem;

---

[1] Cap. 1 de Reform. Matrim. [2] Suppl. q. 42 art. 1 ac 1. [3] Breve *Paucis abhinc* ad Ep. Goanum.

materia proxima est mutua traditio corporum, vi cujus nubentes sibi mutuo tradunt jus in alterius corpus;

forma est acceptio hujus juris mutuo consensu externe manifestata.

Nr. 406. Cum doctrina modo proposita cohaerent et ex illa fluunt haec **corollaria:**

1. Matrimonium per procuratorem initum esse verum sacramentum, quia est verus contractus.

2. Matrimonia haereticorum et schismaticorum pariter esse sacramenta, dummodo non adsit impedimentum dirimens.

3. Matrimonia inter infideles vera quidem esse matrimonia seu valere in ratione contractus, ob baptismi tamen defectum non esse sacramenta: per susceptionem tamen baptismi fieri sacramenta, certe consensu matrimoniali explicite renovato, probabiliter autem etiam sine explicita consensus renovatione.

4. Utrum matrimonium inter fidelem et infidelem, sublato, per Ecclesiae dispensationem disparitatis cultus impedimento dirimente sacramentum sit, saltem ex parte fideli dubitatur, in utramque partem theologis disputantibus.

5. Matrimonium civile per se et generatim neque sacramentum neque contractum conjugalem esse.

6. Matrimonia sic dicta mixta i. e. inter catholicos et acatholicos, licet per se sint illicita, cum vere sint conjugia, esse sacramenta, dummodo sint contracta coram catholico parocho vel loci Ordinario.[1]

Licet plerumque juri canonico deprompta, pro praxi tamen quoad matrimonia civilia et mixta hic quoque notentur pauca haec insequentia.

Nr. 107. **Matrimonium civile** triplex distingui solet: n e c e s s i t a t i s appellatum, quod a gubernio civili permittitur, quando non est contra legem civilem, denegata a parocho assistentia ob impedimentum matrimonio obstans; f a c u l t a t i v u m, si arbitrio nupturientium relinquitur, malintne coram parocho, vel coram magistratu civili conjugium inire; o b l i g a t o r i u m, si

[1] Cf. can. 1099 § 1, n. 1 et can. 1094.

omnes nupturientes coram magistratu civili consensum declarare jubentur.

Matrimonium civile facultativum et obligatorium in locis, ubi Tridentinum decretum „Tametsi" viget, neque est sacramentum neque contractus, quia praefatum decretum contrahentes sine parochi praesentia omnino inhabiles reddit ad contrahendum. Iis tamen in locis, ubi illud decretum non est publicatum, matrimonium coram civili magistratu vel alia ratione contractum, si non obstat aliud impedimentum dirimens, est verum et ratum seu ex ipso, quod est validus contractus, est sacramentum.

Matrimonium civile, quod appellatur necessitatis, non solum ob impedimentum, ubi extat, clandestinitatis, sed etiam ob aliud obstans impedimentum, propter quod assistentia parochi non permittitur, aut graviter illicitum aut etiam invalidum est, secundum naturam scilicet hujusce impedimenti. Si invalidum est, etiam sacramentum non est.

Nr. 408. **Matrimonia mixta** dicuntur ea, quae contrahuntur inter catholicos et acatholicos, i. e. baptizatos quidem, sed haereticos aut schimaticos.

Ratum est apud omnes, hujusmodi Matrimonia esse valida, sed **per se,** i. e. juxta *ordinarium* rerum cursum, **esse illicita,** nisi Romani Pontificis dispensatio accedat.

Probatur:

1° jure naturali, quo quilibet tenetur regulariter rem quampiam omittere, si ordinarie illa est admodum periculosa animae suae vel alienae; atqui conjugium mixtum est res hujusmodi; nam periculum oritur: α) pro parte catholica ex vita compartis acatholicae commodiore atque ejus odio in catholicos, unde blanditiae et minae; item ex divortio quoad torum, quod affectabit compars acatholica, quae saepe illud pro licito ducit; β) pro nascitura prole ex convictu cum parente acatholico, ex educatione etc.

2° jure divino: in antiquo Testamento prohibuit Deus Hebraeis, ne conjugia miscerent cum infidelibus,[1]

[1] **Deuteron.** 7.

quibus nunc haeretici et schismatici propter paritatem rationis in hac re assimilandi sunt; s. Paulus autem monet: *Cui vult nubat, tantum in Domino,*[1] vel iterum: *Haereticum hominem devita,*[2] ergo a fortiori connubium cum haeretico est vitandum.

3° jure ecclesiasico: Ecclesia, ut Patrum testimoniis liquet, Matrimonia mixta non tantum semper exhorruit, sed et canonibus vetuit, v. gr. in conc. Chalcedonensis canone 14: „Neque copulari debet nuptura haeretico aut Judaeo aut pagano: nisi forte promittat, se ad orthodoxam fidem persona orthodoxae copulanda transferre", quas sanctiones Romani Pontifices constanter ratas habuerunt.

Fiunt autem licita per dispensationem, quae directe aut indirecte a Pontifice impertitur, quando a sponsis praestantur oppurtunae cautelae, quod rationes, quibus ex jure divino et naturali istae nuptiae illicitae fiunt, sublatae fuerint. Quam ob rem apud nos Austriae episcopi exigunt *literas reversales*, quibus pars haeretica promittit, se permissurum comparti usum liberum religionis catholicae et educaturum in eadem omnes liberos utriusque sexus: catholicus vero contrahens insuper adhuc, fore ut efficaciter procuret conversionem contrahentis acatholici.

Praemissis his cautelis in nostro Imperio, excepta vera provincia Tirolensi, usus benignior obtinuit, quo Matrimonia mixta cum rituum sacrorum administratione benedicuntur, exclusa tamen semper Missae celebratione. Haec tamen assistentia activa, licet cautelae opportunae fuerint praemissae, concedi non potest, si nuptiae aut antea aut postea ritu acatholico initae vel ineundae essent, praeterquam in casibus, quibus minister haereticus lege civili postulante personam agit mere magistratus civilis, nec ulla habetur ritus haeretici professio.

Huic jam adhuedum observatae praxi noster Codex novus j. e. per can. 1061–1063 quidem omnino assentiens condidit una simul eatenus jus novum, cum in can. 1099 § 1 constituat: „matrimonia mixta, quorum una pars catholicam profitetur fidem tunc tantum esse valida, si contrahuntur coram parocho catholico."

[1] 1 Cor. 7, 39. [2] Tit. 3, 10.

Nr. 409. **Subjectum** Matrimonii sunt personae aptae ad sacramentum suscipiendum, naempe personae diversi sexus baptizatae et legitimae i. e. non impeditae aliquo impedimento.

Impedimenti nomine venit omne id, quod obstat. quominus Matrimonium *valide* aut *licite* contrahatur. — Si tale sit ejusmodi obstaculum, ut conjugium irritum prorsus ac nullum efficiat, dicitur dirimens; si vero tale sit, ut connubium illicitum tantum reddat, impediens nuncupatur.

Praeter quaestionem de potestate legislativa circa impedimenta statuenda quaevis alia stricte ad jus can. pertinet. Quamobrem nobis hic solum de hac potestate sermo esse potest. enumeratis autem prius Matrimonii effectibus et proprietatibus, ut queamus dein de illis seorsim et accuratius disserere.

Nr. 410. **Effectus** Matrimonii sunt,

α) qualenus est contractus: 1° vinculum indissolubile; 2° dominium mutuum corporis in ordine ad actum conjugalem; 3° obligatio mutua fidelitatis; 4° obligatio prolem recte educandi; 5° obligatio cohabitationis et mutui adjutorii.

β) quatenus est sacramentum: 1° augmentum gratiae sanctificantis; 2° gratiae actuales,[1] opportuno tempore dandae, ad conjugalem amorem confirmandum, ad refraenandam libidinem, ad mutua onera supportanda, ad mutuam fidelitatem servandam, ad prolem bene educandam et gubernandam familiam; 3° virtutum theologicarum et moralium praecipue charitatis, pietatis, fidelitatis et patientiae augmentum.

Can. 1110 in Codice j. c. definit: ex valido matrimonio enascitur inter conjuges vinculum natura sua perpetuum et exclusivum; matrimonium praeterea christianum conjugibus non ponentibus obicem gratiam confert.

Nr. 411. Connubii christiani duae sunt praecipuae **proprietates:** unitas et indissolubilitas, quae in matrimonio christiano peculiarem obtinent firmitatem ratione sacramenti.[2]

---

[1] Cf. supra, *de Sacr. in gen.* n. 245. [2] Can. 1013, § 2.

Unitas Matrimonii est ea proprietas, vi cujus eodem tempore nonnisi unus cum una foedere conjugali conjunctus est. Unitati *adversatur* polyandria et polygamia, quae est utraque vel simultanea vel successiva. De polygamia simultanea autem non agimus, cum ea jam juri naturae adversatur.[1]

Indissolubilitas Matrimonii est ejusdem perfecta firmitas, qua fit, ut non, sicut alii contractus vel ad tempus iniri vel, postquam initum fuerit, contrahentium voluntate solvi possit. Hinc *differt* ab unitate: posset enim Matrimonium esse unum, nec tamen indissolubile, et vice versa.

Indissolubilitati *adversatur* solutio, quae duplex distinguitur: *perfecta* quoad vinculum, et *imperfecta* quoad torum et habitationem, manente vinculo, quae potius dici solet „separatio".

Quod spectat ad solutionem quoad vinculum, Matrimonium distinguitur verum, ratum et consummatum, quae tria distant inter se perfectionis et firmitatis gradu. Verum tantum dicitur coniugium, quod est in infidelitate contractum; ratum praeterea quod a fidelibus initum est juxta conditiones ab Ecclesia statutas; consummatum denique, quod usu interveniente completum est.

Codicis can. 1118 dilucide profitetur: Matrimonium validum ratum et consummatum nulla humana potestate nullaque causa, praeterquam morte, dissolvi potest.

Nil abominabilius ac perniciosius propterea dici potest quam ista dispensatio fatalis, hodiedum a magistratu civili Viennensi qui aetiam ab impedimento ligaminis concessa,[2] qua utentes in legali ac valido matrimonio se conjunctos existimant, dum revera nil sunt quam adulteri.

Celebrato matrimonio, si conjuges simul cohabitaverint, praesumitur consumatio, donec contrarium probetur.

Matrimonium inter non baptizatos valide celebratum, dicitur *legitimum*.

Matrimonium invalidum dicitur *putativum*, si in

---

[1] Cf. pag. 466, Nr. 401. [2] Cf. not. 1. in seq. pagina.

bona fide ab una saltem parte celebratum fuerit, donec utraque pars de ejusdem nullitate certa evadat.[1]

Matrimonium gaudet favore juris; quare in dubio standum est pro valore matrimonii donec contrarium probetur,[2] salvo praescripto in Codicis canone 1127: „In re dubia privilegium fidei gaudet favore juris."

Nr. 412. **Polygamia simultanea in lege Evangelica jure divino prohibita est.**

Contra Novatores saeculi 16ti *de fide* ex Trident. sess. 24, can. 2: „Si quis dixerit, licere christianis plures simul habere uxores, et hoc nulla lege divina esse prohibitum, anath. sit."

Loquimur autem: α) de polygamia simultanea, minime vero de successiva, quam contra Montanistas, sicut et polyandriam successivam, esse licitam definivit Florentinum in Decreto pro Jacobitis: „Declaramus, non solum secundas nuptias, sed etiam tertias et quartas et ulteriores, si aliquod canonicum impedimentum non obstat, licite contrahi posse" et Apostolus[3] aperte docet: — β) de lege Evangelica: nam de antiquo foedere certum est ex dispensatione divina permissam fuisse vel saltem toleratam pluralitatem uxorum. Unde de patriarcha Jacob scribit Augustinus:[4] „Si naturam consulas, non lasciviendi, sed gignendi causa illis mulieribus utebatur; si morem, illo tempore atque in illis terris hoc factitabatur; si praeceptum, nulla lege prohibebatur."

Probatur:

1° ex SS. Litteris. Christus verbis suis:[5] *Propter hoc . . . adhaerebit homo uxori suae et erunt duo*

---

[1] Can. 1015, § 1, 2 et 3. — Matrimonii putativi species specialissima sunt sic dicta matrimonia *dispensata* (Dispensehen), quae nostris demum diebus moris esse coeperunt exinde quo rei publicae administratio (Landesregierung) Viennae uti etiam Clagenfurti, comm. codicis legum civil §um 83 perperam ac false interpretans, quia etiam ab impedimento ligaminis dispensare consuevit, ita ut coram magistratu civili ineantur hodiedum matrimonia etiam inter baptizatos et catholicos, licet hic teneantur adhuc vinculo prioris matrimonii. Per se patet hujusmodi matrimonia in facie ecclesiae irrita esse nulliusque valoris, quapropter omni tempore rescinduntur, ubi cum ad judicium adducuntur. [2] Can. 1014. [3] 1 Cor. 7, 39.
[4] Contr. Faustum. L. 22, c. 47. [5] Matth. 19, 4 sq.

(non tres aut plures) *in carne una* etc. licentiam antiquis patriarchis et Israëlitis factam revocat Matrimoniumque ad primaevam institutionem unius cum una reducit, dum in sequentibus versibus absolute ut adulterum declarat illum, qui dimissa uxore alteram ducit: quare multo magis adulter esset, qui priore retenta alteram adjungit. — Similiter Apostolus diserte declarat,[1] numquam licere mulieri durante priore conjugio alteri viro nubere, quod vero non minus ad virum pertinet, cum idem jus habeat uxor in corpus viri, quod vir in corpus uxoris: cujus unitatis rationem idem Apostolus petit ex eo, quod Matrimonium symbolum est conjunctionis Christi cum Ecclesia,[2] eaque una.

2° ex Patribus, quorum unanimis consensus iterum iterumque repetit, quae s. Ambrosius[3] scribit: „Non licet tibi uxore vivente ducere aliam; nam et aliam quarere, cum habeas tuam, crimen est adulterii."

3° ex praxi Ecclesiae, quae numquam, ne summis quidem principibus polygamiam concessit vel indulsit.[4] Eadem e causa etiam infideles ad Baptismum venientes semper compellebantur, ut uxores omnes praeter primam dimitterent. Unde Nicolaus I. in resp. ad Bulgar. scripsit: „Duas tempore uno habere uxores nec origo humanae conditionis admittit, nec lex christiana ulla permittit."

4° quando Lutherus, Melanchthon et Bucerus anno 1539 Philippo Hassiae Landgravio divortium a legitima uxore et novas nuptias permiserunt, totus christianus orbis exhorruit.

Nr. 413. **Matrimonium christianorum consummatum est omnino insolubile**, qua ex re nulla humana potestate nullaque causa, praeterquam morte, dissolvi potest.[5]

---

[1] 1 Cor. 7, 4 et Rom. 7, 2. [2] Eph. 5, 22. [3] De Abraham, L. 1, cap. 7.

[4] Opponitur quidem Gregorius II., qui s. Bonifacio rescripsisse fertur, in casu infirmitatis uxoris maritum aliam ducere posse. Ast praefatum rescriptum imprimis est dubium; posita autem genuinitate, de impedimento impotentiae ante Matrimonium contracto intelligi debet.

[5] Can. 1118.

Contra Protestantes, nec non etiam Graecos contrariam praxim in casu adulterii sequentes est *fide certa* ex Trident. can. 7 statuente: „Si quis dixerit, Ecclesiam errare, quum docuit et docet, juxta evangelicam et apostolicam doctrinam propter adulterium alterius conjugum Matrimonii vinculum non posse dissolvi et utrumque vel etiam innocentem, qui causam adulterii non dedit, non posse altero conjuge vivente aliud Matrimonium contrahere, moecharique eum, qui dimissa adultera aliam duxerit, et eam, quae dimisso adultero alii nupserit: anath. sit;" similiter ex ejusdem conc. can. 5: „Si quis dixerit, propter haeresim aut molestam cohabitationem aut affectatam absentiam a conjuge dissolvi posse Matrimonii vinculum: anath. sit."

Probatur:

1° ex SS. Scripturae locis prius citatis, quibus non solum unitas, sed etiam indissolubilitas Matrimonii pronuntiatur, v. gr. Marc. 10. 9: *Quod Deus conjunxit, homo non separet;* Luc. 16, 18: *Omnis, qui dimittit uxorem suam et alteram ducit, moechatur.*

2° ex traditione utriusque Ecclesiae. Sic inter alios Tertullianus:[1] „Per mortem utique, non per repudium solvitur Matrimonium, quia repudiatis non permitteret Apostolus nubere adversus pristinum praeceptum:" s. Chrysostomus:[2] „Hic, quod alienam ducat, moechus et ipse fit. Ne mihi enim dicas: ille ejecit: nam ejecta adhuc manet ejicientis uxor." — Si nihilominus Graeci etiam uniti ob causam adulterii novas iniri nuptias permittunt, antiquam consuetudinem seu abusum eorum fidei ac doctrinae contrarium[3] sequuntur, sibimetipsis insigniter contradicentes.

---

[1] Lib. de Monogam. cap. 2. [2] Hom. 17 in Matth n. 4.
[3] Historiae conc. Trident. scriptor Pallavicini testatur, concilium thesim nostram directe definire voluisse, ast, postulantibus Venetiarum legatis, formam indirectam adhibuisse, ne Graeci damnarentur, qui solutionem Matrimonii in casu adulterii sua praxi tuebantur. Quum igitur Tridentini canon 7^us^ de matrimonio proxime et directe Novatores tantum damnet, qui Ecclesiam cath. ita docentem erroris incusant et indirecte tantum praedictam Ecclesiae doctrinam dogmatice proponat, Graeci ex dicta

3° ex ratione theoretica et practica. Priorem assignat Eugenius IV. in Decr. pro Armenis: „Tertium Matrimonii bonum est *indivisibilitas* propter hoc, quod significat indivisibilem conjunctionem Christi cum Ecclesia:" posterior colligitur ex funestissimis consectariis, quae ex dissolubilitate Matrimonii tam pro liberis quam pro conjugatis et pro societate humana fluerent. Liberi a patre aut matre adhuc vivente separati a teneris discerent odisse, quos venerari et amare natura jubet: labefacta semel conjugii firmitate, infinitis repudiis cum horrenda morum dissolutione via sterneretur; si in casu adulterii solveretur conjugii vinculum ingens istud foret sceleris incitamentum, quae omnia evangelico spiritui adversantur.

Nr. 414. Licet magnam parent difficultatem, non tamen obstant Christi verba apud Matth. 5. 32: *Omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam moechari, et qui dimissam duxerit, adulterat;* vel. l. v. 19. 9: *Quicumque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem et aliam duxerit, moechatur: et qui dimissam duxerit, moechatur.*

Difficultatem enim tantum hermeneuticam, minime vero dogmaticam facessunt; quapropter etiam plures exstant modi solutionis plus minusve probabiles.

α) Quidam dicunt Christum in hoc loco nondum proposuisse legem evangelicam, sed interpretatum fuisse legem Mosaicam.

β) alii dicunt nomine *πορνείας* non venire adulterium, sed fornicationem et concubinatum, ita ut sensus sit: nunquam licere Matrimonium dissolvere, nisi illud sit Matrimonium apparens, scilicet concubinatus.

---

eorum praxi non sunt quidem formales haeretici, sed errant. Sonat autem hicce canon:

Si quis dixerit Ecclesiam errare, cum docuit et docet, juxta evangel. et apostol Doctrinam (Matth. 19 et 1 Cor. 7) propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non posse dissolvi, et utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero conjuge vivente, aliud matrimonium contrahere, moecharique eum, qui dimissa adultera aliam duxerit, et eam, quae dimisso adultero alii nupserit: anath. sit.

γ) juxta alios dividenda est reponsio Christi in duas partes, unam et quidem Matth. 19, 9 ad Judaeos, alteram ad discipulos in domo Marc. 10, 10: *Et qui alteram duxerit, etiamsi haec dimissa sit, moechatur*, ita ut prior responsionis pars praecisiva tantum sit, non negativa: videlicet praescindat ab affirmanda Matrimonii indissolubilitate in casu adulterii, non tamen eam neget; altera vero pars indissolubilitatem affirmet.

δ) Longe tamen probabilior et inter Patres communior interpretatio est haec, quod Christus in casu adulterii tantummodo permittat divortium i. e. separationem a toro, non vero solutionem vinculi, sitque clausula „nisi ob fornicationem" referenda tantum ad primum enuntiationis membrum, ita ut sensus sit: Quicumque dimiserit uxorem suam (quod non licet nisi ob fornicationem) et aliam duxerit (priore vivente, sive haec sit aut non sit adultera), moechatur. Prima ergo pars est conditionata et agit de divortio: altera, quae de solutione vinculi agit, est absoluta.

Jam hanc modo dictam interpretationem exposcunt:

1° loca parallella *Marc.* 10, 11 et *Luc.* 16, 18, ubi absolute prohibetur solutio Matrimonii, nulla exceptione facta.

2° contextus. Christus enim dicit, se Matrimonium ad primitivam institutionem revocare et legem Mosaicam corrigere. Admissa autem explicatione Protestantium lex Mosaica in hac materia praestantior fuisset, quam evangelica; nam jus repudii antiquitus soli viro proprium erat, Christus autem hoc jus etiam feminae communicasset et simul adulteriis viam latissimam complanasset, si adulterium causa esset solvendi vinculum Matrimonii. Accedit insuper, quod in hac hypothesi uxor fornicaria melioris conditionis esset, quam injuste dimissa, cum illa novas nuptias, haec minime inire posset. Neque Apostolorum stupor tantae indissolubilitatis admirantium rigorem intelligi in hac hypothesi posset.

3° authentica interpretatio s. Pauli in epistola ad Romanos[1] et prima ad Corinthios,[2] ubi absoluta indissolubilitas ex professo defenditur.

[1] Rom. 7, 3. [2] 1. Cor. 7, 10 sq.

4° interpretatio SS. Patrum antiquissimorum, v. gr. Justini M., Clementis Alexdr., Origenis, Chrysostomi etc. et plurimorum conciliorum, e. gr. Illiberitani a. 315, Arelatensis a. 314, Milevitani II. a. 415, cui interfuit s. Augustinus, Suessionensis a. 745 etc.

Nr. 415. Indissolubilitas tamen Matrimonii tres patitur **exceptiones**; scilicet

α) si quis ante consummationem Matrimonii solemnem professionem emittat in religione approbata;

β) si Papa dispenset;

γ) inter infideles etiam post Matrimonii consummationem, si unus ad fidem convertatur, et alter pacifice cohabitare nolit.

Huc spectat Codicis can. 1119, qui statuit: Matrimonium non consummatum inter baptizatos vel inter partem baptizatam et partem non baptizatam dissolvitur tum ipso jure per solemnem professionem religiosam, tum per dispensationem a Sede Apostolica ex justa causa concessam, utraque parte rogante vel alterutra, etsi altera sit invita.

Nr. 416. **Matrimonium ab infidelibus contractum**, etiamsi ab eis fuerit consummatum, divina auctoritate **dissolvi potest**, si alterutro conjuge ad fidem converso, alter cum eo vivere renuat, vel cohabitare non consentiat sine contumelia Creatoris.

Est propositio *certa*, vix enim unquam de illius veritate dubitatum est usque ad medium saeculum **anteactum**.

Probatur:

1° ex Apostoli verbo 1 Cor. 7, 15: *Quodsi infidelis discedit, discedat; non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi*, unde facultas haec appellari solet „privilegium Paulinum". — Age vero ibi de solutione vinculi liquet: α) ex eo, quod converso aliquid Apostolus concedit in casu, quod altera pars discedat: haec vero concessio non est mera separatio a cohabitatione, quae jam per discessum alterius partis est soluta; β) ex ratione addita: „Non enim subjectus est servituti etc." Atqui esset dura servitus, si discedente parte infideli et novum Matrimonium ineunte, pars conversa deberet servare conti-

nentiam. Praeterea servitus est ea, quam Paulus v. 11 descripserat, quamque v. 27 ligamen vocat: γ) ex comparatione, quam instituit inter conjugia fidelium, de quibus v. 11 absolute pronuntiat: „aut conciliari aut manere innuptam“ et inter conjugia infidelium, de quibus dicit: „quodsi infidelis discedit, discedat.“

2° auctoritate et agendi ratione Rom. Pontificum, inter quos Benedictus XIV. expresse dicit:[1] „Certum est, infidelium conjugium ex privilegio in fidei favorem a Christo Domino concesso et per Apostolum promulgato dissolvi.“

Hoc privilegium autem non obtinet in matrimonio inter partem baptizatam et partem non baptizatam inito cum dispensatione ab impedimento disparitatis cultus.[2]

Nr. 417. **Matrimonium christianum, quod ratum solummodo est, dissolvi potest per solemnem alterius coniugis professionem in religione approbata.**

Est *de fide* ex Trident. sess. 23, can. 6: „Si quis dixerit, Matrimonium ratum non consummatum per solemnem professionem religionis alterius conjugum non dirimi: anath. sit.“

Probatur:

1° ex pluribus factis Sanctorum, e. gr. Theclae, Alexii etc. qui prima nocte nuptiarum conjugem deseruerunt, ut se penitus Deo consecrarent, quam agendi rationem Ecclesia laudavit et commendavit.[3]

2° ex ratione theologica a s. Thoma[4] assignata: Ante copulam carnalem est inter coniuges tantum spirituale vinculum; sicut nunc post carnalem copulam Matrimonium solvitur per mortem carnalem, ita ante carnalem copulam per professionem religiosam, quia religio est mors quaedam spiritualis, qua aliquis saeculo moriens vivit Deo.

Nr. 418. **Pontifex justis et gravissimis de causis Matrimonium ratum tantum solvere potest.**

Est sententia *communis* et *certa*.

---

[1] De syn. l. 6, c. 4. [2] Can. 1120, § 2

[3] Ex gr. Alexander III. in Conc. Lateran *cap. 11 Verum*, vel Innocentius III. cap *Ex parte tua* etc. [4] In 4. dist. 27, q. a. 3, ad. 2.

Probatur:

1° ex absoluta et illimitata potestate ligandi et solvendi Pontificis, quae se extendit ad omnia vincula spiritualia, quae per se solubilia sunt; atqui vinculum Matrimonii nondum consummati tale est.

2° ex facto, quia revera Pontifices gravissimis de causis pluries id fecerunt. Temerarium autem esset dicere, praxim continuatam Pontificum in gubernanda Ecclesia et interpretanda Scriptura esse injustam et falsam.

Nr. 419. Ecclesia pollet potestate α) statuendi impedimentia dirimentia, β) judicandi circa causas matrimoniales, γ) idque jure originario et exclusivo.

Causa matrimonialis ea intelligitur, quae respicit ipsum Matrimonii vinculum seu valorem, sive antecedenter ut sponsalia, sive concomitanter ut valor consensus ejusque conditiones, sive consequenter ut legitimatio prolis, separatio conjugum etc.

Triplex de hac re existit error: Protestantium, qui Matrimonium ut aliquid profani habentes plenam in illud potestatem regimini saeculari adjudicarunt; saeculo 17mo Marc. Anton. de Dominis, Archiepiscopus Spalatensis, deinde apostata, et Launoyi, doctor Parisiensis, et saeculo 18mo theologorum ac canonistarum aulicorum, inter quos eminet Oberhauser Fuldensis, quique inter sacramentum et contractum realiter distinguentes Matrimonium sub ratione contractus potestati civili subjecerunt; plurium denique theologorum saeculi 19mi, qui potestatem statuendi impedimenta dirimentia utrique potestati, ecclesiasticae et civili ex aequo asseruerunt.

Contra hos omnes thesim nostram per singulas partes defendendam statuimus.

Nr. 420. **Ecclesia potestate pollet statuendi impedimenta dirimentia.**

Est *de fide* ex Trident. sess. 24. can. 4: „Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta Matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse: anath. sit."

Probatur:

1° ex constanti praxi Ecclesiae. Jam Tertullianus[1] commemorat impedimentum ortum ex *disparitate cultus*, quod certe ab ethnicorum legibus non fuerat statutum: saeculo 4^to^ conc. Neocaesariense statuit impedimentum *affinitatis*, de quo legibus civilibus nihil cautum fuerat: Siricius[2] imped. *publicae honestatis*, conc. Chalcedonense illud *voti*; saeculo 6^to^ conc. Agathense imped. *consanguinitatis*. Deinceps autem fatetur ipse de Dominis, usum statuendi impedimenta constanter in Ecclesia obtinuisse.

2° ex ratione theologica. Ecclesiae concredita est a Christo sacramentorum administratio et ordinatio eorum, quae necessaria vel convenientia sunt, ut sacramenta rite celebrentur. Et sane, si ad potestatem civilem spectat contractus mere civiles moderari atque etiam, si id exigat bonum commune, appositis conditionibus reddere invalidos: poterit et Ecclesia moderari contractum matrimonialem et apponere conditiones, a quibus ejus valor dependet.

Nr. 421. **Ad Ecclesiam quoque pertinet, de causis matrimonialibus judicare.**

Est *de fide* ex Trident. can. 12: „Si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad judices ecclesiasticos: anath. sit." — Ex eadem ratione Pius VI. in damnatione prop. 58^ae^ synodi Pistor. declarat, sponsalia quoque, quippe quae ad celebrandum Matrimonium disponunt, Ecclesiae subjacere.

Probatur:

1° per modum corollarii ex parte antecedente.

2° ex agendi ratione Christi, Apostolorum et Ecclesiae: Christus enim causam de repudio ac divortio judicavit,[3] nec eam ad magistratum politicum remisit, prout fecit, cum ageretur de haereditate;[4] Paulus excommunicat Corinthium,[5] qui habet uxorem patris sui, et ad varias quaestiones de Matrimonio authentice respondet, legem de indissolubilitate conjugii declarat;[6]

---

[1] De coron. mil. c. 13. [2] Epist. ad Himerium Tarrac. c. 6, n. 7. [3] Matth. 5 et 19. [4] Luc. 12, 14. [5] 1 Cor. 5 sq. [6] Ibid. c. 7.

Ecclesia vero semper usa est hac sua potestate, sive quum approbavit Matrimonia, quae legibus imperialibus vetabantur, sive quum irrita declaravit ea, quae legibus Imperatorum ethnicorum aut christianorum probabantur.

3° ex Patribus. Ignatius M. v. gr. scribit:[1] „Decet vero, ut sponsi et sponsae de sententia episcopi conjugium faciant, quo nuptiae sint secundum Dominum et non secundum cupiditatem."

4° ex historia, qua compertum est, in matrimonialibus dissidiis Principes ipsos semper non nisi ad Ecclesiae judicium confugisse; porro eosque tunc, quando potissimum uti debuissent jure statuendi impedimenta, si quod habuissent, ab Ecclesia petiisse, ut certa impedimenta maxime sibi exoptata statueret. Sic oratores Reges Galliae instantissime et tamen frustra in conc. Tridentino petierunt impedimentum apponi Matrimonio famulorum familias, invitis parentibus inito.

5° ex funestissimo, quod inde sequeretur, dualismo et dissidio, ita ut: α) idem vinculum v. gr. esset validum et invalidum; β) materia sacramenti, quae invariabilis esse debet, variorum Principum subjecta esset arbitrio; γ) illa duplex potestas esset *per se* fons simultatum inter Principes et Ecclesiam; δ) principes religioni infensi hujusmodi jure abuti possent ad Ecclesiae perniciem.

Nr. 422. **Praefata potestas circa Matrimonium ad Ecclesiam spectat jure proprio, originario et exclusivo.**

Est sententia *certissima* ex censura contrariae prop. 59 Pistoriensium a Pio VI. lata; ex damnata prop. 69 Syllabi: „Ecclesia sequioribus saeculis impedimenta dirimentia inducere coepit non jure proprio, sed illo jure usa, quod a civili potestate mutuata erat;" denique ex Leonis XIII. Encyclica Arcanum div. sap. dd. 10 Febr. 1880, quae et argumenta suppeditat, quibus

probatur scil. 1° ex indole *sacra* Matrimonio insita, unde consentaneum est, ut „regatur et temperetur

[1] Ep. ad Polycarp. n. 5

non principum imperio, sed divina auctoritate Ecclesiae, quae rerum sacrarum sola habet magisterium."

2° ex eo, quod Matrimonium non solum res sacra, sed etiam *sacramentum* est, de quo autem statuere et praecipere, ita „ex voluntate Christi sola potest et debet Ecclesia, ut absonum sit plane, potestatis ejus vel minimam partem ad gubernatores rei civilis velle esse translatam."

3° ex historia, „qua luculenter docemur, potestatem legiferam et judiciariam, de qua loquimur, libere constanterque ab Ecclesia usurpari consuevisse iis etiam temporibus, quando principes reipublicae consentientes fuisse aut conniventes in ea re inepte et stulte fingeretur. Illud enim quam incredibile, quam absurdum, Christum Dominum damnasse polygamiae repudiique inveteratam consuetudinem, delegata sibi a procuratore provinciae vel a principe Judaeorum potestate; similiter Paulum Apostolum divortia incestasque nuptias edixisse non licere, cedentibus aut tacite mandantibus Tiberio, Caligula, Nerone!"

4° Encyclica denique provocat α) ad concilia diversa, in quibus impedimenta statuta sunt, „quae a decretis jure imperatorio sancitis longe saepe distarent"; β) ad ipsorum imperatorum Honorii, Theodosii junioris, Justiniani confessionem, se nihil posse circa connubiorum impedimenta.

*

Tractatum nostrum de matrimonio propterea melius ac commodius conficere haud possumus quam brevi illa ac dilucida sententia codicis j. c. in can. 1016 hisce verbis expressa: Baptizatorum matrimonium regitur jure non solum divino sed etiam canonico, salva competentia civilis potestatis circa mere civiles ejusdem matrimonii effectus.

Tractatus decimus quintus.

De Novissimis.

Nr. 423. Novissima dicuntur eventus ultimum locum tenentes inter omnes sive hominibus singulis sive universo mundo contingentes.

Novissima *hominis*, quae Spiritus s. continuo nobis meditanda proponit dicens:[1] *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in aeternum non peccabis*, vulgo enumerantur quatuor: mors et judicium, infernus et paradisus, cujus atrium est purgatorium pro iis, qui nondum perfecte mundati hac vita excedunt. Duo illa priora janua sunt ad diversum statum et locum in altera vita, haec posteriora vero diversae sunt mansiones animabus assignatae.

Ad *mundi* novissima seu ad extrema generis humani fata, quae in divinis literis dici solent *illa dies, dies Domini, dies Christi, dies Filii hominis, novissimus dies, finis, consummatio saeculi*, tria referuntur: signa adventus Christi, resurrectio mortuorum, judicium universale.

De tota hac materia seu Theologiae parte, quam non inepte quidam **Eschatologiam** vocarunt, sub generali novissimorum nomine disseremus doctrinam catholicam ad sequentia capita revocantes: 1. De novissimis singulorum hominum; 2. de vivorum cum defunctis communione; 3. de fine mundi.

De novissimis singulorum hominum.

Nr. 424. **Mors** generatim est cessatio vel privatio vitae. Vita autem est spiritualis et corporalis. Unde in s. Scriptura mors in quadruplici sensu sumitur:

α) pro privatione vitae gratiae per peccatum mortale, et haec appellatur mors „prima". Sic legimus Ephes. 2, 1: *Vos cum essetis mortui delictis et peccatis vestris;*

[1] Eccli. 7, 40.

β) pro privatione vitae aeternae, et haec appellatur mors „secunda" juxta Apocal. 20, 14: *Et infernus et mors missi sunt in stagnum ignis; haec est mors secunda.*[1]

γ) pro privatione vitae corporalis, et haec est prima significatio et maxime propria, sub qua in sequentibus mortem accipimus;

δ) pro mortificatione perfecta, per quam peccata et concupiscentiae deponuntur, quae mors in sensu metaphorico „mors peccati" audit estque salutaris et mystica, quaeque baptismo, morte et sepultura Christi figuratur, uti Apostolus scribit ad Rom. 6, 4: *Consepulti . . . per baptismum in mortem.*

Nr. 425. De morte notanda sunt praecipue, quod sit universalis, incerta, poena peccati et terminus probationis.

1. **Mors est universalis.** Id postulat ipsa natura compositi humani; exigit sententia divina contra Adamum praevaricatorem ejusque posteros lata: *Pulvis es et in pulverem reverteris;* inculcant et repetunt SS. Litterae, v. gr. Hebr. 9, 27: *Statutum est hominibus semel mori:*[2] idem denique confirmat inductio completa omnium saeculorum.

Neque excipiuntur ab hac lege Henoch et Elias, qui, ut scribit Tertullianus, morituri reservantur, ut antichristum sanguine suo extinguant, etsi cum s. Augustino[3] minime dubitamus, eos in quibus nati sunt, corporibus vivere, cum de Henoch Apostolus testetur:[4] *Fide translatus est, ne videret mortem*, de Elia vero narratur,[5] quod *ascendit per turbinem in coelum.* Haec Tertulliani sententia, quam sequuntur fere omnes Patres et theologi, innititur loco Apocal. 11, 3: *Et dabo duobus testibus meis, et prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta amicti saccis . . . Et cum finierint testimonium suum, bestia quae ascendit de abysso, faciet adversum eos bellum, et vincet illos et occidet eos.* — Voluit autem Deus hosce viros ex prioribus mundi aetatibus generationi novissimae praedicare, tum ut solemnior adeoque potentior futura sit fidei praedicatio:

[1] Cf. Prov. 14, 12. [2] Cf. Eccli. 25, 35. Rom. 5. 12 etc. [3] Lib. 2 de peccat. orig. c. 24 [4] Hebr. 11. 5; cf. Gen. 5, 24. [5] 4 Reg. 2, 11.

tum etiam ut ostendatur, eundem esse omnis legis, naturae, circumcisionis et gratiae, auctorem Deum; eundem esse Christum et eandem fidem, quae ab initio mundi usque ad finem praedicatur atque in Ecclesia perseverat.

Nec magis obstat 1 Thess. 4, 16 sq: *Mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi. Deinde nos, qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aëra,* neque 1 Corinth. 15, 31 juxta textum graecum: *πάντες μὲν οὐ κοιμηθησόμεθα, πάντες δε ἀλλαγησοὐμεθα,* cum hujus loci lectio in Vulgata: „Omnes quidem resurgemus sed non omnes immutabimur" non solum a latinis patribus unanimiter, sed etiam a graecis nonnullis accipitur, ut a Didymo, qui probat legendum esse: *Omnes quidem dormiemus, sed non omnes immutabimur.* Propterea semper in Ecclesia praevaluit sententia eos quoque, qui tempore secundi adventus Christi vivent, morituros esse: nam „*quis est homo, qui vivet et non videbit mortem*"?[1] Attamen, ut s. Thomas post s. Augustinum docet,[2] haec mors non erit status dormitionis, sed veluti raptus quidam, ita ut statim post mortem sint resuscitandi: adeo ut mors eorum seu dormitio propter brevitatem non reputetur.

2. **Mors est incerta.** Quod non tam probandum quam jugiter meditandum ipse Dominus itidem nobis inculcavit parabolis et sententiis v. gr. Math. 25, 13: *Vigilate, quia nescitis diem neque horam.*

3. **Mors est poena peccati.** Licet enim homo naturaliter, *per se,* ex ipsa physica sua conditione mortalis sit, ab initio tamen, *per accidens,* Dei gratuito beneficio immortalis conditus ac nonnisi in poenam peccati originalis hac praerogativa spoliatus est.

4. **Mors est terminus probationis** seu finem imponit statui viae, in quo homo potest mereri aut demereri suamque operari salutem. Ita Eccl. 11, 3: *Si ceciderit lignum ad austrum aut aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit;* Joan. 9, 4: *Venit nox quando nemo potest operari.* — Ratio est, quia, ut s. Hilarius scribit:[3] „decedentes de vita simul et de jure

[1] Psalm. 88, 47. [2] S. *Thom.* in 1 Cor. 15, lect. 8, et *Augustin.* De civit. L. 20, c. 20. [3] In Ps. 51, 23.

decedimus voluntatis.“ Confirmatur eo quoque, quod secus omne vitae praesentis momentum, Ecclesiae et sacramentorum necessitas, virtutis studium pereant.

Nr. 426. **Statim post mortem sequitur judicium particulare,** quo pro meritis futura animae sors determinatur.

Hoc tenet cath. Ecclesia contra Chiliastas docentes, animas separatas in incerto relinqui usque ad ultimum judicium. Item contra Coptos et Nestorianos, qui animas usque ad extremum judicium veluti sopitas esse existimant, nec non contra Calvinum, qui pariter putat „omnia teneri suspensa, donec Christus apparcat Redemptor.“

Probatur:

1° ex s. Scriptura. Hebr. 9, 27: *Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium*; item legimus Eccli. 11, 28: *Facile est coram Deo, in die obitus retribuere unicuique secundum vias suas;* distributio poenae vel praemii autem manifesto supponit judicium.

2° ex Patribus: e. gr. s. Chrysostomus:[1] „Sicut illi, qui ex carceribus una cum ipsis catenis ad judicium protrahuntur, sic omnes animae, cum hinc emigraverint, variis peccatorum poenis implicatae, ad terribile illud ducentur tribunal;“ s. Augustinus vero hanc veritatem ex Evangelio de Lazaro mendico et de divite epulone deducit.[2] quorum unus statim in sinum Abrahae ablatus, alter in inferno sepultus est.

3° ex ratione theologica: α) quia tempus meriti elapsum est, nec convenit, ut justi timore damnationis torqueantur aut injusti sibi spe salutis blandiantur; β) quia, ut probat s. Thomas,[3] „quilibet homo et est singularis quaedam persona et est pars totius generis humani: unde et duplex ei judicium debetur: unum singulare, quod de eo fiet post mortem, quando recipiet juxta ea, quae in corpore gessit, quamvis non totaliter, quia non quoad corpus, sed quoad animam tantum. Aliud judicium debet esse de eo, secundum quod

[1] Hom. 14. in Matth. n. 4. [2] De anima et ejus origine, L. 2, n. 8. [3] *Suppl.* q. 88. a. 1. ad 1.

est pars totius generis humani", in judicio universali, quando in conspectu omnium retribuetur ei totaliter, secundum corpus et animam.

Nr. 427. **De modo, loco et circumstantiis hujus judicii** nil certi statui potest, cum de his Scriptura et Traditio nihil pronuntient. Probabile tamen ex communi theologorum sententia ac **pium est credere**:

α) judicium hoc particulare a Christo ut homine exerceri, quia *Pater omne judicium dedit Filio;*[1]

β) neque ideo necesse esse, ut Christus ipse per substantialem praesentiam suam ad singulos morientes veniat, vel ut anima judicanda in coelum deferatur, sed judicium fieri per quandam mentis illuminationem,[2] qua anima in ipso mortis instanti et adhuc juxta corpus suum manens, dum opera sua veluti in libro legit, simul clare percipit, se judicari et salvari et damnari imperio et efficientia non solum Dei, sed et Christi hominis;

γ) sententiam judicis statim executioni mandari, cum secundum s. Scripturae eloquium.[3] *facile sit coram Deo in die obitus retribuere unicuique secundum vias suas*, et nulla aliunde sit ratio differendae executionis.

Nr. 428. **Animarum receptacula.** seu loca, ad quae morientium animae statim post latam in judicio particulari sententiam deducuntur, distinguuntur **quatuor**: Limbus, Coelum, Infernus et Purgatorium.

Limbus a saeculo 13tio apud theologos recepta vox est ad designandam eam inferorum partem, in quam ante Christi ascensionem defunctae animae justorum plene purgatae deducebantur; non enim ad intuitivam Dei visionem recipiebantur, cum nondum, ut loquitur Apostolus,[4] *propalata esset sanctorum via*. Erat autem limbus locus quietis, refrigerii et consolationis, in quo justi adventum Christi exspectabant, situsque verosimiliter sub terra, ut ex Symboli articulo: *Descendit ad inferos*, et ex Ephes. 4, 9: *Descendit in inferiores partes terrae*, recte colligitur.

---

[1] Joan. 5, 22. [2] *De civit. Dei.* L. 20. c. 14.
[3] Eccli. 11, 28. [4] Hebr. 9, 8.

Vocant communiter „limbum Patrum", a Patribus et Patriarchis, qui in eo morabantur: Luc. 16, 22 vocatur „sinus Abrahae, in quem anima mendici Lazari legitur ab angelis deportata; Luc. 22, 43 autem „paradisus" dicitur, quem Christus moriens resipiscenti crucifixo latroni promiserat.

Juxta s. Thomam[1] limbus Patrum et **infernus** qualitate quidem locorum differunt, at situ probabiliter sunt quasi idem tractus continuus, sic tamen, ut magno spatio una commoratio ab altera distet et limbus inferno esset superior, ut concluditur ex Luc. 16, 23, ubi dives mortuus „elevans" oculos suos vidisse dicitur Abraham „a longe" et Lazarum in sinu ejus.

Multi cum s. Thoma[2] in spatio intermedio **purgatorium** situm esse censent; non pauci porro opinantur, animas parvulorum, qui in originali peccato decedunt, ibi nunc collocari, ubi olim Patriarcharum animae remanserunt; unde locum illum „limbum puerorum" appellant.

Coelum, olim peccato clausum, Salvatore ascendente, primum patuit: purgatorium post ultimum judicium evacuabitur, uti limbus in ascensione Christi evacuabatur.

Nr. 429. Hic imprimis secernere expedit ea, quae fide certo constant, ab iis, quae non eadem certitudine innotescunt.

Circa *infernum* tria sunt de fide: 1° infernum existere, seu supplicia impiis esse parata; 2° impiorum animas eo statim post mortem descendere; 3° inferni supplicia fore aeterna.

Caetera, quae pertinent ad locum et poenarum naturam, fide non sunt definita. Nihilominus omnino adhaerere debemus sententiae in Ecclesia communiter receptae circa poenarum, quae positivae dicuntur, naturam et qualitatem: quae nempe sententia est de igne materiali et corporeo et ita certa, ut absque temeritate, imo coram populo absque gravi scandalo, in dubium vocari non possit. — Licet inferni nomen

[1] *Supplem*, q. 69, art. 5. Cf. q. 100, art. 2. [2] Ibid. Suppl q. 69.

usu loquendi biblico quemlibet locum sedi coelesti oppositum adeoque etiam purgatorium et limbum significare possit, speciatim tamen designat locum et statum poenae aeternae. Infernus passim in Scriptura appellatur etiam *gehenna*, quae fuit vallis prope Hierosolymam. Illic enim locus erat nomine Topheth, ubi perpetuus ardebat ignis, in quo Judaei filios suos idolis seu daemoniis incenderunt ac immolarunt. — Existentiam inferni praeter Materialistas, Sensistas, Rationalistas, incredulos universos, negarunt Sadducaei, Gnostici et inter Protestantes Rationalistae biblici. — Circa aeternitatem inferni errabant Origenistae, Priscillianistae et plures Catholici tempore Augustini, qui „Misericordes" dicebantur.

Circa *coelum* duo sunt de fide: 1° animas justorum plene purgatas in coelum mox recipi, et 2° intueri clare ipsum Deum trinum et unum, sicuti est, scil. statim frui intuitiva visione Dei.

Circa *purgatorium* item sunt de fide duo: 1° purgatorium esse; 2° animas ibi detentas fidelium suffragiis, potissimum vero Missae sacrificio juvari. Alia sunt, quae probabilitate majore vel minore cognoscuntur, ut infra videbimus.

Nr. 430. **Datur infernus,** seu locus tormentorum, in quo damnati gravissime cruciantur, tum poena damni tum poena sensus.

Est *de fide* ex symbolo Athanasiano: „Qui bona egerunt, ibunt in vitam aeternam; qui vero mala, in ignem aeternum. Haec est fides catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit", nec non ex conc. Florentino, quod post Lugdun. II definit: „illorum animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas".

Probatur:

1° ex SS. Litteris. Luc. 16, 20: *Mortuus est et dives et sepultus est in inferno*; Matth. 10, 28: *Timete autem eum, qui potest et corpus et animam perdere in gehennam.*

2° S. Hilarius scribit:[1] „Excipit impios statim ultor infernus"; s. Augustinus:[2] „In requie sunt animae piorum a corpore separatae: impiorum autem poenas luunt".

3° Ratio cognoscit idem ex conditione animae immutabili, quae manet a Deo aversa in aeternum. Insuper non est, cur longior demonstratio de existentia inferni instituatur, cum argumenta, quibus aeternitas comprobatur, certe demonstrent eas poenas existere. Ergo —

Nr. 431. **Daemonum et hominum damnatorum poenae sunt aeternae.**

Est *de fide* ex symbolo Athanasiano et ex synodo Vta, quae teste Nicephoro[3] anathema dixit contra errorem Origenistarum: „Temporanea esse daemonum et impiorum tormenta, finemque ea tempore aliquo habitura, atque impios ac daemones in priorem suum statum restitutum iri."

Probatur:

1° ex SS. Litteris, quae α) positive inferni poenas vocant aeternas, v. gr. Matth. 25, 41: *Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum*, vel 2 Thessal. 1, 9: *Poenas dabunt in interitu aeternas a facie Domini;* β) idem efficacius negative exprimunt dicentes Gal. 5, 21: *Quoniam, qui talia agunt, regnum Dei non consequentur*. Marc. 9, 43: *vermis eorum non moritur et ignis non extinguitur.*

2° ex Patribus ex. gr. Cyprianus:[4] „Cremabit addictos ardens semper gehenna et vivacibus flammis vorax poena; nec erit, unde habere tormenta vel requiem possint aliquando vel finem."

3° ex testimonio martyrum, qui, ut ex eorum actis constat, propterea etiam tam fortiter tormenta tulerunt temporalia, ne inciderent in aeterna.

4° ex ratione, qua pariter poenae aeternitas suadetur: α) ex natura peccati: qui enim peccat mortaliter, peccat contra Deum infinitum dignusque est poena infinita, quae ergo fine careat: β) ex parte Dei, cui sane repugnat, aliquando vinci a peccatore, quod

[1] In Psalm. 2. [2] De civit. Dei, L. 13, c. 18 [3] Hist. eccl. L. 17, c. 28. [4] Adv. Demetr. c. 24.

autem in hypothesi contraria obtineri dici debet: γ) ex oppositione inter malum et bonum, quam Deus pro sua sapientia absoluta separatione sorteque in perpetuum diversa manifestam reddat opus est:[1] δ) ex analogia societatis humanae: uti enim quandoque ille, qui peccat in aliqua civitate, ex ipso peccato efficitur dignus, ut totaliter a civium consortio vel per exilium perpetuum vel etiam per mortem repellatur, ita etiam secundum justitiam divinam aliquis ex peccato redditur dignus penitus a civitatis Dei consortio separari.[2]

Hinc sponte sequitur ex inferno non esse redemptionem neque per poenitentiam damnatorum, quae in statu illo immutabili impossibilis est, neque per aliorum orationes, neque per destructionem impiorum, unde Patres hanc mortem vocant mortem sine morte.

Nr. 432. Nefas esset, si **adversariorum opiniones de inferno** omnino negligeremus.

Etiam nonnullis Patribus, quamvis omnes sine ulla exceptione doceant exsistere infernum, doctrina de aeternitate poenae inferni varias parabat difficultates.

Ex Alexandrinorum scholae sententia imponitur a Deo quaevis poena in finem emendationis punitorum estque propterea quaevis poena medicinalis. Exinde docuerat Origines, quem sequuti sunt etiam Gregorius Nyssenus et Nazianzenus, sic dictam *apocatastasin* seu redemptionem finalem omnium sceleratorum et impiorum imo et daemonum, quae vero sententia, uti jam supra audivimus, rejecta et damnata fuit in concilio oecumenico quinto (an. 553).

Hic modo dictae sententiae propinqua est *metem-*

[1] Hoc argumentum s. Hieronymus (in Jon c. 3) contra Origenistas ita urget: „Si longos post circuitus atque infinitis saeculis omnium rerum restitutio fiet et una dignitas militantium, quae distantia erit inter virginem et postribulum? Quae differentia erit intra matrem Domini et, quod dictu quoque scelus est, victimas libidinum publicarum? Idemne erit Gabriel et diabolus? Idem apostoli et daemones? Idem prophetae et pseudoprophetae? Idem martyres et persecutores? Finge quot libet annos, et tempora duplica, et infinitas aetates congere cruciatibus, si finis omnium similis est, praeteritum omne pro nihilo est, quia non quaerimus, quid aliquando fuerimus, sed quid semper futuri simus?“ [2] Cf. s. Thom. *Suppl.* q. 99, a. 1 et p. 1ª IIae q. 87, a. 3, ad 1.

psychosis, cujus studiosi autumnant et somniant: equidem non interire hominum animas, sed post mortem ab aliis pededentim ad alios transire usque ad plenam emendationem et moralem perfectionem, quam dein demum definitive subsequitur status beatitudinis vel consecrationis (Vergöttlichung) adepta immunitate a quovis vinculo corporeo.

Haec sententia ex Oriente et quidem e terris et scholis Indorum transvecta diffundebatur apud Graecos ab ipsorum philosophis, praeprimis a Pythagora qui se meminisse dicebat prioris suae vitae! Metempsychosis fidem habebant etiam Poseidonias, Empedocles, Plato ac Neoplatonici; inveniebatur hujusmodi fides etiam in religione veterum Mexicanorum.

Recentiori vero tempore hujus doctrinae fautores erant philosophus Lessing ac naturae studio deditus Helvetius Forel († 1912) suntque hodiedum Spiritismi ac hodiernae Theosophiae asseclae, quorum sententia, quam hi certissime propterea eiiam propugnant, cum adversarii sint aeternitatis poenae inferni, refellitur tum spiritualitate animae ipsiusque individuali incremento moralitatis tum omni defectu memoriae vel recordationis se jam quandam prius vixisse.

Nr. 433. **Poena inferni** ex theologorum omnium doctrina est **duplex**: damni scilicet et sensus,

Poena *damni*, malitiae, qua peccator avertitur a Deo, respondens, consistit in privatione visionis beatificae ac omnium bonorum, quae illam consequuntur.

Poena *sensus*, correspondens conversioni ad creaturas, dicitur illa, quae directe malum physicum, molestiam, dolorem infligit damnatis. — Inter varias sensus poenas eminet, quae ab ingne oritur, de quo non mediocris est quaestio, utrum sit proprius an metaphoricus tantum ad exprimendam poenarum gravitatem vel conscientiae stimulos.

Licet jam ex communi theologorum et fidelium sententia ignis ille verus sit et proprius, non propterea dicendum, eum prorsus esse eundem cum igne, quo nos modo utimur; habet enim certo quasdam proprie-

tates differentes ab igne nostro, ut quod successione non indiget nec lignis nutritur.[1]

Fundamenta, quibus haec sententia innititur, sunt:

α) regula generalis hermeneutica, quae praecipit, ut verba sensu litterali sumantur, nisi aliquid contra rationem sequatur vel in revelatione id indicetur: atqui neutrum in casu nostro verificatur;

β) frequens ejusdem vocis repetitio in sententia judicis, quin unquam ejus vocis occurrat explicatio; si quae enim est occasio, in qua a metaphoricis locutionibus abstinendum est, ea potissimum est, quum leges feruntur, sanctio statuitur, sententia dicitur.

γ) Traditio exegetica Patrum, qui saepe conferunt infernalem ingnem cum terreno differentiamque inter utrumque non in eo reponunt, quod unus sit proprius, alter metaphoricus, sed in eo, quod ignis terrenus est extinguibilis, ingnis inferni inextinguibilis; ille lucet, hic excoecat; ille consumit et occidit, hic minime; ille corpora, hic mirabiliter et spiritus torquet.

Inter sanctos Patres nemo tam accurate inquisierat quaestiones eschatologicas quam Gregorius Magnus, quem propterea Scholastici desuper privata revelatione dignatum fuisse habebant. Hicce sanctus Papa acriter enuntiat aeternitatem damnatorum aeque ac ignem corporeum.

Infernus est Dei pars aversa; ambo sunt mysteria arcana infinitae altitudinis. Mysteria nec possunt nec volunt explicari; multo magis nostrum est, ut eis assentiamus vitamque nostram eis conformemus. Uti quodvis mysterium sic etiam aeternae poenae mysterium olim nobis expedietur; tunc cognoscemus Deum esse spiritum, lucem et caritatem omnesque vias ejus esse veritatem, justitiam et benignitatem.

Nr. 434. **Existit purgatorium, in quo animae justorum nondum plene expiatae, poenam temporalem luunt, hae vero fidelium suffragiis adjuvantur.**

Est *de fide* ex professione Pii IVti: „Constanter teneo, purgatorium esse animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari"; ex Florentini Decreto Uni-

[1] Thom. *Suppl.* q. 98, art. in corp. Cf. s. Augustin. *De civit. Dei* L. 20. c. 16.

onis: „Definimus, si vere poenitentes in Dei caritate decesserint, antequam dignis poenitentiae fructibus de commissis satisfecerint et omnissis, eorum animas poenis purgatorii post mortem purgari", et ex Trident. sess. 25 in Decreto definiente: „purgatorium esse animasque ibi detentas fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili Altaris sacrificio juvari."

Probatur:

1° ex SS. Litteris. Secundum 2 Machab. cap. 12 Judas Machabaeus *misit Jerosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium;* Matth. 5, 25 sq.: *Esto consentiens adversario tuo . . . ne forte . . . in carcerem mittaris. Amen dico tibi: non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem;* Matth. 12, 32: *Quicumque dixerit verbum . . . contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc saeculo, neque in futuro,* ex quo ipse s. Augustinus probat purgatorium esse;[1] 1 Cor. 3, 11 sq. denique Apostolus loquitur: de *igne alterius vitae,* ut patet ex verbis „dies Domini", qui est dies judicii; de igne *puniente,* propter verba „detrimentum patietur"; de igne qui *finem habebit,* propter verba „salvabitur per ignem"; de igne inflicto propter peccatum *veniale,* quia agitur de operibus, quae licet propter imperfectionem ligno comparantur, tamen superaedificantur ipsi fundamento i. e. Christo. Atqui hae notae nonnisi igni purgatorii congruunt.

2° ex Traditione, quae patet α) ex concillis particularibus: *Carthagin.* III° a. 397 can. 29; *Roman.* IV° a. 502 can. 3; *Aurelian,* II° a. 533 can. 79 et sic ferme per omnia saecula subsequentia, in quibus omnibus commemorantur animae defunctorum, quae orationibus juvari possunt. — β) ex liturgiis antiquissimis ss. Jacobi, Marci, Basilii etc., in quibus preces pro defunctis praescribuntur. — γ) ex Patribus e. g. *Tertulliano:*[2] „Oblationes pro defunctis annua die facimus"; *Gregorio Naz:*[3] „Non potest a corpore egressus divinitatis particeps fieri, nisi maculas animo admixtas purgatorii ignis abstulerit;" *Augustino,* qui testatur[4]

[1] *De civit. Dei,* L. 21. c. 12: Neque enim de quibusdam hoc diceretur, nisi essent, quibus etsi non in isto, tamen remitteretur in futuro. [2] De corona militis c. 3. [3] Orat. pro mort. [4] Conf. L. 9, cap. 13.

se pro matre sua orare, et *Epiphanio*, qui dicit: „Preces, quae funduntur pro mortuis, ipsis utiles sunt."

3° ex ratione theologica: *α*) Quia nil inquinatum coelum ingredi potest,[1] remissa culpa autem saepe poena temporalis luenda superest, debet esse aliquis locus, ubi maculae veniales mundentur et poena temporalis solvatur. — *β*) Doctrina de purgatorio commendat Dei justitiam, sanctitatem simul et misericordiam. — *γ*) Deterret a peccatis venialibus: excitat ad opera satisfactoria; impellit nos, ut cum timore et tremore salutem operemur, simulque hominem fragilem et peccatorem, qui vix sperare posset se statim coelum ingressurum esse consolatur.[2]

4° ex consensu populorum omnium, qui consensus cum ex antiquis traditionibus ac vera fide sit repetendus, veritatem purgatorii confirmat.

Nr. 435. **Poena purgatorii est gravissima.**

Est sententia *certissima*, imo *de fide*, cum in magisterio ordinario[3] Ecclesiae manifeste contineatur.

Probatur:

1° ex ipsa s. Scriptura, ubi 1 Cor. 3, 13 poena purgatorii *ignis* dicitur; ignis autem inter omnes poenas sensuum est gravissima.

2° ex Patribus, qui unanimiter acerbitatem poenae purgatorii fatentur, imo eam graviorem esse dicunt omnibus poenis hujus vitae; v. gr. Isidorus Hisp. scribit:[4] „Sed de illo purgatorii igne hoc animadvertendum est, quod omni, quem excogitari in praesenti potest homo, tormentorum modo et longior et acrior sit."

3° ex consensu theologorum, qui communiter docent,[5] quod minima poena purgatorii gravior sit quam maxima hujus vitae.

4° ex ratione theologica, videlicet ex natura et diuturnitate poenae, quae ut illa inferni duplex est:

[1] Haer 75, n. 7 [2] Apocal. 21, 27 [3] Cf. conc. Vatic. sess 3, cap. 3 de fide [4] De ord creat. c. 14, n. 12.

[5] Cf. s. *Thomam* in 4. d. 21. q. 1 a. 1, vel. s *Bonaventuram*, qui in 4. d. 20. p. 1. a. q. 2. mitius censet, maximam quidem purgatorii poenam graviorem esse maxima hujus saeculi, non tamen minimam purgatorii acerbiorem hujus vitae maxima.

damni scil. et sensus. Poena *damni* est visionis beatificae retardatio, quae gravissima est tum ratione boni, quo privantur, tum ratione amoris, quo in illud jam feruntur, tum ratione cognitionis: quae se hujus privationis causam ob nugas quasdam esse agnoscunt. — Poenam *sensus* quod attinet, constans et retinenda est Latinorum sententia, in purgatorio esse ignem materialem,[1] similem infernali; hinc Ecclesia in canone Missae animabus fidelium non tantum lucis et pacis, sed etiam, utique contra ignis ardorem, refrigerii locum petit. Hic ignis autem multo est acerbior igne communi, cum hic in commodum hominum, ille vero ut merum instrumentum ultionis conditus fuerit.

Porro certum quidem est purgatorium non duraturum esse ultra diem judicii aliasque animas citius, alias tardius inde liberari; nam quanta fuerit peccati materia, ait s. Augustinus,[2] tanta erit transeundi per purgatorium mora: at non minus certum est, poenas purgatorii etiam longissimo tempore durare posse, ut constat ex sensu fidelium et Ecclesiae, quae anniversaria celebrat per plures annos, imo in perpetuum duratura.[3]

Nr. 436. De **statu animarum** in purgatorio duo certa sunt apud theologos: 1° eas omnes de sua salute esse certas; 2° eas peculiari Dei protectione esse impeccabiles.

Constat ex propositione 38ma Lutheri damnata a Leone X°: „Animae in purgatorio non sunt securae de earum salute, saltem non omnes, nec probatum est ullis aut rationibus aut Scripturis, ipsas esse extra statum merendi aut augendae charitatis."

Nec obstat huic impeccabilitati, quod Ecclesia pro animabus purgatorii oret, „ut liberentur de poenis

---

[1] Id tamen *non est de fide*, cum Graeci in Florentino contenderint, verum ignem in purgatorio non esse, sed tantum labores et dolores, qui poenam sensus constituant, quae doctrina neque in Florent. neque in Trident. damnata est. [2] Hom. 16. inter 50. [3] Cf. *Conf.* L. 9. c. 13, ubi s. Augustinus narrat, se orare pro matre sua Monica ante triginta annos mortua, et rogat, ut quotquot ista legerint, ejusdem matris suae meminerint ad altare.

inferni, ne absorbeat eas tartarus, ne cadant in obscurum"; solet enim liturgia ecclesiastica fidei mysteria non tam *historice* ut jam peracta, sed *dramatice* ac si modo peragantur, repraesentare, quorum fructus, ut nobis applicentur, postulamus. Sic tempore adventus dicitur: „Rorate coeli desuper" et in festo Ascensionis Domini: „Qui *hodie* super omnes coelos ascendisti."

Nr. 437. **Coelum** seu Paradisus est locus, ubi Deus gloriam suam manifestat et semetipsum clare et intuitive conspiciendum praebet electis suis, qui ibidem perfecta felicitate fruuntur.

Distinguendum autem est coelum quatenus beatitudo et coelum quatenus locus. — Quatenus *beatitudo* coelum est in spiritibus beatis, qui visione beatifica fruuntur et quidem ubicumque ea fruuntur. Sic angeli custodes coelum habent in terra, quia[1] „semper vident faciem Patris, qui in coelis est." — Quatenus *locus* coelum seu coeli spatium est a terreno nostro loco distinctum. Ubi autem situm sit, revelatio non docet, indicat tamen ad eum tamquam ad altitudinem ascendi.

Status sanctorum in coelo a Patribus concipitur veluti libertas ab omni miseria, abundantia bonorum omnium, intima cum Deo conjunctio, visio clara immediata et intuitiva Dei sicuti est, in unitate et Trinitate sua; plena veritatis cognitio, consummatio charitatis; hic autem status vocatur beatitudo.

Nr. 438. **Beatitudo** ipsa distinguitur multiplex; nam

1° alia est naturalis, quae naturae rationali secundum se sumptae convenit, et quam solis naturae viribus ac naturali Dei auxilio creatura rationalis assequi potest; alia est supernaturalis, quae naturae vires excedit et solis gratiae auxiliis comparari potest.

2° Beatitudo supernaturalis alia est imperfecta et viae, per quam homo summo bono conjungitur eo modo, quo in hac vita mortali conjungi potest; alia est perfecta et patriae, qua homo summo bono, modo perfectissimo creaturae competente, post hanc vitam fruitur.

[1] Matth. 18, 10.

3° Beatitudo supernaturalis patriae alia est essentialis, quae circa primarium objectum beatificans, et alia accidentalis, quae circa objecta secundaria versatur. Quarum utraque iterum est vel *objectiva*, quae est ipsum objectum seu res, cujus possessione reddimur beati; vel *subjectiva* seu formalis, quae est ipsa hujus objecti possessio et fruitio.

Patet beatitudinem hanc formalem magis proprie dici beatitudinem. Continetur autem haec beatitudo tribus potissimum actibus: visionis, amoris et gaudii; nemo enim sine gaudio est beatus, nemo vero gaudere potest, nisi de possessione boni, quod amat, amari autem nequit, nisi quod cognoscitur.

Nr. 439. **Animae in novo Testamento defunctae et perfecte purae statim ad visionem Dei beatificam in coelum admittuntur.**

Est *de fide;* concilium enim Lugdunense IIum et iisdem verbis Florentinum definit: „illorum animas, qui post Baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt; illas etiam, quae post contractam peccati maculam vel in suis corporibus vel eisdem exutae corporibus, prout superius dictum est, sunt purgatae, in coelum mox recipi et intueri clare ipsum Deum trinum et unum, sicut est, pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius."

Probatur:

1° ex SS. Litteris. Philip. 1, 23: *Cupio dissolvi et esse cum Christo;* 2 Cor. 5, 1: *Scimus enim, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod edificationem ex Deo habemus, domum non manufactam aeternam in coelis* — itaque cum terrestris domus per mortem solvitur, statim domus aeterna in coelis nobis paratur.

2° ex Traditione, quae patet: α) ex Patribus, e. gr. s. Cypriano:[1] „Quanta dignitas et securitas . . . claudere in momento oculos, quibus homines videbantur et mundus, aperire eosdem statim, ut Deus videatur et Christus". — β) ex confessionibus Martyrum e. gr. Symphorosae, quae coram judice ait: „Vir meus Getulius et frater ejus Amantius pro nomine Jesu

[1] L. de exhort. ad martyr.

Christi decollari maluerunt, quam sacrificare: vicerunt vestros daemones, et nunc cum aeterno rege vita aeterna fruuntur in coelis". — γ) ex precibus Ecclesiae: sic in festo s. Gregorii „Deus, qui animae famuli tui Gregorii aeternae beatitudines praemia contulisti" etc. — δ) ex sensu fidelium, qui sanctos in coelo regnare et pro nobis intercedere credunt.

3° ex analogia fidei, nempe ex descensu Christi ad inferos et ascensione in coelum. Ideo enim Christus descendit, ut limbum evacuaret patresque liberaret, et ideo ascendit, ut januam coeli aperiret. Si ergo ponatur, animas sanctas non statim ingredi in coelum, necessario adhuc dum limbus existere et coelum clausum esse deberet, quod argumentum Patres quoque saepe urgent.[1]

Nr. 440. **Beati in coelo Deum facie ad faciem vident,** et in hac visione perfectam et essentialem beatitudinem consequuntur.

Est *de fide* ex modo supra allegata conc. Florentini definitione, nec non ex constitutione „Benedictus Deus", qua Benedictus XII. docuit, quod justi in coelo „vident divinam essentiam visione intuitiva et etiam faciali . . . nec non quod ex tali visione et fruitione animae eorum, qui jam decesserunt, sunt vere beatae et habent vitam et requiem aeternam".

Probatur:

1° ex SS. Litteris. Psalm. 16. 15: *Satiabor, cum apparuerit gloria tua;* Joan. 17. 3: *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum;* 1 Cor. 13. 12: *Videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem; nunc agnosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut et cognitus sum;* 1 Joan. 3. 2: *Similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est.*

2° Idem docent Patres; e. gr. Cyrillus Alexdr. dicens:[2] „Nihil vera Dei contemplatione est pretiosius; quandoquidem nos summae beatitudinis haec facit participes."

[1] Cf. v. gr. *Athanas.* Ep. fest. 5. n. 2. [2] L. 3 c. Julian. n. 83.

3° Suadet ratio: Essentialis quippe beatitudo in possessione summi boni, Dei ergo, consistit. Deum autem, qui est purus spiritus et ipsa veritas, aliter possidere non possumus, quam per visionem et inde resultantem amorem et fruitionem.

Nr. 441. **Pro meritorum diversitate etiam gloria inaequalis erit.**

Licet omnes beati Deum videant, attamen contra Jovinianum stoicorum placita secutum et Lutherum tenendum est, et quidem ex conc. Florentino *de fide*, eos „intueri ipsum Deum trinum et unum pro meritorum diversitate alium alio perfectius".

Probatur:

1° ex SS. Litteris. 1 Cor. 3, 8: *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem*; unde Joan. 12, 2: *in domo Patris mei mansiones multae sunt*, et 1 Cor. 15, 41: *alia claritas solis, alia claritas lunae et alia claritas stellarum; stella enim a stella differt in claritate: sic et in resurrectione mortuorum.*

2° ex Patribus. S. Irenaeus v. gr. dicit:[1] „Quanto plus Deum dilexerimus, tanto majorem ab eo gloriam accipiemus;" Polycarpus judicem alloquitur:[2] „Merita mea doloribus aestimatione pensabo. Quanto graviora pertulero, tanto praemia majora percipiam."

3° ex absurdis consequentiis, quas s. Hieronymus ita urget contra Jovinianum:[3] „Quid perseverant virgines? quid laborant viduae? Cur maritatae se continent? Peccemus omnes et post poenitentiam idem erimus, quod Apostoli sunt."

Nr. 442. **Medium, in quo beati Deum vident, est lumen gloriae,** quo confortati intuentur Deum unum et trinum, totum non tamen totaliter, nec eadem intensitate.

Sic conc. Viennense 1311 contra Beguardos statuit, ad Dei intuitivam visionem eliciendam requiri *lumen gloriae*, quo humanus intellectus elevetur. Ratio

[1] Adv. haer. L. 4. c. 13. al. 27. n. 3. [2] In actis mart. n. 10. [3] L. 2, n. 34.

est, quia nulla creatura Deum naturaliter videre potest, sed supernaturali Dei influxu ad hanc visionem elevanda est. Hoc jam autem lumen gloriae praestat, de quo Psalmista cecinit:[1] *In lumine tuo videbimus lumen.*

Hoc lumen non est ipsa divina essentia, neque est lux ab ea procedens, neque est similitudo objectiva seu species, in qua divinitas videatur, sed est secundum s. Thomam[2] „qualitas creata et habitus et virtus intellectualis et per se infusa intellectui, qua redditur proxime potens et habilis ad videndum Deum."

Jam vero Beati hoc lumine gloriae illustrati, omnia, quae in Deo *formaliter* et *necessario* sunt, vident secundum proprias et necessarias eorum rationes, ergo mysterium SS. Trinitatis omnesque perfectiones divinae essentiae, utpote visionis beatificae objectum primarium. Vident etiam aliquas creaturas, quod est objectum visionis beatificae secundarium, scilicet cognoscunt omnes creaturas existentes, rerum naturalium causas, species, vires, proprietates; vident clare omnia fidei mysteria, beatae patriae concives; vident quoque honores et preces, quas viventes eis offerunt. Non tamen omnes creaturas possibiles, nec ultimum diem judicii, nec secreta cordis, nec futura contingentia, nisi illis revelentur, cognoscunt.[3]

Nr. 443. Praeter beatitudinem essentialem admittenda est in coelo etiam beatitudo *accidentalis*, quae maxime reponenda est in cognitione et amore humanitatis Christi, B. M. Virginis, et in angelorum atque sanctorum societate.[4]

Huc etiam refertur a theologis **aureola**, quae est gaudium accidentale, a Beatis de singulari quadam victoria perceptum, quod etiam in corpus post resurrectionem speciali fulgore redundabit.

Aureola idem sonat ac corona aurea minor: dicitur „corona", quia datur in praemium victoriae, „aurea" ob ejus pretium; „minor" respectu coronae magnae i. e. essentialis beatitudinis et gloriae.

Aureola est **triplex**: Martyrum, Virginum et Doctorum. Martyres enim vincunt mundum contemptu

---

[1] Ps. 35 [2] Cf. Sum. theol. p. 1 q. 12 a. 5. [3] Cf. s. *Thom.* p. 3. q. 10. art. 2. [4] Cf. Catech. Rom. p. 1. c. 13 q.

mortis: Virgines carnem, cujus illecebris resistunt; Doctores aliique verbi Dei ministri atque interpretes vincunt daemonem, cum eum sana doctrina e fidelium cordibus expellunt: adeoque *cum ad justitiam erudiant multos, quasi stellae fulgebunt in perpetuas aeternitates.*[1]

De communione Sanctorum.

Nr. 444. **Communio Sanctorum** definiri potest: est connexio existens inter omnia membra Ecclesiae tamquam unius corporis in Christo, et quidem pro tempore et aeternitate, ita ut bonorum spiritualium unius alii secundum quamdam mensuram sint participes.

Ecclesia autem, ut scimus, triplex distinguitur: militans in terra, patiens in purgatorio, et triumphans in coelo. Hae non sunt nisi tres partes unius Ecclesiae et constituunt integrum corpus mysticum, cujus caput est Christus. Sunt quodammodo tres rami ejusdem arboris, tria agmina ejusdem exercitus, tres ejusdem regni provinciae, quae in Christo communi capite vinculo caritatis inter se copulantur.

Communio Sanctorum cum Catechismo Rom.[2] appellari etiam potest „societas sanctorum", juxta illud 1 Joan. 1, 3: „*Ut et vos societatem habeatis nobiscum et societas nostra sit cum Patre et cum Filio ejus Jesu Christo.* — Ratio autem, cur membra Ecclesiae in SS. litteris appellantur „sancti", est: quia Ecclesia triumphans et patiens nonnisi ex sanctis consistit, et in militante quoque Ecclesia omnes per Baptisma sanctificati[3] et ad sanctitatem vocati sunt,[4] ac plurimi semper sancte vixerunt et adhuc vivunt.

Communio Sanctorum generatim sumpta est **dogma fidei,** articulo 9no symboli Apostolici propositum, constanter per Traditionem perhibitum et in Scripturis fundatum; nam *multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra.*[5] Quis autem dubitet, communionem et quidem intimam inter membra corporis existere?

[1] Dan. 12, 3. [2] P. 1. c. 10. q. 21. [3] 1 Cor. 6, 11.
[4] ibid. 4, 3. [5] Rom. 12, 5.

Nr. 445. Speciatim **communio** haec **vivorum inter se** consistit in eo, quod:

1° omnes eàdem fide et iisdem sacramentis jungantur cum Christo et inter se;

2° gratiae a singulis receptae, preces ac bona opera a singulis praestita omnibus tamquam unius corporis membris utilia sint, idque tripliciter: α) quia bonum unius membri naturaliter cedit in commodum alterius; β) quia Deus propter merita unius saepe multis aliis, imo toti communitati benedicit;[1] γ) quia justus per bona opera aliis de congruo gratiam aliaque beneficia mereri potest.

3° justus viator possit in alterum justum viatorem suas satisfactiones transferre, quibus hic coram Deo a reatu poenae temporalis liberetur.

Conditio, ut quis horum bonorum particeps efficiatur, est, ut sit 1. membrum Ecclesiae, cui videlicet per Baptisma fuerit aggregatus, nec per excommunicationem inde separatus; 2. ut sit insuper in statu gratiae.

Sequitur ex dictis, quod ii, qui peccato mortali obnoxii vivunt in Ecclesia, cum sint membra mortua, spiritualium bonorum, quae vitam gratiae supponunt, non possunt esse participes; attamen propter justos et preces eorum gratias multas ad poenitentiam peragendam recipiunt.

Nr. 446. Ad **fidelium suffragia, quibus animae purgatorii juvantur,** numerantur imprimis *Missae sacrificium*, deinde *indulgentiae* iisdem applicatae, porro jejunia, orationes, eleemosynae et quaecumque alia *opera bona.*

Circa haec suffragia tria solent quaeri: Pro quibus valeant? quo modo? quae sint conditiones in eo, qui ea offert?

1. Pro quibus valent? Evidens est *de se* valere pro iis, quibus specialis fit applicatio, sed tantum de se, quia hujus applicationis fructus non est infallibilis: pendet enim a misericordi acceptatione divina. Hinc

[1] Hoc modo Labano benedixit propter Jacobum (Gen. 30, 27) Putipharo propter Josephum ibid. 39, 5 ac propter decem justos integrae civitati Sodomorum parcere paratus erat (ibid. c. 8).

dicuntur orationes et bona opera animabus prodesse per modum suffragii. Ex parte vero ipsius animae, pro qua offeruntur suffragia, valet illa s. Augustini regula:[1] „Eis haec prosunt, qui cum viverent, ut haec sibi postea possent prodesse, meruerunt."

2. Relate vero ad **modum** prodesse possunt vel per satisfactionem vel per merita congrua vel denique per impetrationem: per *satisfactionem* applicando eis tum satisfactiones Christi et Sanctorum, uti in Missae sacrificio et indulgentiis, tum valorem satisfactorium cujuslibet operis poenalis; per *merita congrua* applicando eis quaedam opera, quae per se et directe poenalia non sunt, uti est ex. gr. sacrae Eucharistiae susceptio; per *impetrationem*, quae maxime spectat ad orationem: licet enim oratio sit etiam opus aliquod sive satisfactorium sive meritorium, impetrationis tamen characterem sibi proprium vindicat.

3. **Conditiones** denique requisitae in eo, qui suffragia offert, sunt: 1° ad satisfaciendum et merendum, ut offerens sit in statu gratiae, nisi agat ut Ecclesiae minister; 2° impetrationis autem valor videtur inesse etiam orationibus privatis eorum, qui in statu peccati versantes defunctis requiem adprecantur. Ratio est, quia impetratio, qua talis, non petentis dignitate, sed pura Dei misericordia innititur.

Nr. 447. Communio cum animabus purgatorii non jam absolvitur his nostris suffragiis; est potius *theologorum doctrina*, quod tum animae purgatorii etiam pro nobis, tum quoque angeli et sancti directe pro defunctis possint orare.

1. Quamvis plures theologi negent, nos cum animabus purgatorii communicare, *communior* tamen, ab ipsis precum vicissitudinem recipiendo, sententia tenet, eas orare pro nobis, praesertim eas juvantibus. Nihil enim obstare videtur, cum nobiscum sint communione conjunctae, et nos aliorum suffragiis indigere sciant. Sic Moyses et Jeremias leguntur post mortem orasse pro populo. Probabilis quoque est sententia **Bellarmini**, licitum esse animas purgatorii invocare, sicut

---

[1] *Enchirid.* n. 110.

preces piorum hominum in terris viventium licet poscere: quod tamen Ecclesia publice facere non consuevit.

2. Ex communione sanctorum fideliumque sensu patet porro, angelos quoque et **sanctos directe defunctis succurrere posse.** Innititur hoc imprimis precibus Ecclesiae: „quosque vel praesens saeculum adhuc in carne retinet, vel futurum jam exutos corpore suscepit, intercedentibus omnibus sanctis tuis, pietatis tuae clementia omnium delictorum suorum veniam consequantur."

Nr. 448. **Vinculum inter Ecclesiam militantem et triumphantem** duplex est: alterum activum quoad nos, alterum passivum; seu alterum *honorificentiae* ex parte nostra, alterum *intercessionis* et beneficientiae ex parte Sanctorum.

Vinculum illud potest etiam dici mutuum, hic in cultu, illic in intercessione situm. Complectitur autem haec cum Sanctis communio juxta decretum conc. Tridentini sess. 25 *de invoc. Sanctorum:* 1. sanctorum cultum, 2. sanctorum invocationem, 3. reliquiarum et imaginum sacrarum venerationem. — Quae capita doctrinae catholicae contra Manichaeos, Vigilantium, Eunomium, Iconoclastas et contra Reformatores saeculi 16ti defensuri, secordari debemus multiplicis sensus vocis **cultus.**

Distinguitur enim cultus latriae, duliae, hyperduliae et politicus. Cultus *latriae* est ille, qui exhibetur Deo propter increatam et infinitam ejus excellentiam estque in sensu vulgari saltem apud Germanos idem ac adoratio (= Anbetung); cultus *duliae* est ille, qui alicui creaturae propter excellentiam supernaturalem defertur; cultus *hyperduliae*, qui ergo est dulia superexcellens, soli beatae Virgini debetur tum ob ejus sublimiorem sanctitatem et gloriam prae omnibus creaturis, tum ob ejus singularem cum Verbo incarnato cognationem; cultus denique *politicus* est ille, qui exhibetur propter aliquam excellentiam creatam naturalem, e. gr. propter potentiam, sapientiam etc.

Nr. 449. **Jure meritoque Sanctis in coelo cultus duliae exhibetur.**

Probatur:

1° ex SS. Litteris, in quibus legitur religiosus Angelis et prophetis cultus exhibitus, nec Scriptura reprehendente, nec istis repugnantibus. Sic Josue, videns virum stantem ex adverso, stricto gladio, dicit ad eum: *Noster es an adversariorum? Qui respondit: Nequaquam, sed princeps exercitus Domini. Et cecidit Josue pronus in terram, et adorans ait*[1] *etc.*, porro Eliae honor religiosus ab Abdia, Elisaeo a filiis prophetarum et a Sunamitide exhibitus fuit; denique Deus ipse sanctos honorat, uti 1 Reg. 2. 30 dictum est: *Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum*; atqui licitum sane est Deum imitari: ergo —

2° ex Traditione. In constitutionibus Apostolicis[2] praecipitur fidelibus, ut diebus S. Stephano aliisque Martyribus sacris ab operibus servilibus abstineant; s. Basilius ait:[3] „Martyrum honores cum summo studio procurantur ab iis, qui in Domino sperant; tum praecipue a vobis, qui virtuti operam datis"; s. Hieronymus:[4] „Honoramus servos, ut honor servorum redundet ad Dominum."

3° ex decretis et praxi Ecclesiae, quae a primis usque saeculis in honorem martyrum aliorumque sanctorum, maxime b. Virginis, aras excitavit, festa instituit, templa aedificavit, sepulchra ornavit, hymnos composuit etc.

4° ex ratione theologica: quia ille cultus pius est et honestus, quo ad virtutes exercendas excitamur; atqui talis est cultus Sanctorum juxta illud s. Augustini:[5] „Solemnitates martyrum exhortationes sunt martyriorum, ut imitari non pigeat, quod celebrare delectat."

Adnot. Quae interdum adferuntur, v. gr. Deut. 6, 13 quemlibet cultum prohiberi vel Apoc. 19, 10 Angelum prohibuisse cultum, quem Joannes illi exhibere voluit, doctrinae catholicae nullo modo adversantur. In illis enim testibus et aliis hujus generis agitur de cultu supremo, qui soli Deo debetur, non de cultu inferiore, qui etiam creaturis praestari potest, neque illis

---

[1] Jos. 5, 13 sq. cf. Gen. 18 et 19. [2] Lib. 8, c. 33. [3] Ep. 291. [4] Ep. ad Ripar. [5] Serm. 47. *de sanctis.*

verbis intelligi potest exclusus, cum alioquin contra praeceptum Domini ne filiis quidem liceret honorare et colere parentes; sicque Angelus Joanni prohibuit, ne eum coleret, forsitan quia, ut ait s. Augustinus,[1] „talis apparuerat, ut pro Deo possit adorari, et ideo fuit corrigendus adorator."

Nr. 450. **Reliquiarum cultus licitus atque utilis est.**

Nomine *reliquiarum* sensu presso intelliguntur exuviae sanctorum, scilicet partes corporis; sensu latiore vero, quidquid ad eos pertinuit, puta vestes, varia utensilia, quibus utebantur, aliaque passionis Sanctorum instrumenta inanimata.[2]

Thesis est *de fide* ex prius allegato decreto Tridentino sicque

probatur:

1° ex SS. Litteris, in quibus vestigia satis clara hujus cultus reperiuntur. Exod. 13, 19 Moyses ossa Joseph honorifice transtulit; 4 Reg. 2, 13 aquae Jordanis pallium Eliae reverentes dividuntur; 4 Reg. 13, 21 mortuus suscitatur contactu cadaveris Elisaei; Act. 19, 11 deferebantur sudaria et semicinctia Pauli super languidos et recedebant ab eis languores et spiritus nequam egrediebantur.

2° ex Patribus, qui facundi sunt in celebrandis sanctorum reliquiis. Sic s. Ephrem Syrus:[3] „Fontes vitae sunt corpora justorum defunctorum. Mundus testis est omnium curationum quovis in loco" et s. Ambrosius monet:[4] „Munera itaque salutis accipite, quae nunc sub sacris altaribus reconduntur."

3° ex Christianorum sollicitudine in Sanctorum reliquiis colligendis, uti legimus in Ecclesiae Smyrnensis epistola ad Ecclesias Ponti de S. Polycarpi martyrio: „Ossa illius gemmis clariora et quovis auro puriora colligentes, ubi decebat, condidimus."

[1] In Pentateuch. L. 1, q. 72. [2] Dico *inanimata*, ad excludenda membra tortorum, quae fuerunt instrumenta animata iniquitatis, non sanctificata contactu corporum Sanctorum, sed potius informata malitia impiorum.
[3] *Carm.* 14. [4] Exhort. Virgin. c. 2. n. 9.

4° ex ratione theologica, quam ad mentem S. Augustini[1] adfert S. Thomas:[2] „Qui habet affectum ad aliquem, veneratur omnia, quae de ipso post mortem relinquuntur; ergo cum Sanctos tamquam membra Christi et nostros intercessores veneremur, consequenter etiam debemus eorum reliquias honore congruo venerari."

Adnot. Quae de cultu reliquiarum generatim dicta sunt, a fortiori valent de iis rebus, quas Christus ipse tactu vel usu sacravit, et maxime de cruce, in qua salus mundi pependit. „Hoc itaque", scribit S. Joannes Damascenus,[3] „pretiosum sane ac venerabile lignum, in quo se Christus pro nobis hostiam obtulit, uti sanctissimi corporis et sanguinis tactu sanctificatum, jure debet adorari; clavique item et lancea et indumenta et sacrae ejus mansiones: praesepe, specus salutaris Golgotha, vivificum sepulchrum, Sion ecclesiarum arx et similia."

Nr. 451. **Licitus et pius est cultus s. imaginum, non quidem absolutus, sed relativus.**

Est *de fide* ex damnatione Iconomachorum in conc. Nicaeno II°.

Imago est similitudo sive repraesentatio rei existentis ad illam rem, ut ad exemplar, expressa. Imago enim ab imitando dicitur, quia rem imitando repraesentat. — Imago differt ab *idolo*, eo quod idolum sit simulacrum repraesentans rem, quae vel simpliciter non est, vel certe non talis est, qualis colitur; imago e contra similitudo sit rei vere existentis.

Imaginum cultus intelligitur, qui illis tribuitur, quatenus formaliter imagines sunt. Imagines enim, ut adnotat s. Thomas,[4] dupliciter considerari possunt: 1° prout sunt res quaedam seu certa materia, puta aurum, vel lignum sculptum, et eatenus imagines non licet venerari; 2° prout sunt imagines seu repraesentationes Christi vel Sanctorum, et eatenus fas est atque convenit, illas venerari et colere, quia talis cultus relativus est et non offertur objecto immediato, nempe

[1] *De civit.* L. 1, c. 13. [2] P. 3. q. 25, art. 6. [3] *De fide orthod.* L. 4. c. 11. [4] P. 3. q. 25, art. 3.

non imaginibus, sed alteri objecto mediato, ad quod referuntur, i. e. Christo vel Sanctis, quorum sunt imagines.

Probatur:

1° Licet s. Scriptura generatim imaginum usum Judaeis propter eorum proclivitatem ad idololatriam non commendaverit, imo ab usu idololatrico eos deterruerit, tamen in ipsis SS. Litteris prima *vestigia* hujus cultus occurrunt: tum in arca foederis, quae divinam praesentiam repraesentavit; tum in duobus Cherubim erectis in templo Salomonico: tum in serpente aeneo exaltato in deserto, per quem Christi mors repraesentabatur.

2° ex Traditione. Imagines enim, licet initio Ecclesiae et persecutionum tempore minus frequentes, tamen semper in usu fuerunt, ut patet ex picturis aliisque ornamentis, quae partim adhuc in Catacumbis conspiciuntur, nec non ex s. Basilii[1] testimonio: „Characteres imaginum sacrarum honoro et exosculor eximie, cum hae traditae sint a s. Apostolis, nec sint prohibitae, imo in omnibus ecclesiis nostris depictae." Factum autem et rationem hujus cultus inter alios s. Cyrillus Alexdr. exhibet:[2] „Etiamsi facimus imagines piorum hominum, non tamen ut eas adoremus tamquam deos, sed ut iis inspectis ad eorum aemulationem impellamur; ideo autem Christi imaginem facimus, ut mens nostra ad illius amorem excitetur."

3° Accedit multiplex ratio: α) Naturali sensu ducimur ad imagines eorum colendas, quos diligimus et honore prosequimur; β) Regum imaginibus defertur cultus civilis: a pari, aut a fortiori, Sanctorum imaginibus deferendus est cultus sacer uti s. Stephanus Auxensanus coram Constantino Copronymo ratiocinabatur;[3] γ) Licet signum venerari propter personam, quam significat, quia veneratio illa non est nisi cultus ipsi personae quamvis indirecte praestitus; δ) talis cultus est utilis[4] et institutus est propterea in Ecclesia primo ad *instructionem* rudium, qui eis quasi quibusdam libris edocentur; secundo ut incarnationis my-

[1] Ep. 370. [2] In Ps. 113, 16. [3] *Baron.* Annal an 760 Cf. *Catech. Rom.* p. 3, c. 2, q. 24.

sterium et sanctorum exempla magis in *memoria* essent, dum quotidie oculis repraesentantur; tertio ad excitandum *devotionis affectum*, qui ex visis efficacius excitatur quam ex auditis.

Nr. 452. **Sancti pro nobis apud Deum intercedunt eosque invocare bonum est atque utile.**

Est *de fide* ex eodem decreto Trid. sess. 25. et conc. Nicaeno IIdo.

Probatur:

1o exemplis utriusque Testamenti. Jerem. 15, 1: *Si steterit Moyses et Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum;* 2 Machab. 15, 14: *Hic est fratrum amator et populi Israel; hic est, qui multum orat pro populo et universa civitate, Jeremias propheta Dei;* 4 Reg. 20, 6: *Protegam urbem istam propter me, et propter David servum meum;* Apostolus ad Thessal.[1] scribit: *Fratres, orate pro nobis* — jam vero si Sancti, qui in hac mortali vita adhuc peregrinantur a Domino, pro aliis intercedere possunt, quanto magis id poterunt Sancti, qui cum Christo in coelis triumphant!

2o ex Patribus. Orgines:[2] „Quis dubitet, quod sancti quique Patrum orationibus nos juvent et gestorum suorum confirment exemplis? Gregorius Naz. in Orat. funebr. in patrem: „Nunc tanto magis proficit nobis precibus, quanto Deo propinquior est, postquam vincula deposuit temporalia.“ — Chrysostomus:[3] „Confugiamus ad sanctorum preces et oremus, ut pro nobis intercedant; sed non illorum precibus tantum confidamus, sed et ipsi nostra, ut oportet, dispensemus recte et ad meliora semper nitamur, ut locum demus orationi, quae pro nobis funditur.“

3o ex praxi Ecclesiae, quae constat: α) ex *liturgiis*, quarum nulla est, in qua non occurrant invocationes B. M. Virginis et sanctorum; β) ex *epitaphiis* et inscriptionibus antiquissimis; γ) ex *litaniis* etc.

4o ex ratione theologica. Nihil enim obstat: α) ex parte Dei, quia sanctos non invocamus ac si propria

[1] 1 Thess. 5, 25. [2] Hom. 21 *in Num.* [3] Hom. 44 in Gen. n. 2.

virtute nos adjuvare possint; *β)* nec ex parte Christi, ac si per hoc ejus mediatio frustraretur, ut haeretici calumniantur: sanctos enim invocamus ut *intercessores*, non ut mediatores; *γ)* nec ex parte sanctorum, qui ex objecto visionis beatificae secundario certe preces nostras *sciunt;* qui porro nos amant ideoque nobis succurrere *volunt*, et ceu amici Dei potentes sunt ideoque nobis succurrere *possunt*.

Nr. 453. **Maria post mortem secundum corpus assumpta est in coelum:**

Dicitur 1° *post mortem*, quo significatur contra nonnullos de hac re dubitantes vel eam negantes, Mariam mortem obiisse. Ita sentit hoc tempore universa Ecclesia et ad id confirmandum sufficit generalis regula scripturarum. Nam omnes filii Adae corporali morti obnoxii sunt, a qua regula neque auctoritas ulla neque ratio suadet excipiendam esse Virginem. Quin potius gravissimi et antiquissimi Patres eam mortuam esse testantur.

Hoc etiam ratio suadet, quia imprimis decuit, B. Virginem esse similem Christo. Cum ergo Christus mortem susceperit, non oportuit B. Virginem ab hac lege excipi. Deinde congruum erat, ut per mortem Virginis constaret evidentius, eam indiguisse Christi morte, qua fuit redempta, et habuisse carnem passibilem, a qua Christus similem sumpsit, et ita excluderetur error eorum, qui finxerunt B. Virginem fuisse coelestis seu angelicae naturae. Tandem mors nullam imperfectionem includit, quae Virginem non deceat.

Dicitur 2° *secundum corpus;* cum enim animae justae perfecte purgatae statim ac discedunt a corporibus, in coelum excipiantur, anima B. V. Mariae utpote absque ulla macula aut debito poenae et perpetuo vixit, et a corpore discessit, statim ad beatitudinis locum fuit evecta.

Propositio haec nunc tam recepta, ut a nullo pio et catholico possit in dubium revocari aut sine temeritate negari, **demonstratur:**

1° *ex sensu fidelium*, qui invaluit et praevaluit a saeculo saltem 8vo, quin ullos fere unquam habuerit proprie dictos adversarios, et non solum penes catholicos sed etiam apud graecos scismaticos, ut constat

ex synodo Hierosolymitana 1672 adversus Calvinistas habita.

2° *ex assumptionis festo*, quod in Ecclesia celebratur universa, ejusque initia saeculo 6° praecedunt. Objectum autem hujus festi non esse tantummodo translationem *animae*, sed etiam corporis in coelum, colligitur ex homiliis veterum hac de re habitis, ex breviarii lectionibus, ex inscriptione martyrologii, ex missalis introitu, orationibus et versiculis et ex ipso nomine assumptionis, quo festum designatur; assumptio enim proprie refertur ad corpus, unde nullius sancti assumptionem celebrat Ecclesia, sed solum transitum aut diem natalem, licet credat eorum animas in coelum esse ingressas.

3° ex disertis *Patrum testimoniis*, in quorum numero v. gr. Gregorius Turonensis († 595) dicit: „Dominus susceptum Virginis corpus sacratissimum in paradisum deferri jussit, ubi nunc resumpta anima cum electis ejus exultans aeternitatis bonis nullo occasuris fine perfruitur."

En insuper *rationes congruentiae*, quas cum Joan. Damasceno theologi plures referunt: α) Dignitas matris: „Putredo et vermis humanae est opprobrium conditionis, a quo opprobrio cum Jesus sit alienus, natura Mariae excipitur, quam Jesus de ea suscepisse probatur. Caro enim Jesu caro est Mariae. — β) Virginitas. „Si voluit Christus integram matrem virginitatis servare pudore, cur non velit incorruptam a putredinis servare foetore?" — γ) Immaculata conceptio, quae sin minus mortem, quam etiam Christus passus est, saltem corruptionem excludit. — δ) Ejus cum Christo similitudo; sicut enim Mater perfectissima participavit Filii sui redemptionem per praeservationem a corruptione peccati, ita decuit ut per praeservationem a corruptione corporis etiam perfectissimam illam participaret victoriam, quam Christus de morte reportavit.

Adnot. Quod si haec de Assumptione B. Virg. Mariae ecclesiae doctrina, certe sat firmiter fundata, quam primum ceu divinitus revelata et fide divina tenenda declararetur, totus orbis christianus fors simili applausu et gratulatione assentiret uti olim de-

creto synodali concilii Ephesini decernentis: B. Mariam Virginem esse vere Deiparam.

Quoad tempus, quo post mortem assumpta fuerit, probabilior conjectura est, post triduum resurrexisse et innititur tum Nicephoro narranti de Apostolis totum triduum ad ejus sepulchrum perseverantibus, tum ea ratione, quod in hoc etiam B. Virgo fuerit Filium imitata. Dicitur autem assumpta ab Angelis, non quia illorum opera ad id indigeret, sed quia honoris causa eam comitabantur, et magis dicitur *assumi* quam ascendere, quia illa virtus non erat ei connaturalis sicut fuit Christo, sed ab hoc Filio suo recepta, unde dicitur assumpta innixa Dilecto suo.

Nr. 454. **Maria dicitur estque vere mediatrix nostra excellentissima nobisque utilissima in coelo.**

Christus est mediator noster apud Deum patrem *primarius*, ante quem nullus alius.

necessarius, sine quo non solum nulla salus sed neque salutis possibilitas,

universalis, quo omnes sancti et ipsa ejus mater indiguerunt,

independens, cujus mediatio alterius mediatione neque indiget neque innititur; denique

infinitae virtutis, qui per se ipsam efficaciam habet et a quo omnis alia mediatio vim habet suam.

Mediatio, quam B. M. Virgini et sanctis adscribimus est secundaria, gradu altero, longe inferior, participatio quaedam non absolutae necessitatis sed maximae utilitatis, tota derivata ex meritis Christi Christoque innixa.

Hujusmodi mediatio haud pugnat cum Christi mediatoris munere, cum Dei agendi constans sit ratio, ut non solum Deus causis secundis utatur sive in ordine naturali sive supernaturali, sed sua quoque communicet suis. Mirum ergo esse non debet, si et de mediationis munere, de quo participant vel fideles adhuc in terra degentes, non nihil absque injuria sancti et prae caeteris Filii mater participent.

Nr. 455. In hoc sensu declarato **esse Mariam mediatricem nostram** probatur:

1) ex ejus ad redemptionis opus cooperatione: α) *physice* subministrando Redemptori substantiam suam carnem et sanguinem, quam in pretium salutis offerret; β) *moraliter* suum praestando Angelo consensum in incarnationem, Christo Redemptori totam vitam suam summa cum sollicitudine ministrando eumque alendo atque ita quodammodo ad sacrificium in cruce Patri pro nobis oblatum praeparando.

2) ex ejus intercessione, qua Christum nobis conciliat nosque ad Christum provehit. Ex Evangelio novimus Christi aquae in vinum conversionem ad matris suae intercessionem, cujus precibus pro mundi salute et peccatorum conversione, cum staret juxta crucem, a nonnullis et conversio latronis in crucis patibulo adscribitur.

Haec utraque nunc modo explanata sententia de B. M. Virginis assumptione ac ipsius munere mediatricis est fidei proxima, quia nil aliud quam causae internae cultus Dei genitrici debiti hyperduliae[1] consectio ac totius Christologiae conclusio et consequentia.

Adnot. Mense Aprilis 1921 misit Cardinalis Mercier Mechlinensis cunctis Episcopis catholicis litteras, quibus eis notum fecerat, Papam Benedictum XV pro dioecesibus terrae Belgiae Officium proprium sanxisse itemque propriam Missam „in honorem B. M. Virginis *mediatricis omnium gratiarum*," simul renuntians, quod possit quivis Episcopus pro sua dioecesi a Rituum congregatione dictae novae Missae atque novi Officii usum adipisci. Pro hujus festi celebratione destinata est dies 31. Maji. Cardinalis Mercier epistola sperat fore ut consociatis precibus ac unitis curis et laboribus episcoporum contingat, ut universalis gratiarum mediatio B. M. Virginis ceu dogma declaretur.[2]

De consummatione saeculi.

Eam operabitur Christus, qui est *principium et finis, α et ω, primus et novissimus*,[3] et quidem im-

[1] Cf. pag. 637 infra. [2] Cf. Christ Pesch, S. J.: Die selige Jungfrau Maria, die Vermittlerin aller Gnaden. Eine theologische Untersuchung. Herder, Freiburg.

[3] Apocal. 22, 13.

mediate, personaliter, cum sua humanitate visibili in terram veniens,[1] qua judex, ut judicio universali finem imponat mundo.[2]

Nr. 456. Quaeritur: quomodo **primus et secundus Christi adventus** inter se conveniunt et differunt?

Duplex Christi adventus visibilis, alter praeteritus, alter futurus, quos fides catholica confitetur, **conveniunt** in sequentibus: 1. uterque est admirabilis, supernaturalis ac Deo dignus; 2. uterque primario ad hominum salutem; 3. uterque, ut Christus regnum sibi comparet

In his autem **differunt:** 1. primus adventus contigit in medio temporum, secundus in fine mundi continget; 2. primus incarnatione Verbi et humana generatione peractus est, secundus solum motu locali perficietur; 3. primus ad redimendos et docendos homines, secundus ad eos judicandos; 4. primus fuit in passibili carne et in apparatu exteriore humilis, secundus erit gloriosus; 5. in primo Christus coeleste regnum sibi promeruit, in secundo acquiret perfectam ac consummatam sui regni possessionem; 6. in primo absoluta peregrinatione coelum conscendit in terram reversurus; in secundo, rerum omnium ordine consummato, ad coelum ascendet nunquam huc redituras; 7. primi adventus praecursor fuit Joannes, secundi erunt Henoch et Elias; utriusque etiam praenuntia signa diversa.

Nr. 457. Cum sacrae Litterae nos doceant:[3] *De die autem illa et hora nemo scit neque angeli caelorum nisi solus Pater*, vana est ac omnino inanis opera, more Adventistarum de adventu Domini ad judicium certum ponere calculum.

Nihilominus dantur **signa, quae hunc Christi adventum praecedent;** hujusmodi signa autem communiter haec recensentur:

1° Praedicatio Evangelii per universum mundum; cf. Matth. 24, 14: *Praedicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus, et tunc veniet consummatio.*

---

[1] Act. 1, 11. [2] Ibid. 10, 42. [3] Matth. 24, 36.

2° Apostasia a fide: cf. Luc. 18, 8: *Filius hominis veniens, inveniet, putas, fidem in terra?* et 2 Thess. 2, 3: *Nisi venerit discessio* (= ἀποστασία) *primum et revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis*, dies Domini non veniet.

3° Reditus Henoch et Eliae. cf. Malach. 4, 5: *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis*, et Apoc. 11, 3: *Dabo duobus testibus meis et prophetabunt* etc. etc.

4° Judaeorum conversio; cf. Rom. 9, 27: *Si fuerit numerus filiorum Israël tamquam arena maris, reliquiae salvae fient.*

5° Adventus Antichristi; cf. 2 Thessal. 2, 4: *Et tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui* etc. etc.

6° Plura alia signa in rerum natura; cf. Matth. 24, 29: *Statim autem post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et stellae cadent de coelo, et virtutes coelorum commovebuntur.*

7° Denique conflagratio ignis universalis mundum purgabit, sicut quondam diluvium aquarum: cf. 2 Petr. 3, 10: *Adveniet autem dies Domini ut fur, in quo coeli magno impetu transient, elementa vero calore solventur, terra autem et quae in ipsa sunt opera, exurentur* etc. Erit autem ignis verus agetque non solum vi naturae, sed etiam tamquam instrumentum Dei:[1] α) ut quaecumque sunt in superficie terrae, animalia, plantas, opera hominum comburat; β) ut sit purgatio et quasi purgatorium justorum; γ) ut sit mundi sceleribus foedati lustratio et expiatio.

Nr. 458. Nomen **antichristus** dupliciter in SS. Litteris accipitur:

α) sensu latiore, ut omnes eos significet, qui Christum oppugnant, pseudoprophetas, haereticos, Ecclesiae persecutores, juxta illud 1 Joann. 2, 18: *Et nunc antichristi multi facti sunt*;

β) sensu stricto et autonomastico, ut denotet magnum illum Christi adversarium, qui in fine mundi venturus describitur.

---

[1] Cf. *Thom.* Supplem. q. 76. a. 8.

Ex locis s. Scripturae de hoc Christi adversario,[1] collatis simul Patribus,[2] haec **de ipso constant:**

1. Antichristus certe venturus est. — 2. Ipse erit persona singularis et determinata, non moralis, neque diabolus, natione probabiliter Judaeus. 3. Erit scelestissimus in concupiscentiis feminarum, homo peccati qui cultum divinum sibi arrogabit, christianos acerbissime persequetur innumerisque signis et prodigiis gentes seducet. — 4. Universum orbem subjiciet imperio suo ac Jerosolymis; ejus tamen regnum non diu durabit, probabiliter tres annos et dimidium, quia propter electos breviabuntur dies illi. 5. Hinc sequetur Ecclesiae magna tranquillitas, donec, post paucorum annorum intervallum, subito veniat mundi excidium mortuorumque resurrectio.

Nr. 459. **Resurrectio** definitur: „Corporis morte amissi restitutio et animae cum eodem iterata conjunctio."

Spectata causa efficiente dicitur *resuscitatio* et est actio Dei homines mortuos omnipotenti sua virtute ad vitam revocantis. Dicitur etiam *resurrectio carnis*, ut Catechismus Rom. docet,[3] e duplici ratione, scilicet: *α*) ne quis forte animam simul cum corpore interiisse, utrumque vero in vitam revocari existimet; *β*) illius haeresis confutandae causa, quae vivo Apostolo Hymenaei et Phileti fuit, qui asserebant, cum de resurrectione in Scripturis sacris ageretur, non de corporea, sed de spirituali, qua a morte peccati ad vitam innocentem resurgitur, accipiendum esse.

Resurrectio carnis **est dogma religionis christianae fundamentale**, cui tota fides totaque spes christiana innititur; nam 1 Cor. c. 15: *Si mortuorum resurrectio non est, neque Christus resurrexit. Si autem Christus non resurrexit, inanis est ergo praedicatio nostra, inanis est fides vestra* etc.

Ex altera parte vero hoc dogma captum rationis longe superat, atque homini animali semper petra scandali fuit, nullaque in re, ut testatur Augustinus,[4] tam vehementer, tam pertinaciter, tam obnixe et

[1] Daniel 7, 20; Zach. 11, 16; Matth. 24, 21; 2 Thessal. 2, 2 sqq.; Apocal. c. 13. [2] Hos vide apud Stentrup th. 152 sq. [3] P. 1, c. 12, q. 2. [4] *Serm.* 2, in Ps. 88, n. 5.

caplose contradicitur fidei christiane, sicut de carnis resurrectione. Illam negarunt Sadducaei, Simoniani, Marcionitae aliique; impossibilem dicunt Rationalistae, ignorarunt penitus gentiles.

Nr. 460. **Ad Christi judicis adventum omnes homines resurgent cum corporibus, quae nunc gestant.**

Est *de fide* ex omnibus symbolis praesertim ex Athanasiano: „Ad cujus adventum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis," et ex conc. Lateran. IV.: „Omnes cum suis propriis resurgent corporibus, quae nunc gestant."

Probatur:

1° ex SS. Litteris. Job. 19, 25; *Scio, quod . . . in novissimo die de terra surrecturus sum; et rursum circumdabor pelle mea et in carne mea videbo Deum meum.* — Fidem Judaeorum desuper testatur historia septem fratrum Macchabaeorum, quos in mediis tormentis haec spes corroboravit. — In N. T. ipse Dominus solemniter protestatur in Joan. 5, 28: *Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filii Dei, et procedent* etc.; imo Sadducaeos resurrectionem negantes pluribus rationibus refellit, quod idem et Apostolus fecit 1 Cor. 15, 35: *Insipiens tu, quod seminas, non vivificatur, nisi prius moriatur* etc.[1]

2° ex Patribus, qui variis congruentiis et rationibus hoc dogma illustrant: α) ex *potentia* Dei, cf. Cyrill. Hieros.:[2] „Qui ex nihilo nos fecit Deus, numquid jam existentes et cadentes rursus excitare non poterit?" — β) ex *justitia* Dei, cf. Tertullianus:[3] „Quam absurdum . . . aliam substantiam operari, aliam mercede dispungi, ut haec quidem caro per martyria lanietur, alia vero coronetur: item e contrario haec quidem caro in spurcitiis volutetur, alia vero damnetur." — γ) ex *dignitate corporis* humani, cf. Irenaeus:[4] „Templum igitur Dei, in quo inhabitat Spiritus Patris, et membra Christi non participare salutem, sed in

[1] Cf. 1 Thessal. 4, 12 sq. [2] *Catech.* 18. [3] De Resurr. carn, c. 56. [4] Adv. haer. L. 5, c. 6, n. 2.

perditionem redigi dicere, quomodo non maximae blasphemiae?" — δ) ex *perfectione redemptionis* per Christum factae, cf. Tertullianus:[1] „Quam indignum Deo, dimidium hominem redigere in salutem . . . diabolus validior in hominis injuriam intelligitur, totum eum elidens. Deus autem infirmior renuntiabitur, non totum relevans, dum vero Apostolus quoque suggerit, ubi delictum abundaverit, illic gratiam abundasse." — ε) denique id *exemplis naturae* illustrant, v. gr. Minucius Felix:[2] „Vide adeo, quam in solatium nostri resurrectionem futuram omnis natura meditetur. Sol demergitur et nascitur, astra labuntur et redeunt, flores occidunt et reviviscunt; post semina arbusta frondescunt; semina nonnisi corrupta reviviscunt. Ita corpus in sepulchro ut arbores in hiberno . . . exspectandum nobis etiam corporis ver est."

3° ex praxi Ecclesiae in ritu sepulturae, in monumentis sepulchrorum et in tota vita christiana

4° ex ratione theologica: Quemadmodum corpus in hac vita particeps fuit bonorum vel malorum operum, ita aequum est, ut etiam in altera vita praemium vel poenam reportet. Atqui id fieri non posset, nisi corpus idque idem, quod in morte ab anima separatum est, resurgeret.

Nr. 161. Praeter hanc propositionem *de fide* sunt et aliae **quaestiones de resurrectionis circumstantiis**, quas breviter hisce exponemus.

1° homines cum suis propriis corporibus resurgent, quae nunc gestant.

Est *de fide*, quia totidem verbis in cap. *Firmiter* conc. Lateran. IVti identitas corporum resurgentium affirmatur. *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem et mortale hoc induere immortalitatem.*[3] — Ad hanc identitatem autem requiritur: α) imprimis identitas formae, nempe animae, a qua corpus suum esse specificum et individuale habet. β) identitas materiae, quia haec quoque est pars essentialis hominis, et quia haec praecise in morte occidit, et resurrectio magis respicit corpus, quod post mortem cadit, quam

[1] L. c. C. 46 et 31. [2] In Octav. n. 34 [3] 1 Cor. 15, 52

animam, quae post mortem vivit;[1] γ) proinde etiam identitas omnium partium saltem essentialium, e. g. ossium, carnis etc.: δ) necesse autem non est, ut omnes particulae, quae aliquando, e. gr. in infantia in corpore fuerunt, restituantur, sed ea, quae tempore mortis deponebantur, neque haec absolute omnia, sed moraliter omnia exiguntur.

2° **omnes eodem tempore resurgent.**

Est *de fide* ex conc. Lateran. IV^to^ nec non ex symbolo Athanasiano: „Ad cujus adventum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis." Ipse etiam Christus expresse dixit: *venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filii Dei*, et *procedent* etc. — Verba autem Psalm. 1, 5: *Non resurgent impii in judicio* nil aliud significant, quam impios in judicio non posse consistere, sed tamquam pulverem projiciendos esse, quod tum contextus tum textus hebraicus clare demonstrant.

3° **resurgent autem statu diverso,** quod Apostolus[2] hisce docet verbis: *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione; seminatur in ignobilitate, surget in gloria; seminatur in infirmitate, surget in virtute; seminatur corpus animale, surget corpus spirituale.*

Unde quatuor recenseri solent dotes corporum beatorum: impassibilitas, claritas, agilitas, subtilitas. Estque impassibilitas ea dos, quae efficiet, ne molesti aliquid pati ullove dolore aut incommodo affici queant; claritas ea dos, qua sanctorum corpora tamquam sol fulgebunt, ut Salvator ipse apud Matth. 13, 43 testatur; agilitas ea dos, qua corpus ab onere, quo nunc premitur, liberatum facillime, in quamcumque partem anima voluerit, ita poterit moveri, ut ea motione nihil celerius esse queat; denique subtilitas ea est qualitas, cujus virtute corpus animae imperio omnino subjicitur eique servient et ad nutum praesto erit.

Nr. 462. Quaeritur porro: **quae sunt futurae resurrectionis causae?**

1. Causa meritoria et exemplaris resurrectionis justorum est Christus moriens et resurgens, juxta illud

[1] S. *Thom.* Supplem. q. 81, a. 1. [2] 1 Cor. 15, 42

Pauli ad Philip. 3, 21: *Reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae.*

2. Causa efficiens principalis erit solus Deus, qui sicut creare solus potuit, ita solus omnipotentia sua humanam creaturam a morte suscitare potest, juxta 1 Cor. 6, 14: *Deus Dominum suscitavit, et nos suscitabit per virtutem suam.*

3. Causa instrumentalis erit Christus, vox Christi, caro Christi eucharistica rite suscepta, juxta Joan. 5, 28 supra p. 523 allatum locum et Joan. 6, 55: *Qui manducat meam carnem . . . resuscitabo eum in novissimo die.*

4. Causa ministerialis resurrectionis erunt angeli, non modo mortuos excitando, sed etiam, ut multi theologi censent, sepulcra et viscera terrae aperiendo sparsosque cineres ad corpora reformanda colligendo, quae autem omnia celerrime fient, juxta 1 Cor. 15, 52: *In momento, in ictu oculi.*

Nr. 463. Plures alias quaestiones tractant Doctores,[1] ex quibus potiores hae sunt sententiae:

1. Omnes resurgent *corporibus integris*. „Nihil, ait Augustinus,[2] tunc vitii in corporibus existet: si aliqui plus pinguedine obesi et crassi exstiterint, non totam corporis molem assument, sed quod illam habitudinem superabit, reputabitur superfluum; e diverso quodcumque vel morbus vel senium confecit in corpore, reparabitur per Christum virtute divina." Damnatis vero ad dolorem, ignominiam et supplicium omnia corporis membra restituentur.

2. Unusquisque resurget *in juvenili aetate*. Augustinus enim dicit:[3] „Restat, ut suam quisque recipiat mensuram, quam vel habuit in juventute, etiamsi senex est mortuus, vel fuerat habiturus, si antea est defunctus." Hoc idem valet etiam de statura, scilicet „quilibet resurget in illa quantitate, in qua fuisset in termino augmenti, si natura non errasset vel defecisset; quod autem superest vel deficit in homine, reseeabit vel supplebit divina potentia."[4]

[1] Cf. S. *Thom.* Supplem. qq. 82 et 83; s. *Bonavent.* in 4 dist. 43. [2] De civit. Dei. L. 22, c. 19 sqq. [3] De civit. Dei L. 22, c. 15 explicans Eph. 4, 13. [4] S. Thom. q. 83, a. 2.

3. Unusquisque resurget in *suo sexu*, vel virili vel muliebri. Nam considerata natura individui debetur diversus sexus diversis hominibus. Erunt tamen, inquit Augustinus,[1] membra feminea non accomodata usui veteri, sed decori novo, quo non alliciatur aspicientis concupiscentia, quae nulla erit, sed Dei laudetur sapientia atque clementia.

4. Relate ad functiones vitales cessabunt illae vitae *animalis*, „quia, ut S. Thomas dicit,[2] comedere et bibere et dormire et generare ad animalem vitam pertinent, cum sint ad primam perfectionem naturae ordinata, ideo in resurrectione talia non erunt"; non vero illae vitae sensitivae: nam beati, ait s. Thomas, utuntur sensibus ad delectationem, secundum illa, quae statui incorruptionis non repugnant.

Nr. 464. **Post resurrectionem fiet judicium universale.**

Est *de fide* ex omnibus symbolis, nominatim ex Athanasiano: „Ad cujus adventum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis, et reddituri sunt de factis propriis rationem."

Hoc resurrectionem immediate excipiens judicium extremum dicitur universale, quia omnes angeli et homines in illo comparebunt coram tribunali Christi, ut solemniter per Christum de universis judicium agatur.

Probatur:

1° ex SS. Litteris, ubi de hoc judicio sermo est in Psalmis[3] et Prophetis,[4] Christus autem illud luce clarius praedixit passim in parabola zizaniorum et praesertim ubi, parabolis de decem virginibus et de talentis distributis servis propositis, concludit:[5] *Cum venerit Filius hominis in majestate sua et omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suae; et congregabuntur ante eum omnes gentes et separabit eos ab invicem* etc. Apostoli vero, ut plurimum, ab hujus judicii denuntiatione evangelii praedicationem auspicabantur,[6] itemque de eodem extremo judicio saepissime loquuntur in suis epistolis.[7]

---

[1] L. c. cap. 17. [2] S. Thom. l. c. a 4. [3] Ps. 95, 12; 107, 9. [4] Isaj. 13, 9: Joël. 3, 1; Sophon. 1, 12: Zachar. 14, 15; Malach. 1, 4, qq. [5] Matth. 25, 31 sq [6] Act. 10, 42; 17, 31; 24, 25. [7] 2 Cor. 5, 10; 2 Petr. 2, 9; Jud. 14; Apoc. 20, 12.

2° Patres certatim magnum istud spectaculum extollunt et celebrant, ex quo tanta Deo gloria proveniet, justis laus, reprobis ingominia. Hinc divinae providentiae ordo, quasi tela, evolvetur atque expandetur; hinc impiorum occultae machinationes et artes, justorum autem afflictiones et aerumnae in apertam prodibunt lucem; hinc denique intimi cordium recessus omnium oculis patebunt: spectaculum profecto, quo nullum grandius ac Deo dignius excogitari possit.

3° Rationes congruentiae sunt: α) ut ita infinita Dei justitia et misericordia manifestetur; β) laesa justorum fama coram toto humano genere reparetur; γ) divina Christi majestas toti orbi innotescat et *in nomine Jesu omne genu flectatur*.

Nr. 465. **Sententiâ latâ statim sequitur retributio finalis,** scilicet damnati ad inferos descendent, beati vero in coelum ascendent.

Hoc tenendum est contra Millenarios seu Chiliastas, qui inter judicium universale et ingressum in coelum statum intermedium ponunt, quo Christus mille circiter annos in terra regnaturus esset. Juxta alios regnum millenarium intercederet inter adventum gloriosum Christi et judicium universale

Chiliasmus in *crassum* et *subtilem* dividitur, quatenus spiritualia vel carnalia gaudia in illo regno sibi fingunt. Chiliasmum crassum tenebant: Judaei, Ebionitae, Mormones, Irvingiani, quorum vestigia nostris diebus terrent α) sic dicti Adventistae ac β) internationalis consociatio severorum sacrae scripturae scrutatorum = Internationale Vereinigung ernster Bibelforscher.[1] Chiliasmum subtilem plures Patres

[1] Utraque haec extrema secta, quarum studiosorum numerus etiam apud nos ita in diem accrevit, ut nunc jamjam Viennae propriam aedem sacram vel proprium Oratorium exstruxerint, ecclesiae ac fidei nostrae magnopere insidiatur. Rejiciunt etenim Ecclesiae magisterium et principatum, aspernantur praeter baptismum et Eucharistiam reliqua sacramenta rejicientes simul infantium baptismum, negant animae immortalitatem, cum ad quaestionem de animae post mortem conditionem respondeant: tendere ipsam eo quo lucis ardor evanescit, ubi cum cereus vel candela efflatur. De his aliisque erroribus uti etiam de Chiliasmi doctrina, quam pariter confi-

admittebant: Papias, Irenaeus, Tertullianus, Sulpicius Severus et vel ipse Augustinus saltem aliquando.

Chiliasmus crassus est manifesto absurdus et jam a Patribus accensetur haeresibus; Chiliasmus vero subtilis numquam fuit quidem damnatus, sed communiter rejicitur a theologis ut „falsus et temerarius". Nam ex testimoniis hucusque allatis constat nec inter adventum Christi et judicium universale, nec inter judicium et coelum longiorem moram interponi: ergo falso prorsus fingitur regnum millenarium intermedium. Adversatur deinde Chiliasmo sensus Ecclesiae, in qua demum praevaluit et jam per tredecim saecula plene communis facta est sententia contraria.

Verba vero Apoc. 20, 4: *Vixerunt et regnaverunt justi cum Christo mille annis. Caeteri mortuorum non vixerunt, donec consummentur mille anni. Haec est resurrectio prima*, quibus Chiliastae suam opinionem fulciebant, quamquam obscura sunt, cohaerenter tamen ad dogmatum analogiam et Patrum sensum, quem praeprimis Augustinus et Gregorius M. in expositione hujus loci exhibent, intelligi debent. Scilicet primi versus agunt de primo adventu Christi, ubi satanas per mille annos, i. e. per diuturnum tempus a Scriptura non definitum, usque ad adventum Antichristi ligatus fuit; nam Christus per suam passionem revera satanam ligavit,[1] non permittens illi tantam vexandorum hominum potestatem, quantam olim permiserat. Justi autem hoc toto tempore his mille annis, i. e. toto tempore usque ad Antichristum in coelis cum Christo regnabunt. Resurrectio prima, de qua hic Joannes, est illa spiritualis, qua anima a morte peccati ad vitam gratiae, ac dein gloriae revocatur. Post illam igitur spiritualem resurrectionem futura est resurrectio corporum, ut ibidem[2] dicitur: *Mors et infernus dederunt mortuos suos, qui in ipsis erant*, et haec est resurrectio secunda.

---

tentur quaeque nil est quam depravata Messiae expectatio prophetarum, lector fors conferre velit librum, cui inscribitur: Religiöse Strömungen der Gegenwart" von Prof. Dr. *Allgeier*, Verlag Herder, Freiburg (12. Heft der Sammlung „Hirt und Herde") vel perspicue dilucideque conscriptum librum: „Die Sekten in Deutschland" von Heribert *Holzapfel*, O. f. M. Verlag Kösel-Pustet. [1] Cf. Joan. 12, 31; Matth. 12, 28 etc. [2] Apoc. 20, 13.

Nr. 466. Post Christi reditum in coelum **mundus innovabitur.**

Rei enim exploratae instar haberi debet, mundum hunc in saeculorum consummatione non destruendum sed renovandum esse. Perspicue id SS. Litterae docent, in specie 2 Petr. 3. 10: *Adveniet autem dies Domini ut fur, in quo coeli magno impetu transient, elementa vero calore solventur, terra autem et quae in ipsa sunt opera, exurentur . . . Novos vero coelos et novam terram secundum promissa ipsius exspectamus, in quibus justitia habitat;* et Joannes in Apocalypsi verbis suis de ultimo judicio habitis subdit initio cap. 21: *Et vidi coelum novum et terram novam: primum enim coelum et prima terra abiit, et mare jam non est.*

Nimirum abeunte et destructo praesente mundo novus orietur mundus. His enim duobus continetur mundi renovatio, quam hoc duplici modo concipere possumus. *Primo* minus proprie, si nempe, in nihilum reducto mundo praesente, alius mundus Dei omnipotentia creatus in ejus locum sufficiatur. *Secundo* proprie, si manente quoad substantiam praesente mundo nova velut quaedam forma virtute divina in eum inducatur.

Hoc altero modo mundi renovationem intelligendam esse plane certum esse videtur. Apostolus enim non esse praesentibus adhaerescendum, sed ad altiora animum tollendum, hac quoque ratione confirmat: *Praeterit enim figura hujus mundi,*[1] quasi diceret: Tota illa mundi dispositio et facies, secundum quam ad usum nobis est, caduca et fluxa est, et aliquando cessabit, alia succedente non substantia sed longe diversa mundi figura et statu.

Confirmatur ratione quoque theologica. Praesens enim hic mundus non talis, qualis nunc est, a Deo creatus est, sed in meliori statu conditus, ad inferiorem, quem modo tenet, statum homine peccante devolutus est. Propter hominem creatus cum homine vinculis adeo arctis colligatus est, ut aliquid ipsius hominis esse videatur, ac ad hominem ea fere ratione referatur, qua ad animam corpus refertur. Hinc labente

[1] 1 Cor. 7, 31.

homine una cum ipso lapsus veluti est mundus, quatenus ipse in maledictionem incurrit seu potius eo, quo poterat modo, maledictionis particeps effectus est, qua homo a Deo ob peccatum percussus est. Si autem talia sunt vincula inter hominem et mundum, si communis est mundo cum homine maledictio, numquid non etiam communem illi cum hoc credemus benedictionem, nonne redemptionem, qua Deus hominem cumulavit, putabimus ad mundum extendendam, ut, sicut cum homine concidente concidit, ita cum homine plene reparato reparetur? Et hoc congruenter, ut scilicet, ait s. Augustinus,[1] mundus in melius innovatus apte accomodetur hominibus etiam carne in melius innovatis.

Nr. 467. Judicatis hominibus, restauratoque universo, **Christus etiam ut homo perpetuo in coelo regnabit.** Hoc manifeste Scriptura docet, Ecclesiaque in symbolo profitetur illis verbis: *Cujus regni non erit finis.*

Dicitur quidem 1 Cor. 15, 25: *Oportet illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus . . . Quum autem subjecta fuerint illi omnia, tunc et ipse Filius subjectus erit ei, qui subjecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus;* at sensus est: cum fuerint in die judicii omnia Christo subjecta, ipse secundum humanitatem suam adhuc subjectus Patri, uti nunc est, manebit. Imo qui nunc, ad hominum salutem procurandam, angelorum ministerio aliisque instrumentis utitur, tunc, omni illo externo opere cessante, in id unum incumbet, ut seipsum totumque regnum suum, tamquam corpus mysticum, cujus ipse caput est, in Patrem referat; perfecta pace atque fruitione cum omnibus membris suis, sine fine regnaturus. Quae jam *civitas*, ut loquamur verbis Apostoli Joannis,[2] *non eget sole neque luna, ut luceant in ea; nam claritas Dei illuminavit eam, et lucerna ejus est Agnus.*

[1] *De civit.* Dei, L. 20, c. 16. [2] Apocal. 21, 23.

Appendix.

Jurisjurandi formula

juxta „Motu proprio" Pii PP X. dd. 1. Septb. 1910 ad Modernismi falsas doctrinas propulsandas praescripta[1] una cum versione in lingua nostra vernacula.

„Ego . . . firmiter amplector ac recipio omnia et singula, quae ab inerranti Ecclesiae magisterio definita, adserta ac declarata sunt, praesertim ea doctrinae capita, quae huius temporis erroribus directo adversantur.

Ac primum quidem Deum, rerum omnium principium et finem, naturali rationis lumine per ea, quae facta sunt, hoc est per visibilia creationis opera, tamquam causam per effectus, certo cognosci, adeoque demonstrari etiam posse, profiteor.

Secundo, externa revelationis argumenta, hoc est facta divina, in primisque miracula et prophetias admitto et agnosco tamquam signa certissima divinitus ortae christianae Religionis, eademque teneo aetatum omnium atque hominum, etiam huius temporis, intelligentiae esse maxime accommodata.

Tertio: Firma pariter fide credo, Ecclesiam, verbi revelati custodem et magistram, per ipsum verum atque historicum Christum, quum apud nos degeret, proxime ac directo institutam, eandemque super Petrum, apostolicae hierarchiae principem eiusque in aevum successores aedificatam.

Quarto: Fidei doctrinam ab Apostolis per orthodoxos Patres eodem sensu eademque semper sententia ad nos usque transmissam, sincere recipio; ideoque prorsus reiicio haereticum commentum evolutionis dogmatum, ab uno in alium sensum transeuntium, diversum ab eo, quem prius habuit Ecclesia; pariterque damno errorem omnem, quo, divino deposito, Christi Sponsae tradito ab Eàque fideliter custodiendo, suffici-tur philosophicum inventum, vel creatio humanae con-

[1] Cf. hujus Compendii pag. 27

scientiae, hominum conatu sensim efformatae et in posterum indefinito progressu perficiendae.

Quinto: certissime teneo ac sincere profiteor, Fidem non esse coecum sensum religionis e latebris subconscientiae erumpentem, sub pressione cordis et inflexione voluntatis moraliter informatae, sed verum assensum intellectus veritati extrinsecus acceptae ex auditu, quo nempe, quae a Deo personali creatore ac domino nostro dicta, testata et revelata sunt, vera esse credimus, propter Dei auctoritatem summe veracis.

Me etiam, qua par est, reverentia, subiicio totoque animo adhaereo damnationibus, declarationibus, praescriptis omnibus, quae in Encyclicis litteris „Pascendi" et in Decreto „Lamentabili" continentur, praesertim circa eam, quam historiam dogmatum vocant.

Idem reprobo errorem affirmantium, propositam ab Ecclesia fidem posse historiae repugnare, et catholica dogmata, quo sensu nunc intelliguntur, cum verioribus christianae religionis originibus componi non posse.

Damno quoque ac reicio eorum sententiam, qui dicunt christianum hominem eruditiorem induere personam duplicem, aliam credentis, aliam historici, quasi liceret historico ea retinere quae credentis fidei contradicant, aut praemissas adstruere, ex quibus consequatur dogmata esse aut falsa aut dubia, modo haec directo non denegentur.

Reprobo pariter eam Scripturae Sanctae diiudicandae atque interpretandae rationem, quae, Ecclesiae traditione, analogia Fidei et Apostolicae Sedis normis posthabitis, rationalistarum commentis inhaeret, et criticen textus velut unicam supremamque regulam haud minus licenter quam temere amplectitur.

Sententiam praeterea illorum reiicio qui tenent, doctori disciplinae historicae theologicae tradendae aut iis de rebus scribenti seponendam prius esse opinionem ante conceptam sive de supernaturali origine catholicae traditionis, sive de promissa divinitus ope ad perennem conservationem uniuscuiusque revelati veri; deinde scripta Patrum singulorum interpretanda solis scientiae principiis, sacra qualibet auc-

toritate seclusa eàque iudicii libertate, qua profana quaevis monumenta solent investigari.

In universum denique me alienissimum ab errore profiteor, quo modernistae tenent in sacra traditione nihil inesse divini; aut, quod longe deterius, pantheistico sensu illud admittunt; ita ut nihil iam restet nisi nudum factum et simplex, communibus historiae factis aequandum; hominum nempe sua industria, solertia, ingenio scholam a Christo eiusque apostolis inchoatam per subsequentes aetates continuantium.

Proinde fidem Patrum firmissime retineo et ad extremum vitae spiritum retinebo de charismate veritatis certo, quod est, fuit eritque semper in episcopatus ab Apostolis successione;[1] non ut id teneatur quod melius et aptius videri possit secundum suam cuiusque aetatis culturam, sed ut nunquam aliter credatur, nunquam aliter intelligatur absoluta et immutabilis veritas ab initio per Apostolos praedicata.[2]

Haec omnia spondeo me fideliter, integre sincereque servaturum et inviolabiliter custoditurum, nusquam ab iis sive in docendo sive quomodolibet verbis scriptisque deflectendo. Sic spondeo, sic iuro, sic me Deus adjuvet et haec sancta Dei Evangelia.

[1] Iren., 4, c. 26. [2] Praescr. c. 28.

Index rerum alphabeticus.

pag.

Abbatissae 462
Ablutio in Baptismo . . . 338
Absolutio est forma sacramenti poenitentiae . 419
Accidentia in SS. Eucharistia 367
Adoptianismus 234
Adoratio Christi 242
- Eucharistiae 364
Adventus Christi duplex . 520
— primus 53
- secundus 521
Aetas admittendorum ad primam Communionem 375
Aeternitas Dei 141
- poenae 495
Affectiones hum. in Christo 231
Agnosticismus 25
Alacoque 245
Alapae in Confirmat. . . 355
Allegorica expositio cosmogoniae mosaicae . . 186
Ambitus chr. religionis . 63
Americanismus 26
Angeli, quid sint 200
Angelorum chori 201
– custodia 205
- obsequia 206
- officium 205
- peccatum 204
Anima, Christi descendens ad inferos 260
-- Ecclesia secundum animam considerata . . . 67
forma corporis 210
Animae defunct. pro nobis possunt orare . . . 509
Animarum receptacula . 492
Anthropologia 209
Anthropomorphitae . . . 126
Antichristus 521
Apocatastasis 496
Apocryphi libri 43, 101

pag.

Apostolicitas Ecclesiae . 84
Applicandi obligatio . . . 396
Approbatio confessarii . . 415
Appropriatio in divinis . 180
Aqua in Missa vino admiscenda 370
Aqua, quare congrua Baptismi materia . . . 338
Articuli fundamentales et non-fundamentales 63, 114
Aseitas 127
Atheismus 21
Attributa divina 135
— eorum divisio 137
Attritionis notio 421
— utilitas 423
Augustiniani et gratia efficax 291
Aureola, quid sit 506
Authentia in genere . . . 43
— librorum A. T. 44
— librorum N. T. 46
— Vulgatae 103
Axiopistia in genere . . . 44
— librorum A. T. 45
— librorum N T. 48

Baptismus flaminis . . . 348
— sanguinis 348
— ut sacramentum 335
ejus institutio 336, materia 337, forma 339, minister 340, subjectum 342, patrini 341, necessitas 346, vota 344, pro praxi observanda 346, parvuli baptismo praemorientes 443, qui esse possunt patrini 342, numne licitus invitis parentibus 9
Beatitudo Dei 159
— nostra 502

pag.
Bona naturalia et gratia 274
Bonitas Dei 153
— et mundi creatio . . . 188

Caeremoniae sacramentales 240
Canon s. Scripturae . . . 100
Canonici libri 43
Cardiognosia 58
Casus reservati 416
Catholicitas Ecclesiae . . 83
Causae matrimoniales . . 485
Causalitatis principium . 10
Censura theologica . . . 115
Certitudo miraculorum . 39
— quae de consecutione gratiae haberi possit . 286
Character Sacramentorum indelebilis 331
Charitas, an idem ac gratia? 276
— utrum ad meritum de condigno necessaria . 315
Chiliasmus 528
Chori angelorum 201
Chrisma, Confirmationis materia 351
Christi divinitas . . 57, 228
— gratia creata 246
— miracula 60
— munus propheticum . 261
— munus sacerdotale . . 253
— naturarum unio 234
— operatio et voluntas . . 239
— potentia 249
— resurrectio 59
— sacerdotium 154
— sacrificium in cruce . . 255
— satisfactio pro nobis . 257
— triplex scientia . . . 248
— vaticinia 58
Christiana religio divinitus fuit successura religioni mosaicae . . . 53
Christianismi effectus . . 61
— perennitas 62
— propagatio 60
Christologia seu de Verbo incarnato 227
Christus adorandus latriae cultu 242
— caput generis hum. 255, 262
conceptus de Spiritus s. 231
— Dei filius naturalis . . 238
— Deus et homo 235

pag.
Christus ipsius duplex voluntas 239
— Messias promissus . . . 56
— non persona mythica . 54
— obnoxius affectionibus humanis 231
potentia in Christo . . 248
— rex sempiternus 531
— Sacramenta instituit . 321
— scientia triplex in ipso 248
— sine ullo peccato . . . 245
— ut comprehensor et viator 247
— verus Deus . . . 57, 228
— verus homo 229
Circuminsessio 207
Circumscriptivus existentiae modus 142
Clerus a laicis distinguitur 80
Coadamitae 209
Coelibatus, quaenam exigat 463
Coelum 493, 502
Cognatio spiritualis ex Baptismo 342
Cognitio Dei naturalis . . 131
— protoparentum 217
Cognitionis divinae objectum 145
Cognoscibilis, Deus est 131, 132
Communicatio idiomatum 241
Communio paschalis . . 378
— pars integralis Missae . 388
— quando distribui debet 378
sanctorum 507
— prima, in quanam aetate 375
— quotidiana 379
— sub utraque specie . 380
— vivorum inter se . . . 508
Compositio logica, physica et metaphysica . . 139
Conceptio Christi 231
— immaculata 224
Conciliorum, notio ac divisio 93
Conclusiones theologicae 109, 115
Concubitus vagus 466
Concupiscentia in baptizatis 345
Concursus divinus . . 193, 194

pag.

Conditio formae Sacram. adjecta 323
Condonatio Missarum . 407
Confessio ejus necessitas ac conditiones 424
Confessio sacramentalis . 425
Confirmatio 349
quo tempore instituta 350. ejus materia et forma 351. minister 352, effectus 355, confirmandi aetas ac dispositio 354
Congruistae ac gratia efficax 292
Consecratio, Missae essentia 387
Consensus Ecclesiae . . . 94
— SS. Patrum unanimis repraesentat fidem Ecclesiae 108
Conservare, quid sit . . . 192
Conservatio mundi 193
Constantia martyrum . . 61
Consubstantialitas personarum divinarum . . . 167
Consummatio saeculi . . 519
Contingens quid sit . . . 13
Contritio 421
— differens ab attritione 423
Cor Jesu ejusque cultus . 244
Corpus, Ecclesia secundum 67
Cosmogonia mosaica . . . 186
Cosmologicum Dei existentiae argumentum . 13
Creare, quid sit 182
Creatianismus 213
Creavit Deus mundum libere 184
— et cum tempore 185
Criteria miraculorum . . 39
— revelationis 35
— revelationis negativa . 36
Cultus, quotuplex sit . . 510
Custodia angelorum . . . 205

Daemones existunt . . . 204
Definitivus existentiae modus 142
efuncti: eorum relatio ad missae sacrificium 391. 395, ad indulgentias 437, eorum receptacula 492, possunt pro eis orare angeli et sancti Dei 510
Dei notio 9, essentia . . . 124
existentiae argumenta 10
Deipara 232, 240
Deismus 24
Deus a mundo distinctus 125
— est esse subsistens . . 127
— est infinite perfectus . 128
— est spiritus purus . . . 126
— est unus 124, trinus . . 160
— naturaliter videri non potest 133
— transcendentalis cogitari debet 15
— ut ens personale . . . 15
Deuterocanonici libri . 43, 100
Diaconatus est sacramentum 457
Diaconi prebyteris inferiores 453
Diaconissae 462
Diegeses 50
Distributio inaequalis bonorum 199
Divinitas Christi 57
Doctores Ecclesiae 108
Dogma ejusque divisio . . 113
Dogmata catholica, theologi munus quoad . . 119
Dogmatica fundamentalis 3
— ejus historia 5
— specialis 120
— ejus historia 122
— ejus objectum 120
Dualismus 22
Duliae cultus 510
Duorum fontium hypoth. 50

Ecclesia Christi 66
visibilis est 70, perpetuo duratura ac diversa a Synagoga 70, indefectibilis 71. sola salvifica 103.
Ecclesiae anima et corpus 67
character supernat. . . 73
— dispersae consensus . . 94
— institutio 69
magisterium est fidei regula 110
— membra 68, 87
— militantis vinculum cum triumphante . . . 510
Ecclesiastici libri 101

pag.

Eliae reditus 489
Emanatianismus 214
Epiclesis 371
Episcopatus est sacramentum 456
Episcopi presbyteris superiores 79, 452
Eschatologia 488
Essentia 129
Ethicum argumentum pro Dei existentia 18
Eucharistia in genere . . 356
— in se spectata 357
Christi realis praesentia 357, transsubstantiatio 360, totus Christus sub utraque specie 361, modo permanente 363, adorandus est cultu latriae 364, habet aliquatenus suam quantitatem 366; accidentia post consecrationem remanentia, quo sensu subjectum aliquod habeant 367.
Eucharistia, qua sacramentum 367
in quo essentia illius consistat 368, materia 368, an aqua pariter in sanguinem convertitur 370, forma 371, minister 373, subjectum 374, dispositiones in communicante 376, quatenus necessaria sit susceptio 377, 378, communio sub una tantum specie 380, effectus 381.
— qua sacrificium 383
sacrificium quid sit 383, sacrificium N. T. est Missa ejusque differentiae a sacrif. cruois 384; Missa est verum sacrificium 386; cujus essentia consecratio est 388 in quibus sacrif. differt ab Euch. sacramento 391, efficacia Missae 393, subjectum 398, minister 400, liturgiae 405, Missae stipendia 406.
Examen protestanticum . 344

pag.

Excommunicati ac sacrificium Missae 399
Existentiae Dei argumenta in genere . . . 10
— triplex modus 142
Exomologesis 438
Extrema unctio 440
est sacramentum . . . 440
quandonam institutum 442, materia 442, forma et minister 444, subjectum 444, effectus 445, utilitas 446.

Facta dogmatica 92
Fanatismus in relatione ad martyrium 62
Fideles, genus sacerdotale? 448
— offerentes Missam . . . 462
Fidelitas Dei 150
Fides et ratio 116
formata et informis . . 277
— salutaris fit per gratiam 268
— sola non justificat . . . 296
Filius Dei est unigenitus 172
— qua persona divina . 172
Finis Ecclesiae Christi . . 72
— mundi 189
— hominis 215
Forma in genere 21
— Sacramentorum 342
Fornicationis causa et matrimonii indissolubilitas 48
Fratres Christi 233
Fructus gratiae 308
— Missae 395, an sint intensive et extensive infiniti 397
Futuribilia 146

Generatianismus 213
Gloria inaequalis erit . . 505
Gratia in genere 265
— actualis in specie . . 284
efficax existit 288, non est necessitans 287, existit gr. sufficiens 288, an numquam cum effectu est conjuncta 289, systemata Cathol. de gratiae efficacitate 290
— habitualis in specie 275

pag.

est habitus infusus 276, an idem ac charitas 276, non idem ac Spiritus s. 278, gratiâ SS Trinitas justos inhabitat 278, animae intrinsece inhaeret 279, tollit et delet peccata 280, inhaeret permanenter 281, gratiae adnexa 282, non in omnibus aequalis est et augeri potest vel vero amitti 283, peccata venialia gratiam non tollunt 285, quaenam certitudo de consecutione gratiae haberi possit 285.
— sacramentalis . . . 330
— adnexa 282
— distributio 292
fructus 308
— mensura inaequalis . 301
— necessitas 265
— praeparatio in adultis 295
— quas Christus nobis promeruit 258
— variae denominationes 264
Gratuitas gratiae . . . 293
Gubernatio mundi . 191, 195

Henoch rediturus . . . 489
Hermeneuticae regulae . 104
Hierarchia coelestis . . 201
Ecclesiae 68, 74
— ordinis et jurisdictionis 450
Hierarchiae gradus . . . 74
Historicum Dei existentiae argumentum . . 20
Homo, doctrina de 209
Honorii epistola dogmatica 96
Hyperduliae cultus 510
Hypostasis 161
Hypostatica unio . . 234

Idea innata Dei . . . 135
Ideotheismus 24
Idioma originarium s. Scripturae 101
Ignis inferni 497
— mundi physici clarificationem efficiens . . 521
Illustratio Spiritus s. interior 112

pag.

Imaginum cultus 513
Immanentismus 25
Immensitas Dei 142
Immortalitas animae . . 212
— protoparentum 218
Immutabilitas Dei . . . 140
Impassibilitas protoparentum 219
Impeccabilitas Christi . . 245
Impedimenta matrimonii 475
— statui possunt ab Ecclesia 484
Impotentia physica et moralis 271
— quaenam ab integritate confessionis excuset . . 427
Incarnatio in genere . . . 227
— quo sensu necessaria fuit 251
Incomprehensibilitas Dei 130
Indefectibilitas ecclesiae . 71
Indissolubilitas matrimonii 476
— quae dantur exceptiones 482
Indulgentiae, quid sint 432 potestas eas largiendi 436, earum utilitas ac effectus 437, applicatio per suffragia 437, requisita in subjecto ac eas concedente 439
Ineffabilitas Dei 130
Infallibilitas Ecclesiae . . 90
— objectum 91
— Rom. Pontificis . . . 94
— subjectum 92
Infantes Baptismo praemorientes 300, 308, 347
Inferni existentia 494
— poena 495
— aeternitas impugnata . 496
Infestatio diabolica . . . 266
Infidelibus gratia necessaria datur 299
Innata Dei idea 135
Innovatio mundi 530
Inspiratio s. Scripturae . 97
— ejus limites 98
Integritas confessionis . . 427
— originalis 218
— s. Scripturae in genere 44
— s. Scripturae A. T. . . 45
— s. Scripturae N. T. . . 47
Intellectus divinus 144

pag.

Intentio conferentis sacramentum 326
— suscipientis sacramentum 332
Internus Dei status . . 158
Interpretatio Scripturae 104, 113

Jehovae nomen 127
Jubilaei indulgentiae . 434
Judicium particulare . . 491
— universale 527
Jurisdictio confessarii . 414
Jurisdictionis potestas Pontificis Romani . . . 77
Justificationis certitudo 285
— ordo 295
— requisita 297
Justitia, Dei attributum 157
Justitiae status augeri et amitti potest 283

Laicus non idem ac clericus 448
Latriae cultus 510
Lectio s. Scripturae . . . 105
Leonis M. epistola dogm. 96
Liberius Papa et formula Sirmiensis 96
Libertas Dei 154
Limbus 492
Literae reversales 474
Liturgia, quid sit 404
Loci theologici 121
λόγια τὰ 50
Lumen gloriae 505

Magia 207
Magisterii eccl. objectum 109
Magisterium Ecclesiae fidei regula 110, 111
Majestas Dei 158
Malum a Deo non intenditur 150
— morale et Dei providentia 198
— physicum et Dei providentia 199
Marciana hypothesis . 49
Maria etiam post partum virgo 233
— sine labe concepta . . 224
— vere est Dei genetrix . 240
— assumpta in coelum . . 516
— nostra mediatrix . . . 518

pag.

Martyrum constantia . . 61
Materialismus 21
Matrimonium 464
notio ac elementa 465, essentia 465, errores circa illud 465, est institutum a Deo 466, qua status naturae 466, quatenus indossolubile 467 476, 478, 482 sqq., inter christianos est sacramentum 468, ministri sunt contrahentes 470, materia et forma 471, civile 472, mixtum 473, subjectum 475, effectus ac proprietates matrim. christ. 476, unitas 476, indissolubilitas 476, infidelium solubile est 482, ecclesiae potestas circa causas matrim. 484 sqq
Mercedis intuitu licet bona agere 313
Meritum quid sit 293
licet fiduciam collocare in 312, ejus objectum 313, conditiones 315, utrum ad illud de condigno charitatis motivum necessarium 315, ex quo crescant merita 316.
Messiae characteres et munia 56
Messias promissus fuit Christus 55
Metempsychosis . . 496, 497
Methodus in exponenda doctrina 121
Millenarium regnum . . . 529
Ministri Sacram. requisita 325
Miraculum quid sit . . . 37
quomodo distinguitur 38, est possibile 38, ejus criteria 39, relatio ad prophetiam 42, ordinis moralis miracula 60.
Missa, ejus notio . . . 384
explicatio vocis 385, est verum sacrificium 386. ejus essentia in consecratione sita 388, habet omnes sacrificii proprietates 389, ejus effi-

pag.

cacia 393, fructus 395, pro quibus possit offerri 398, ejus minister 400, 401, sqq., Missae privatae 402, solitariae et siccae 403.
Missarum condonatio ac reductio 407
— stipendia 406
Missio divina 179
Modernismus 24
— abjuratio 532
Molinistae et gratia efficax 292
Monismus 23
Monistae . . . . . 27, n
Mors in genere . . . . . 488 est universalis 489, incerta, peccati poena et probationis terminus . 490
Mosaica lex in genere . 51 est Deo digna ac originis divinae 51; est paedagogus in Christum 52, ei religio christiana divinitus fuit successura 53.
Mundi creatio 184
— innovatio 530
Mundus non absolute optimus 189
Mythus quoad Christum . 54

Naturarum unio in Christo 234, 236
Necessarium, quid sit absolute 12
Necessitas ecclesiae . . . 85
— medii et praecepti . . . 114
Notae Ecclesiae verae . . 81
— solae Eccl. catholicae insunt 84

Obex gratiae 328
Obsessio 206
Occasionalistae 194
Oeconomia, Verbi Dei . 1
Omnipotentia Dei 151
Omnipraesentia Dei . . . 142
Ontologicum Dei existentiae argumentum . . . 11
Ontologismus 134
Opera bona, quid sint . . 308 dantur et sunt possibilia 309, necessaria 310, meritoria 311, distinguuntur in mortifera, mortificata, mortua et viva 315.
Opera satisfactoria . . . 430
Operatio duplex in Christo 239
Opinio pia 115
Optimismus 189
Ordo, quid sit . . . . . 447 est verum sacramentum 454, quot Ordines sacramenta 455, majores et minores 449, quinam divinitus instituti 452, Ordinis fundamentum 454, materia et forma 458, subjectum 461, minister 460, susceptio valida et licita 462, effectus 463.

Paedagogus in Christum, lex mosaica 52
Panis triticeus 369
Pantheismus 22, 125
Paradisus 219
Parvuli Baptismi subjectum capax 343
— Baptismo praemorientes 347
— infidelium, an possint licite baptizari 349
Pater est ingenitus . . . 171
Pater, persona divina . . 162
— est ingenitus 171
Patres sancti Ecclesiae 107
— quando fidei testes . . 109
Patrimonium Petri 79
Patrini baptismi 341
— confirmationis 355
Peccatum originale . 219, 221
— mortale, delet gratiam 283
— reservatum 415
— tollitur renovatione . . 280
— veniale non semper potest evitari 271, gratiam non diminuit . . 285
Pelagianismus 265
Pentateuchi authentia . . 44
Perennitas religionis christianae 62, 65
Perfectio relegionis christ. 64
Perfectiones (attributa) Dei 135

pag.

Περιχώρησις 170, 176
Perseverantia 269
Persona 161
Personae divinae sibi coaeternae sunt 177
Personarum div. consubstantialitas 167
Pessimismus 189
Physico-theologicum Dei existentiae argumentum 15
Poena damni 497, 501
— inferni, est aeterna . . 495
purgatorii 500
- sensus 497, 501
— temporalis, quomodo in hac vita exsolvatur 429
Poenitentia 407
— quid sit 407
ejus fundamentum in potestate clavium situm est, 409, 410, est a Baptismo distinctum sacramentum 417, ejus materia 418, forma 419, effectus ac quasimateria 420.
Polyandria simultanea . . 466
Polygamia 466
— simultanea 477
Polytheismus 23
Possessio daemonis . . 208
Possibilitas logica, realis et moralis 11
Potentia absoluta et ordinata 152
Potentia in Christo . . . 219
Potestas clavium, quid sit 409
Praeadamitae 209
Praedestinatiani 266
Praedestinatio quid sit . 302
est gratuita 304, immutabilis 304, nobis in certa 305, hypothetica tantum 306, ejus signa conjecturalia 305.
Praedeterminatio physica 290
Praeexistentianismus . . 214
Presbyterae 462
Presbyteratus est sacramentum 455
Primatus b. Petro collatus 75
— Romani Pontificis . . . 77
Principium formale . . . 109
— materiale 96
— in genere 122

pag.

Privilegium Paulinum . . 482
Processio divinarum personarum 171
— filii, in quo ab illa Spiritus s. differat . . 174
— div. personarum 171
Professio religiosa solvit matrimonium ratum . 483
Propagatio religionis chr. 60
Prophetiae notio 40
— proprietates 41
— in relatione ad miraculum 42
Proprietates div. personarum 175
Protocanonici libri 43
Providentia Dei 190
Psychologicum argumentum pro Dei existentia 16
Purgatorium, quid sit . . 493
ejusdem existentia 498, poena 500, status animarum in illo 501.

Quaestio synoptica . . . 49
Quasi-materia poenitentiae 420

Ratio et revelatio 116
— fidei servire debet . . . 117
— humana aeque ac philosophica insufficiens est ad homines vera religione instruendos . 34
Redemptio in genere . . . 219
— fuit gratuita ex parte Dei ac hominibus pernecessaria 250
— per Christum quatenus necessaria 251
— fuit conveniens 251
— fuit universalis 259
Reductio Missarum . . . 407
Regula fidei 110
Relationes personarum div. reales 171, 176
Relatio SS. Trinitatis ad extra 177
Religio Christi 63
ejus ambitus 63, est absolute perfecta 64, divinitus obligatoria et indefectibilis 65.
— generatim 28
quotuplex distinguitur

pag.

29, est universalis 29, homini necessaria 30, obstringimur etiam ad externam et publicam 31, est praesidium reipublicae firmissimum 32.
Reliquiarum cultus . . . 512
Renovatio tollit peccata . 280
— hostiarum 368
Reprobationis decretum . 307
Repudii libellum 480
Reservatio casuum 416
Resurrectio Christi 59
— mortuorum 522
Retributio finalis 528
Revelatio in genere . . . 32
ejus adversarii 36, quomodo dividitur 33, quatenus necessaria et possibilis 34, criteria verae et divinae revelationis 35.
— mosaica 51
primitiva ejusque praecipua capita 50
Reviviscunt opera mortificata 315
— quaedam sacramenta informia 333

Sacerdos est Missae minister secundarius 401
Sacerdotes, ad eos solos potestas clavium pertinet 413
Sacerdotium universale . 449
— visibile existit 449
Sacramenta ante Christum 319
— formata et informia . 333
Sacramenta in genere . . 316
notio ac essentia 317, elementa constitutiva 318, per illa sanctificari congruum est naturae humanae 319, utrum etiam ante Christum habebantur 319, numerus septenarius 320, eorum auctor 321, partes 322, materia et forma 322, caeremoniae et minister 324, intentio in dispensatore requisita 326, virtus et efficacia 328, gratia, quam conferunt 329, dispositio in subjecto requisita 332, Formata et informia 333, Sacramentorum administratio 334.
Sacramentalia 318
Sacrificium, in quibus differat ab Euchar. sacramento 391
— euchar. ac crucis sacrificium 384
Sanctitas Dei 155
— Ecclesiae 82
Sanctorum intercessio 510, 515
Sapientia Dei 148
Satisfactio, pars Poenitentiae 428
— imponenda est 431
— imposita est acceptanda 432
Scientia triplex in Christo 248
Scientiae Dei objectum . 145
— divisio in scientiam approbationis, mediam, simplicis intelligentiae et visionis 147
Scriptores ecclesiastici . 108
Scriptura sacra 42, 97
ejus authentia et axiopistia 44, idioma originarium 102, lectio 105, ex se non est regula fidei 112.
Semipelagianismus . . . 266
Signum, quotuplex datur 317
Simplicitas Dei 138
— animae 211
Sirmiensis formula 96
Spes formata et informis 277
Spiratia 172, 175
Spiritus s. est Deus . . . 165
— ex patre filioque . . . 172
— non idem ac gratia sanctificans 278
Status Dei internus . 158, 159
— naturae humanae . . . 216
— originalis 216
— angelorum 203
Stipendium Missae 406
Subdiaconatus 451
— utrum sit Sacram. an non 458

pag.
Sufficientissimus, Deus est 158
Suffragia pro defunctis . 508
Subjectum capax Sacramentorum in genere . 332
Substantia 161
Suppositum 161
Susceptio Sacramentorum valida, licita, fructuosa 333
Synagoga, differt ab Ecclesia 70
Synoptica quaestio 49
Synteresis . . . . . 18, 18, n

Targum 102
Teleologicum Dei existentiae argumentum . 15
Tentatio 206
Θάλια Arii . . . . . 18 n
Theismus 24
Theodicaea 198
Theologiae notio 1
— divisio 2
Theologia Dogmatica specialis 120
ejus objectum 120, argumentum ac methodus 121, et historia 122,
Theologia fundamentalis 3
ejus divisio 4, historia 5.
Theosophi 497
Thesaurus Ecclesiae . . . 435
Thomistae ac gratia efficax 290
Timor, quomodo distinguitur 423
Tolerantia, religiosa . . 89
— theologica 88
Tonsura 450
Toties-quoties indulgentia 433
Traditio 106
— ejus monumenta . . . 107
Traditionalismus 134
Traducianismus 214

pag.
Transsubstantiatio 360
Trichotomia 210
Trinitas Dei 160
ejus adversarii 160, innuebatur saepius jam in V. T. 161, refutatio praecipuarum objectionum contra hoc mysterium 168, quod est stricte tale 177, et investigabile 178, est donum justorum 278.

Unanimus Patrum consensus 108
Unctio extrema 440
— effectus et utilitas . 446
Unio compositorum . . 235
Unionis modus naturarum in Christo 234
Unitas Ecclesiae 81
Universalitas mortis . . . 489
— redemptionis 259

Vaticinia, eorum vis probandi 41
— Christi 58
Veracitas Dei 156
Versiones s. Scripturae 102, 105
Videre naturaliter Deum impossibile est 132
Vinum pro Eucharistia . 370
Vires hominis quoad veritates religios. et bona naturalia 273 274
Virginitas Mariae 233
Virtutes infusae in Christo 246
Visio beatifica 503
Voluntas Dei 149
— ejusque divisio 150
— in Christo duplex . . . 239
Vulgata est authentica . 103
— ejus nova recognitio . 103

Waltoniana versio 102

240.2
V653

Vidmar, C.

Compendium rep. theol.

dogmaticae

DATE	ISSUED TO
NOV 0	

240.2
V653

Property of
CBF
Please return to
Graduate Theological
Union Library